ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones., sive Responsa, et alia huiusmodi ; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum, qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXXV.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1902-1903.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LUCANA

EXEMPTIONIS SEMINARII

Lie 24 Ianuarii et 19 Iulii 1902,

Sess. 23 cap. I De Ref.

COMPENDIUM FACTI. III civitate Lucana Ecclesia parochialis et regularis a S. Michaele *in foro* nuncupata in Ecclesiam Collegiatam secularem erecta fuit a Leone X Pontifice maximo a. 1518, attributo exemptionis privilegio his verbis: « Et quod Ecclesia S. Michaelis et eius bona quaecumque nec non Decanus, Canonici, Cappellani, Clerici et personae quaecumque eiusdem Ecclesiae S. Michaelis tam in beneficialibus, spiritualibus, criminalibus, civilibus, vel quasi, et mixtis, quam aliis quibuscumque causis etiam ratione •delicti... a loci Ordinario et aliis quibuscumque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentibus iudicibus et personis penitus et omnino exempta et exempti... et deinde Decanus Sedi praedictae dumtaxat, Canonici vero Cappellani et Clerici et personae praedictae eorumque familiares Decano et Sedi praedictae dumtaxat subiecti quoad omnia existant ».

Eiusmodi exemptionem iterum iterumque confirmavit Leo X et Pontifices Eius successores , nempe Paulus III die 12 Nov. 1535 et Pius IV die 6 Ian. 1559. At harum Constitutionum in actis non extat nisi textus quem supra attuli e Bulla Leonis X ; quemque affert Decanus sibi vindicans omnimodam exemptionem nedum a iurisdictione fori externi, sed etiam a fori interni iurisdictione seu a parocho locali.

Collegiatae ita constitutae Sixtus **V** a. 1588 adiiciebat Seminarium, inde a S. Michaele, etiam hodie, nuncupatum, pro instituendis clericis qui servitio addicerentur eiusdem

Ecclesiae. Aliquid vero singulare, iam a sua institutione,. habuit hoc Seminarium quod suis aedibus instructum fuit ubi tamen alumni non agebant vitam communem, sed inibi dumtaxat constituta erant gymnasia, academiae et oratorium quae statis horis frequentabat clerici alumni. Hi vera pro victu et habitatione morabantur seorsim apud privatos cives.

Quum hoc vitae genus parum responderet, nostra praesertim aetate, moribus Clericorum instituendis; a. 1873 Seminarii Moderator, domi apud se, non in Seminario, retinere coepit duodecim alumnos. Res successit, quamobrem in dies auctus est numerus clericorum qui cum Moderatore vitam agebant communem. Praeterea quo alumni commodius accederent ad Seminarii aedes, prope Ecclesiam Collegiatam S. Michaelis sitas, Moderator Fanucci a paroecia S. Frediani in qua hactenus moratus fuerat convictus clericorum, se una cum clericis transtulit in paroeciam S. Michaelis a. 1881.

Denique hodiernus Decanus a. 1898 veterem Seminarii sedem dereliquit, atque in Palatio, quondam Manzi, valde' amplo, comprehenso in limitibus paroeciae S. Mariae Forisportam, constituit tum gymnasia, Oratorium, lycea Seminarii, tum communem Clericorum habitationem certa et perpetua ordinatione tunc primo constitutam.

Inde orta est hodierna controversia. Nam parochus ad S. Mariae Forisportam ratus est sibi in alumnos omnesque incolas Seminarii competere, munia exercere parochialia prouti facere adortus est occasione benedictionis domorum in Sabato Sancto a. 1899. Ast contradixit Decanus asserens, Seminarii immunitatem a parocho loci, quia cum hac immunitate expresse donata fuerit Ecclesia Collegiata, hoc iure fruitur etiam Seminarium, *quippe accessorium sequitur principale;* et Leo XII cum Seminarium in pristinum restituit, initio saeculi XIX eversum, ob communem rerum publicarum sub versionem, inquam, Leo XII in suis litteris postquam innuerit iam pridem, Seminarium moderari Deca-

num, adhibito canonicorum et opera et consilio, subiungit: « Quoniam in praesentia ullam ipsi Seminario (canonici) opem ferre nequeunt, voluntati nostrae profecto acquiescunt, dum rei christianae, literariae, et domesticae illius Seminarii supremam unam eorum Collegii dignitatem nempe Decanum praeficere statuimus et volumus ut ibidem ordinarii iurisdictione fruatur ».

Quanta vero sit haec immunitas desumit Decanus ex bulla fundationis Leonis X statuentis : « Quod Ecclesia S. Michaelis et eius bona quaecumque... a loci Ordinario et aliis quibuscumque tam ordinaria, quam delegata et mixta auctoritate fungentibus... penitus et omnino exempta est». Inde enim infert Decanus, alienum esse a quacumque constitutione, Seminarium exemptum ab Ordinario loci, seu ab Episcopo eiusque delegatis nec non, in genere, a delegatis .S. Sedis, esse obnoxium parocho loci. Nam hac ratione Seminarium subderetur Ordinario loci, cui subditur parochus ; quippe nihil praestare valet parochus quod aeque Ordinarius praestare non valeat.

Ad rem De Prosperis - *De loco exempto* - ad Decisionem 24 n. 31 referens duas decisiones Rotae Rom., alteram diei 29 Decemb. 1596 et alteram 1 Iunii 1708 ita commentatur : « Nulla persona vel dignitas valeat exercere ordinariam iurisdictionem super illo loco , super illa persona •quae sub tegmine B. Petri et S. Sedis custoditur ». Item : « Exemptus aequiparatur non subditis ». Ricci *Decis. Curiae Archiep. Neap. p. I. Dec. 16S n. 12:* « Locus exemptus et locus extra dioecesim iudicantur a pari ». *Rota Horn, dec. 107 n. 3.*

Non secus, advertit Decanus, regulares exempti sunt a potestate Ordinarii loci et per consequens, a parochis locorum .

Ad diluendam vero difficultatem a parocho motam ex eo quod usque parochi exercuerunt iurisdictionem in alumnos clericos dum seorsim morabantur aut dum vitam agebant communem in paroecia S. Frediani aut in «paroecia

S. Michaelis, reponit Decanus, tunc alumnos iure merito fuisse obnoxios parochorum iurisdictioni quippe seiuncti vivebant extra Seminarii domum. Semel ac vero in Seminario instituta est Clericorum vita communis, hi nacti sunt exemptionem quam obtinet ipsum Seminarium. - Haec sunt verba Decani qui notat Seminarii domum revera semper obtinuisse exemptionem a parocho loci, quamvis ageretur de parocho ad S. Michaelis et ait: « Quindi l'antico locale del Seminario di S. Michele ora è rappresentato da questo nuovo locale che è posto appunto entro i confini della parrocchia di S. Michele *Forisportam.* Ciò per amore di chiarezza notato, è verissimo che i parroci locali esercitarono la giurisdizione parrocchiale nelle due case dei Rettori Nannini e Fanucchi, ma esse non erano il Seminario, sebbene le private abitazioni di due Rettori. E certo non si pretende da nessuno che le case appartenenti a S. Michele (sieno Canonici, Beneficiati, Seminaristi o Superiori del Seminario) siano esenti dalla giurisdizione dei parroci locali : ciò non è detto nella Bolla di Leone X ma i beni appartenenti alla Chiesa Collegiata sì, e questo è detto nella Bolla: *Et quod Ecclesia S. Michaelis et eius bona quaecumque... a loci Ordinario et aliis quibuscumque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fun g entibus... penitus et omnino exempta etc.* ».

Ex adverso parochus ad S. Mariae Forisportam advertit, ei consuetudinem certe suffragari quia parochi semper exercuerunt suam iurisdictionem in alumnos clericos sive seorsim commorantes sive in convictum adunatos.

Deinde notat, exemptionis privilegium non observari nisi apertissime probetur, utpote contrarium iuri communi seu Concilio Tridentino *in Sess. 23 cap. 18 De ref.* quod iussit, Seminaria subesse Ordinariis locorum. Exinde recolit parochus in quadam causa - *Seminarii* - agitata apud S. Congr. EE. et RR. die 3 Sept. 1864 quum Clerici Regulares sibi vindicarent plenam immunitatem etiam, quoad munera parochialia, favore Seminarii in earum aedibus erecti et pro-

babilissimas ediderint rationes, nihilominus Pontifex magis quam recognoscere hoc privilegium, ex novo concessit, tamen appositis limitibus, nimirum : « SSmus annuit iuxta preces cum exemptione tam Seminarii quam adnexae Ecclesiae... salva tamen eidem parocho quarta funeraria in casu obitus alumnorum etc. ».

Praeterea probat parochus, expostulari expressum concessionis decretum ad constituendam controversam immunitatem, ex ratione agendi Pii IX qui Const. *Cum Romani* a. 1853 disertis verbis tum Seminarium Romanum tum Seminarium Pium a cuiuslibet parochi iurisdictione immunia voluit et exempta.

Ad rem, notat parochus, immunitatem Seminarii eo spectare tantum ut Decanus ipse moderetur Seminarium tum in administratione bonorum tum in re litteraria , philosophica et in sacris disciplinis ordinandis , sed eiusmodi immunitatem non pertingere ad munia parochialia quia nullibi cavetur. Neque immunitatem evinci posse contendit ex eo quod Seminarium adnectitur Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis, quia ait, canonicorum aliorumque immunitatem intelligendam esse quoad *forum iudiciale** nimirum in causis *beneficialibus, spiritualibus, criminalibus,* civilibus et aliis quibuscumque, iuxta Bullam Leonis X et concludit : « Ma tale esenzione non ha che fare colla giurisdizione, parrocchiale. Salvo il diritto di sepoltura nella propria Chiesa, i Canonici sono parrocchiani delle parrocchie in cui hanno domicilio e non è mai avvenuto che si siano fatti amministrare i sacramenti dal Parroco di S. Michele o da alcuno del loro Collegio, o da loro designato, escludendo il parroco locale. La giurisdizione del Decano e *Y* esenzione di lui e della Collegiata dall' Ordinario locale non arriva alla cura delle anime per la quale la stessa parrocchia di S. Michele, come è deciso dalla S. Sede, il Decano e i Canonici sono soggetti all'Ordinario Diocesano ».

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Modo pro meo munere aliqua advertam in utramque partem quaestionis. Iamvero de

exemptione Seminarii Decanalis S. Michaelis, alia vice, apud S. C. C. agitata est controversia. Nam volutans S. C. C. Thesaurum Resolutionum, reperi a. 1852 die 15 Martii et 29 Maii ad S. C. C. discussam et resolutam fuisse controversiam Archiepiscopum inter et Seminarium Decanalem excitatam de Seminarii exemptione a iurisdictione Archiepiscopali ; et S. C. C. rescriptum diserte asseruit Seminarii exemptionem. Nam propositis rogandi formulis, in Lucana, *Exemptionis* - I. *An alumni Seminarii Decanalis legibus ac mandatis Episcopi dioecesani subiaceant in casu.* II. *An Episcopus dioecesanus dictos alumnos a sua dioecesi et ab Ordinibus excludere possit quia non obediunt suis legibus et mandatis quotiescumque in iis requisita a SS, Canonibus ac praecipue a Concilio Tridentino concurrant in casu.* Et quatenus negative, III. *An excepto examine coram Ordinario, iudicium de reliquis conditionibus respective necessariis pro suscipiendis ordinibus specialiter quoad doctrinam et mores ad Archiepiscopum, seu potius ad, Decanum pertineat in casu;* IV. *An et quonam numero admitti debeant alumni in eodem Seminario independenter ab Archiepiscopi auctoritate in casu;* V. *An, praeter scholas Grammaticae et Musices superiorum etiam ac sacrarum facultatum instituta tradi possint in eodem Seminario in casu.* S. Congregatio die 13 Martii]852 respondit: - *Dilata ad primam omnino et infallanter.* Repropositis hinc iisdem dubiis, S. Congr. rescripsit: Ad primum - *Negative, exceptis dispositionibus Tridentinis super exemptis.* Ad secundum - *Provisum in primo.* Ad tertium - *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad quartum - *Arbitrio Decani.* Ad quintum - *Affirmative,* - die 29 Maii 1852.

In folio autem huius causae duo referuntur quae maximi ponderis sunt. Primo, advertitur Bullae Leonis X concedentis exemptionem, fuisse adiectam clausulam - *sublata* - irritantem contrarias consuetudines.

Secundo, refertur, olim dubium ortum fuisse an Decanus foret nec ne Ordinarius in supradicta Ecclesia, et sub die

25 Sept. 1667 a speciali Congregatione Clementis IX auctoritate constituta, responsum fuisse : « *Decanum in dicta Ecclesia Collegiata... et super eius personis ac bonis esse Ordinarium... ita ut in eadem Ecclesia et super eius bonis... nec non canonicis et personis quibuscumque iurisdictionem ordinariam obtineat* ». Eiusmodi vero exemptionis ius comprehendere etiam Seminarium a Sixto V constitutum et a Leone XII restitutum, videtur evidentissime evinci ex modo relata responsione S. C. C.

Verum hodierna quaestio illuc spectat, ut definiatur an haec exemptio tanta sit ut assurgat ad alumnos Seminarii quod attinet iura quoque parochialia. Porro exemptio ab Archiepiscopi iurisdictione posset intelligi tantum quoad forum externum, seu externum regimen, minime vero quoad pastoralem iurisdictionem *fori interni* quam et Archiepiscopus et parochus exercent in *foro interno.*

Ad rem iuvat recolere, quoad iura exemptionis tres distingui species Praelatorum inferiorum quas species ita describit Benedictus XIV *De Sgn. lib. II. cap. 11, a. 2.* « Prima est eorum qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicuius Ecclesiae, monasterii, seu conventus cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi. Eiusmodi sunt Superiores Regulares et nonnulli Praelati saeculares qui una cum Ecclesia, eiusque Ecclesiae clericis et administris quibus praeficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici. Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim qua undique circumscribitur. Et/eiusmodi Praelati improprie tantum et lato quodam loquendi modo dicuntur esse *Nullius.* Tertia species est Praelatorum, qui iurisdictionem activam habent in clerum et populum alicuius loci seu oppidi aut plurium locorum et oppidorum quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi ».

Atqui Decanum Ecclesiae S. Michaelis ad primam horum classem spectare, exploratissima res est. Vi autem exem-

ptionis passivae a potestate Episcopi obtinent quasi-Episcopalem iurisdictionem videlicet ordinariam in utroque foro in certum personarum genus intra *septa* alicuius Ecclesiae habitantium, minime vero in clerum et populum extra illa septa degentes, prouti observatur in Superioribus Regularium. Imo etiam in themate hoc factum fuisse patet et sedulo advertendum est. Siquidem quamvis Litterae Privilegii exemptionis edicant : « Decanus Sedi Apostolicae dumtaxat, canonici vero et capellani et clerici____decano et Sedi praedictae dumtaxat subiecta et subiecti quoad omnia existant », nihilominus quia intra septa Ecclesiae commorari non solent, tum Decanus tum singuli canonici, capellani subiecti fuerunt iurisdictioni parochorum in quarum paroeciis sedem fixerunt uti testatur Decanus in allatis animadversionibus. Ad rem De Prosperis *De territorio separato\, quaest. 7, n. 4* docet : « Praeterea privilegia eximentia monasteria ac alia loca ecclesiastica et eorum membra non eximunt castra cum clero et populo ideoque non concludunt territorium separatum, sed exempti dicuntur habere tantum iurisdictionem in personis existentibus intra septa monasteriorum non autem in locis per *cap. 9 Per exemptionem tit. De privil. in 6* ».

Verum est adesse veluti quartam speciem, Praelatorum qui in personas sibi subiectas iurisdictione quasi-episcopali potiuntur, quam exercent in quocumque loco istae personae existant et eiusmodi sunt Vicarii Castrenses sive Cappellani maiores quorumdam exercituum v. g. in Austria, in Hispania. Ast huic speciei sane accenseri non potest Decanus S. Michaelis; quandoquidem neque in Bulla ista iurisdictio personalis conceditur, neque in praxi unquam fuit executioni demandata, prouti advertebam. Ceterum, neque in alumnos Seminarii concessam fuisse Decano hanc iurisdictionem in personas, patet aperte ex Bullis Institutionis sive Sixti V sive Leonis, qui Pontifices plenam tribuerunt ordinariam iurisdictionem, immunem a potestate Episcopi, in Seminarium quando istam non exercebat et ne exercere qui-

dem poterat Decanus in alumnos Seminarii, utpote qui communem vitam in Sede Seminarii non agebant.

Inde sua argumenta deducit parochus ad S. Mariae *Forisportam,* contendens Seminarii exemptionem coarctari ad eius ordinationem, regimen, disciplinam quoad studia, aliaque necessario connexa cum disciplinis sive prophanis sive ecclesiasticis in Seminario tradendis, minime vero producendam eiusmodi potestatis exemptionem esse ad munia parochialia ; quae reapse parochus exercuit in Seminarii clericos alumnos sive seorsum degentes sive cum Moderatore Seminarii in conventum adunatos. Posse vero conciliari loci alicuius exemptionem cum iuribus parochialibus exercendis a parocho in personas hac exemptione, una vel alia de causa, non fruentes, videtur posse deduci ex quadam causa Viennensi *Iurium parochialium* in qua agebatur de domo conducta a Commendatario Ordinis Theutonici, et ab eo inhabitata. Cum autem inter parochum S. Stephani in cuius paroecia, Commenda sita est et commendatarium exortae fuerint controversiae circa ius administrandi Sacramenta et alia iura parochialia exercenda intra dictae Commendae septa, proposita fuerunt haec dubia: I. *An et cui competat ius administrandi Sacramenta et alia iura parochialia exercendi in domo et intra septa commendae Sac. Ordinis Theutonici Civitatis Viennen, tam quoad familiam Commendatarii quam quoad subditos, vassallos, et colonos Commendae et alios inquilinos eiusdem domus in casu.* Et quatenus affirmative, respectu parochi quoad meros inquilinos, II. *An parochus teneatur petere licentiam a Commendatario pro tempore ad effectum ingrediendi domum et septa Commendae ibique administrandi eisdem inquilinis sacramenta et alia iura parochialia exercendi in casu;* S. C. C. die 13 Iulii 1725, rescripsit: Ad primum, *Competere parocho quoad inquilinos et quoad reliquos scribatur Nuntio et Archiepiscopo iuxta Instructionem.* Ad secundum *Negative.*

Alumnos autem Seminarii modo inibi ducentes vitam communem revera parochus habet quasi inquilinos, quippe

•qui prouti antea cum Moderatore aliam domum conduxerant ita nunc novam incolunt sedem Seminarii utpote magis amplam.

Illud sane extra dubitationem versatur, nempe Decanum nunquam in suos * sive canonicos sive clericos curam exercuisse animarum et modo exercere contendit ea tantum de ratione quia Seminarii domus est exempta. Verum quoad Decani instantiam adverti debet, Seminarii exemptionem fuisse concessam et confirmatam a SS. Pontificibus seiunctam a cura animarum. Nam a sua institutione usque ad hos postremos annos Seminarium extitit exemptum sed in suo conceptu separatum a communitate alumnorum ; quocirca huiusmodi Seminarium proprius academia seu Lyceum -clericis instituendis destinatum appellari oporteat.

Proinde si hodie Decanus in clericos sibi arrogat plenam iurisdictionem quasi-Bpiscopalem et hinc etiam ad curam animarum, recurrit ad suam Ordinariam iurisdictionem acquisitam per Bullam Leonis X et munitam clausula *sublata* adversus contrarias consuetudines. Nihilominus iterum advertitur, hanc iurisdictionem exerceri tantum intra septa Ecclesiae, prouti eamdem exercebant Canonici Lateranenses, quibus suffecti fuerunt Decani et Canonici Ecclesiae Collegiatae Saecularis S. Michaelis prouti narrant documenta. Quamobrem perpendendum est an hodie isti clerici dici possint ingressi fuisse septa Ecclesiae; quia Seminarium est Ecclesiae exemptae pars et accessorium, et accessorium sequitur principale.

At versamur in materia odiosa quia agimus de privilegio exemptionis, proinde quantumvis admittamus, Decanum esse Ordinarium suorum Canonicorum et Clericorum eamque iurisdictionem eum minime extinsisse per non usum ob clausulam *sublata* irritantem ; et ponamus in clericos iurisdictionem parochialem non administrasse quippe eosdem coadunare Decanus non valeat in Seminarii Sedem ; et exinde impedito tempus non decurrisse : nihilo secius nemo non videt rem premi pluribus difficultatibus et in dubio forsan ius

commune praevaluisse privilegio. Nimirum in praesentiarum obversatur novus casus, quem neque prae oculos habuisse neque intendisse Pontifices ius exemptionis concedentes, asserere 1. cit.

Quocirca subiit mentem decisio S. Cong. EE. et RR. iam citata, diei 3 Sept. 1864 in causa cuius haec erat factispecies. Aderat aedificium in urbe una cum publico templa a loci municipio in usum Clericorum Regularium aedificatam, iisdemque irrevocabili donatione concessum. Adveniente Regularium suppressione istud in usum Seminarii dioecesani fuit concessum, atque parochus loci sua iura parochialia in eo Seminario exercuit. Regulares in pristinum restituii, aliquo post tempore, ab Episcopo rogati ut Seminarii curam susciperent, morem gerentes, idem aedificium numero duodecim inhabitarunt ac Seminarii regimen et institutionem susceperunt. - Cum autem loci parochus antea iura parochialia exercuerit, nominatim vero ius extrema sacramenta administrandi, funus peragendi, atque benedicendi Seminaria Sabato Sancto, passus non est ut, Clericis Regularibus advenientibus, ab his iuribus exercendis repelleretur, et formalem promovit quaestionem apud S. C. EE. et RR. Res fuit ex una et ex altera parte diligentissime discussa ; cum vero Regulares visi sint non satis evinxisse suam intentionem adversus parochum, Pater Generalis quaestionem definiri petiit ex venia Pontificis qui ita rescripsit : « SSmus annuit iuxta preces cum exemptione tam Seminarii quam adnexae Ecclesiae ibi erectae a iurisdictione parochi, salva tamen favore parochi quarta funeraria in casu obitus alumnorum et Seminario actu inservientium dummodo intra eiusdem Seminarii septa resideant ». Uti patet in rescripto, non tantum ratio habita est alumnorum, sed laicorum quoque hominum Seminario inservientium ; et de his cavendum est quoque in themate, eo magis quod ad eiusmodi personas difficilius pertrahitur nativa Decani iurisdictio.

Denique advertere praestat, Decanum ius tumulandi et funerandi libenter concedere parocho ; ait enim in libello :

« Noi qui certo non intendiamo di sostenere anche questo ultimo diritto, sia perchè non c' è in questione, sia perchè il Seminario non ha cimiterio proprio : se mai il cimitero T ha la Chiesa di S. Michele e quindi si potrebbe questionare se T *ius funerandi et tumulandi* riguardo a quelli che muoiono nel convitto del Seminario spetti al parroco di S. Maria oppure a quello di S. Michele ». Revera omnes de clero exempto, uti tradit ipse Decanus, ius habebant sepulturae in Ecclesia S. Michaelis.

Die 24 Ianuarii 1902 rogandi formulae : « *An constet de exemptione Seminarii Decanalis a iurisdictione parochi S. Michaelis Forisportam in casu* », S. C. C. rescribere placuit: « *Dilata et audiatur Archiepiscopus* ». Iussa feci EE. PP. et de sua sententia percontavi Archiepiscopum, qui litteras dedit sub 19 Feb. 1902, et advertens, sibi in Auxiliaris munere inservire eumdem Dnum Decanum, ait : « Quindi mi torna assai difficile ad esprimere il mio sentimento intorno alla controversia fra il predetto Seminario e il parroco di Santa Maria Forisportam dove esso è situato. Ardisco pertanto di pregare sommessamente di dispensarmi dall' interloquire in siffatta questione ».

Decanus in exhibitis animadversionibus, effuso calamo, disserit *primo,* de natura et extensione privilegii exemptionis et haec recolit verba ex Const. Leonis X, diei 21 Iunii 1518 quae deinde interpretatione explanat. En, in primis, verba Constitutionis : « Et quod Ecclesia S. Michaelis et eius bona quaecumque, nec non Decanus, Canonici, Cappellani, Clerici et personae quaecumque eiusdem Ecclesiae S. Michaelis, tam in beneficialibus, spiritualibusque, criminalibus, civilibus, vel quasi, et mixtis, quam aliis quibusvis causis etiam ratione delicti vel quasi, contractus vel quasi, aut rei de qua agi contingat, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat a Loci Ordinario et aliis quibuscumque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentibus......iudicibus et personis penitus et omnino exempta et exempti...., et Decanus Sedi prae-

dictae dumtaxat, Canonici vero et Cappellani et Clerici et personae praedictae eorumque familiares Decano et Sedi praedictae dumtaxat subiecti quoad omnia existant ». « Il Pontefice (animadvertit Decanus) termina in fine questa Bolla munendola della clausola *sublata* e del decreto irritante : Nos igitur ex tunc irritum decernimus et inane si secus super iis a quoquam , quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae____concessionis infringere____».

« Dopo il S. Concilio di Trento la giurisdizione e i privilegi Decanali li troviamo confermati dal Pontefice Clemente IX in due Brevi degli anni 1667 e 1668 ».

« Tutti questi privilegi e giurisdizione dei Decani furono poi confermati nuovamente da Pio VII, con Breve 15 Settembre 1818. — Omnia et singula privilegia a memoratis Praedecessoribus Nostris Collegiatae praedictae, ac nobis vestrisque successoribus vel generaliter vel specialiter concessa____confirmamus et approbamus. — Finalmente anche la S. Congr. dei C. il 3 Sett. 1825 dichiarò che il Decano di S. Michele *suam Ecclesiam regit iure ordinario:* Leone XII nel Breve dei 23 Maggio 1826 disse il Decano *Ordinarius sui Cleri et Paroeciae ».*

« Venendo poi al Seminario in specie, lasciati da parte altri documenti, il Pontefice Leone XII con Breve dei 23 Maggio 1827, ricostituendolo dopo la sua soppressione, avvenuta per opera della rivoluzione francese, pose a capo di detto Seminario il Decano ».

« Ma molto più la piena e illimitata giurisdizione accordata ai Decani, anche *in spiritualibus,* e la totale esenzione dal Diocesano, apparisce dalla Bolla di Leone X, e dal Breve di Clemente IX, nei quali si dice la Chiesa di S. Michele, beni e pertinenze, non che le persone tutte *a loci Ordinario penitus et omnino exempti,* e invece *subiecta et subiecti* al Decano *dumtaxat et quoad omnia,* ed espressamente si dice anche *in spiritualibus ».*

« Tutto ciò è conforme anche alle regole di diritto ca-

nonico, poiché i Prelati inferiori esenti, sono nelle loro Chiese Ordinarii: Tamburini *De iure Abb. et Praelat, in f. tom. U, disp. 1, quest. 4.* Card. De Luca , *De iurisdict, disc. 102, n. 3 e 4 ».*

Hisce positis Decanus probare aggreditur, ipsum potestatem exercere ordinariam etiam in personas omnes sive canonicos sive clericos sive seminarii alumnos, nedum si hi versantur intra septa Ecclesiae, verum etiam si extra illa septa degant. Quare animadvertit Decanus : « Di vero il Pontefice Leone X dice la Chiesa e i beni tutti *penitus et omnino exempta:* ecco l'esenzione locale. Dice di più : *Canonici, Cappellani, Clerici et personae quaecumque exempti et subiecti dumtaxat Decano quoad, omnia:* ecco l'esenzione personale dal Diocesano e subiezione al Decano ».

« Lo stesso è dimostrato *ex absurdis.* Infatti il Pontefice Leone X, erigendo la detta Collegiata, eresse una Collegiata secolare, non regolare. — Auctoritate Apostolica, Prioratum, ac in eo Ordinem S. Augustini et quidquid regulae existit, supprimimus, ac eiusdem Ecclesiae Prioratum in saecularem et Collegiatam Ecclesiam_____perpetuo erigimus » *(Bolla di Leone X).*

« Sapeva quindi benissimo il Pontefice (e lo sapevano i suoi Successori, che confermarono la giurisdizione e l'esenzioni, di cui qui parliamo) che le persone tutte addette alla Chiesa di S. Michele, nè dimoravano nè potevano dimorare *intra septa Ecclesiae,* altrimenti se Canonici, Cappellani, Chierici e tutte le altre persone suddette avessero avuto dimora comune presso la Collegiata, questa non sarebbe più stata secolare, ma regolare ».

« Ad onta di questo il citato Pontefice Leone X dichiarò tutte le summentovate persone *a Loci Ordinario penitus et omnino* esenti, e soggette al Decano *dumtaxat et quoad omnia ».*

« Ora ammesso quel che si sostiene a favore del Parroco di S. Maria, che cioè il Decano possa esplicare soltanto la sua giurisdizione *intra septa, e* non anche *extra*

septa, siccome tutte le persone addette a S. Michele si trovano *intra septa* solo per 1' ufficiatura della Chiesa, come si avvererebbe la concessione di Leone X, che dichiara dette persone dal Diocesano esenti *penitus et omnino,* e soggette *quoad omnia dumtaxat* al Decano ? In realtà il più del tempo le persone, di cui parliamo, sarebbero soggette all' Arcivescovo, per pochissimo tempo al Decano. In altri termini, la concessione di Leone X in pratica si risolverebbe in una concessione illusoria ed irrisoria ».

« Finalmente le due proposizioni finora sostenute , che cioè il Decano ha illimitata giurisdizione anche *in spiritualibus, privative quoad Episcopum* sulle persone a lui sottoposte sia *intra septa,* sia *extra commorantes,* ricevono un' ampia conferma dalla causa agitatasi presso questa Sacra Congregazione fra l'Ordinario di S. Michele e l'Arcivescovo di Lucca Mons. Giulio Arrigoni ; e della sentenza, che terminò questa lite, emessa il 29 Maggio 1852 ».

« Caldamente preghiamo di ponderare bene la cagione di questa lite, e le ragioni hinc inde prodotte ».

« Monsignor Giulio Arrigoni, Arcivesc. di Lucca, non volendo riconoscere la totale esenzione del Seminario Decanale, li 8 Maggio 1850 emanò un decreto del seguente tenore :

« Considerando che gli alunni del Ven. Seminario di S. Michele non vivono collegialmente ; considerando essere necessario assicurare la nostra coscienza in fatto delle loro ammissioni agli Ordini minori e maggiori ; Considerando che perciò stesso debbano essere sotto la vigilanza dei Deputati sopra i Chierici in tutte quelle ore che non sono addetti al Seminario ; abbiamo decretato e decretiamo :

« Art. I. A contare dalla data del presente Decreto, in avvenire di tutti i giovani, che si presenteranno al Sig. Rettore di detto Seminario di S. Michele per essere ricevuti come alunni, dovrà mandarsene nota al Segretario degli Ordinandi, affinchè assegni loro il Deputato ».

« Art. III. Tutti i più volte menzionati alunni per tutto

ciò, che riguarda *Y* ammissione agli Ordini, vengono dichiarati soggetti al vigente Regolamento emesso da Monsignor Vicario Capo sotto il dì 12 Maggio 1844, da Noi confermato in tutte le sue parti.

« La deputazione, di cui si parla nel citato decreto, è composta di alcuni sacerdoti, che hanno *Y* incarico di vigilare la vita, i costumi e la condotta dei Chierici della Diocesi, che non convivono nel Seminario, e alla sorveglianza di questa Deputazione voleva Mons. Arrigoni sottoporre anche i Seminaristi di S. Michele ».

« Contradisse subito a queste pretese 1' Ordinario della Collegiata di S. Michele riportando - amplissima verba, quibus in sua Bulla a Leone X privilegium omnimodae et universalis exemptionis ab Archiepiscopi iurisdictione Decano concedebatur in suos Canonicos et clericos quoscumque, - e da queste arguiva - eamdem exemptionem non realem unice, sed vere personalem fuisse et esse iudicandam. E poco più sotto : - Quod si ex dictione ibidem, quae in Bulla Leonis XII adest, arguere vellet Archiepiscopus iurisdictionem et exemptionem mere localem, non inde sequeretur alumnos Seminarii S. Michaelis exemptos haud esse a iurisdictione extra septa ipsius exempti loci : clerici enim Seminaristae S. Michaelis, non modo quia manent in Seminario, seu in loco exempto, Decano subiiciuntur, sed quia addicti sunt Ecclesiae S. Michaelis generali privilegio per Bullam Leonis X a Decano dependent - ».

« E la S. Congregazione dando prima ragione all' Ordinario di S. Michele, ai quesiti: I. *An Alumni Seminarii Decanalis legibus ac mandatis Episcopi Dioecesani subiaceant in casu.* II. *An Episcopus Dioecesanus dictos alumnos a sua dioecesi et ab Ordinibus excludere possit, quia non obediunt suis legibus et mandatis.* Rispose : *Negative* ».

« Ora da queste risposte risulta nel modo più certo che la S. Congregazione ritenne i Seminaristi di S. Michele esenti dal Diocesano e invece dipendenti dal Decano in tutto,

anche *in spiritualibus,* e non solo quando *degunt intra septa,* ma anche quando *extra commorantur ».*

Hanc iurisdictionem reapse exercuisse in alumnos sui Seminarii Decanos, probare nititur hodiernus Decanus nonnulla exhibens documenta.

« Finalmente attestano la consuetudine, da noi sostenuta gli ecclesiastici di Lucca più distinti per sapere e virtù ».

« Antonio Dell' Immagine, anch' esso Canonico della Metropolitana visitatore, eletto da Mons. Arcivescovo esso pure attesta che Monsignor Ghilardi nei suoi oltre 25 anni di Episcopato non ha mai visitato il Seminario Decanale, e attesta la piena esenzione, di questo dal Diocesano ».

In altera parte suae orationis Decanus pressius considerat hoc exemptionis ius relate ad iura parochialia, et haec animadvertit :

« Ma per ipotesi ammettiamo pure che esplicitamente I' esenzione della giurisdizione parrocchiale nella citata Bolla non sia nominata, questo però è evidente e per i citati documenti Pontifici, e per la risoluzione di questo s. Ordine del 1852, e per la costante e non mai interrotta osservanza •che tanto il Seminario di San Michele, quanto i Seminaristi godono della più ampia esenzione (esenzione locale e personale) anche - in spiritualibus a loci Ordinario e che la correzione dei costumi e il diritto della S. Visita Pastorale, per riguardo ai suddetti, non appartiene al Diocesano, ma all'Ordinario di S. Michele. - Atqui - un istituto posto in queste condizioni, secondo l'insegnamento dei DD., è esente anche dalla giurisdizione parrocchiale. Dunque ecc. ecc. ».

« Proviamo la minore. - Sublata et Ordinario, si legge neu' opera dello Scarfantonio *Addici. 48, sub med..,* etiam visitatione et correctione, quae magis pertinent ad curam animarum, sublata quoque est quaelibet Parochi iurisdictio, quae est subordinata iurisdictioni Ordinarii, cum Parochus in cura animarum sit coadiutor et veluti vicarius Episcopi - Can. *Bonae rei 12, q. 2;* Barbos. *De Paroch. cap. 9, n. 1 ;*

Fagnan, *in cap. Litterae, n. 12 et 18 de matrim, contracta contra interdici. Eccles.* ».

« Anche la dottrina dei dottori, confermata dalla giurisprudenza ecclesiastica, ci sembra venire in appoggio della nostra tesi. Infatti essi insegnano concordemente che nessuna persona o dignità può esplicare atti di giurisdizione sopra i luoghi e le persone esenti. Così il De Prosperis alla *decis. 24, n. 31,* riportando due decisioni della Rota R. deL 29 Décembre 1596, e del 1 Giugno 1708 - *ivi:* - Nulla persona vel dignitas valeat exercere ordinariam iurisdictionem super illo loco, super illa persona, quae sub tegmine B. Petri et S. Sedis custoditur -. Gli esenti sono equiparati ai non sudditi: - Exemptus aequiparetur non subdito -.. Ricci, *decis. Curiae Archiep. Neapolit. p. 1, dec. 163, n. 12.* - Locus exemptus et locus extra dioecesim iudicantur a pari Rota R. *Decis. 107, n. 3* ».

« Il Seminario pure di Tortona è esente dalla giurisdizione del Parroco locale, ed i Seminarii del Milanese ».

« A tutto questo si aggiunga che altri Seminari si trovano esenti dalla giurisdizione del parroco locale, in Lucca ».

« In quanto ai Seminari di Francia ci asserisce il Bouix, *Tractatus de Iur. Reg. N. 2, p. 5:* - In Seminariis Galliae, verbi gratia, aegrotantibus iuvenibus non a parocho, sed a Seminarii directoribus viaticum et extrema Unctioministratur - ».

« Finalmente, il Vescovo può esentare dalla giurisdizione parrocchiale il suo Seminario : consta della risoluzione della S. Congr. del Concilio in Conimbricen., *Exempt. Semin.* del 12 Marzo 1757; e lo insegna il Bouix */. c.* - Bene posse aliquod personarum collegium, aut alium locum pium per solam Episcopi auctoritatem eximi ab obligatione paschalem communionem excipiendi in parochia, nec non recipiendi a parocho extremam Unctionem - ».

« Ma ammettiamo pure che i Decani certe volte sieno stati negligenti, che alcuni atti di giurisdizione li abbiamo lasciati esercitare dai parroci locali ; si deve dire ciò averd

pregiudigato all' autorità del Decano, e giovare ora alla tesi del Parroco di S. Maria? No e per molte ragioni :

« 1. Perchè i Diplomi pontifici, coi quali si accordano le esenzioni e i privilegi decanali sono tutti muniti della clausola *sublata,* e del decreto irritante ».

« 2. Perchè - Privilegium ordinariae iurisdictionis a Papa concessum in iure prorsus individuo consistit, propterea communiter admittitur a doctoribus, nonnullos iurisdictionis actus iuxta naturam causae universalis, a quo descendunt, inducere et conservare possessionem ipsius iurisdictionis in universum, ex deductis per *Post. de manutent. obser. 83, n. 137* , et ex pluribus aliis doctoribus in cap. *Dilectus de C appell. Monac.* praesertim Innoc. *n. 3,* Ioan. Andr. *n. 8,* et Rota in decisionibus allatis a Barbosa dict. cap. *Dilectus n. 6,* et ad retinendum privilegium sufficit si doceatur de usu respectus alicuius rei vel actus cum causa utentis sit universalis-. Felin, in cap. *Audistis, n. 19, Depraescript.* ».

« E che questo sia il caso nostro, ce lo dicono l'istruzione religiosa, la correzione dei costumi, la Visita pastorale, -> quae magis pertinent ad curam animarum -, sempre esercitate dai Decani ; la comunione pasquale, sempre impartita in Seminario ecc. ».

« 3. Perchè quand' anche qualche superiore del Seminario non tosse stato vigilante, e avesse lasciato invadere le esenzioni del Seminario, nulla nuocerebbe pel principio di diritto comune che la pazienza, la negligenza e 1' abdicazione dell' antecessore, come non oltrepassa la sua persona, così non pregiudica mai al successore ».

« 4. Perchè la Collegiata di 3- Michele, Seminario e persone tutte, come abbiamo detto più sopra, per volontà dei Sommi Pontefici, sono totalmente esenti dalla potestà del Diocesano e immediatamente soggetti alla S. Sede. Ora sebbene possa talvolta un privilegio limitarsi, e anche perdersi totalmente, per atti contrari (Card. De Luca, *De iurisd. disc. 7, n. c.)* nel tema nostro però gli atti contrari non avrebbero potuto arrecare pregiudizio per la regola che è

assolutamente proibito agli agenti di sottoporsi all'Ordinario, ed a qualsiasi altra potestà senza il beneplacito pontificio, dappoiché interessa moltissimo al Superiore che i suoi sottoposti non siano da altri giudicati e che 1' esercizio della sua giurisdizione si conservi in tutta la sua pienezza. - Solus Pontifex potest concedere licentiam, ut exemptus suae exemptioni renunciare possit - (Barb. *De iur. eccl. lib. 1, c. 2* n. 172.* Cfr. Abb. *in cap. 1, n. 19, De re iudic, et in cap. Si de terra, n. 5, De Test., in cap. Cum tempore, De arbitr.* Kochier, *De iurisdict, ordin, in exe?nptos tom. 1, pars 2, quaest. 34, n. 2 et 3) ».*

« Ma poi non ci sembra conforme a verità che la vita comune come ora è stata introdotta in Seminario, sia un caso nuovo, che i Pontefici non ebbero dinanzi agli occhi e perciò non intesero. Perchè i Pontefici come appare leggendo le loro Bolle, concessero ai Decani, di avere un Seminario vero e proprio. Potevano benissimo i Decani istituire subito nel loro Seminario la vita comune anche nel vitto e pel dormire, come è stato fatto ora. Se per questa sola parte la comunità non fu introdotta (pel resto abbiamo veduto che la vita comune esisteva) fu per mancanza di mezzi, di locale adatto ecc. E questo impedimento non può aver certo nociuto in nulla alla autorità Decanale. Parimente è certo che il parroco locale non ha mai esercitato atti di sua giurisdizione sul detto Seminario, nè mai, in specie dato la benedizione al medesimo in occasione della S. Pasqua ».

« A conferma di ciò si esibiscono varii attestati ».

DEFENSIO PAROCHI S. MARIAE. - Ex adversa parte parochus S. Mariae nonnulla deduxit. - Advertit, fundamentum iurisdictionis certe, esse Bullam Leonis X, sed hanc Constitutionem non decernere nisi de causis *beneficialibus? spiritualibus, criminalibus, civilibus, vel quasi, vel mixtis;* et exinde quoad *forum externum* intelligi hanc exemptionem et haec negotia innui dumtaxat dum statuitur quod « Decanus Sedi Apostolicae et Canonici et Clerici omnes

Decano subiecti quoad omnia existant ». Praeterea parochus haec advertit :

« Ma il migliore intérprete dei privilegi apostolici è la Santa Sede. Furono già sottoposti al suo giudizio alcuni dubbi in materia di relazioni fra Decano e Capitolo, ed i seguenti fanno a proposito: I. *An Decanus sit ordinarius in supradicta Collegiata Ecclesia, ita ut super eius personis et bonis obtineat ordinariam iurisdictionem.* II. *An causae omnes dictam Ecclesiam:, eius personas ac bona concern entes sint in prima instantia coram Decano necessario cognoscendae ac terminandae ».*

« Le risposte che emanano da una Congregazione speciale di Prelati della Curia Romana, deputata *ad hoc* dal Sommo Pontefice Clemente IX, dell'anno 1667, sono le seguenti :

« Ad I. Decanum in dieta Ecclesia Collegiata Sancti Michaelis, ac super eius personis ac bonis esse ordinarium, *ad limites tantum Litterarum Leonis X,* dat. IV Kal. Iulii 1518; ita ut in eadem Ecclesia et super eius bonis quibuscumque, nec non Canonicis, Clericis et Personis quibuscumque eorumque familiaribus iurisdictionem ordinariam obtineat, tam in beneficialibus, spiritualibus, criminalibus, civilibus, vel quasi, et mixtis, quam aliis quibusvis *causis,* etiam ratione delicti, vel quasi, aut rei de qua agi contingat, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, et Ecclesiae bona, Canonici, Cappellani, Clerici, Personae et familiares huiusmodi eidem Decano et Sedi Apostolicae dumtaxat subiecta et subiecta quoad omnia existant ».

« Ad II. Enarratas *causas* omnes in prima instantia coram Decano Ordinario, *ut supra,* esse omnino cognoscendas, ac terminandas ad praescriptum S. Concilii Tridentini in Cap. *Causae omnes,* Sess. 24 *de Reformatione* ». - Qui, come nella Bolla di Leone X, si parla di *cause* e di *giudizio in prima istanza,* ma non di cura d' anime e relativa giurisdizione.

« Vero è che la Bolla di Leone X paria di cura d' a-

nirae appartenente al Decano e Capitolo di S. Michele relativamente alla parrocchia stessa di S. Michele. Infatti al paragrafo surriferito ne segue uno del presente tenore : - Quodque dictae Praepositurae in divinis deservire, ac illius Parochianorum animarum curam exerceri per Cappellanum, seu Presbyterum ad id per dictum Sylvestrum Episcopum quoad vixerit, et eo vita functo , per Decanum et Capitulum Ecclesiae Sancti Michaelis huiusmodi ad eorum respective nutum ponendum et amovendum valeat, perpetuo statuimus et ordinamus - ».

« Ma qui non si fa altro che provvedere all' amministrazione della parrocchia di S. Michele, che preesisteva alla fondazione della Collegiata, ed era in mano dei Canonici Regolari soppressi all'atto della fondazione stessa. Si dispone cioè che resti presso il Decano e Capitolo il diritto di parrocchialità abituale verso la parrocchia di S. Michele, e che essi nominino il parroco attuale, come d' altronde vogliono le disposizioni canoniche generali. Non è quindi affatto parola di autorità ordinaria spirituale conferita al Decano verso chicchessia con esenzione dall' Ordinario locale, che è il Vescovo di Lucca. E ciò è reso più evidente dal parlarsi di un' attribuzione del Decano e dei Canonici insieme ; nessuno vorrà dire che anche questi siano Ordinari, e *quidem* in materia strettamente spirituale ».

« Del resto anche per questa parte viene a proposito l'interpretazione autentica della S. Sede, ed è data colla risposta al 3° dei dubbi suaccennati ».

« III. *An Decano competat ius visitandi praedictam Collegiatam Ecclesiam tam in concernentibus curam animarum,, quam aliis* ».

« Ad III: Decano, ex memoratis Litteris Leonis X, competere ius visitandi dictam Collegiatam, eius Canonicos, clericos et alias personas. Presbyterum vero, qui Parochianorum curam exercet, quoad ea quae ad curam eamdem pertinent, nec non ipsos Parochianos, ut in praedictis litteris non exemptos subesse ordinariae iurisdictioni, ac visitationi

Episcopi Lucani private quoad Decanum, iuxta Consti! utionem fel. rec. Bonifacii, quae incipit *Per exemptionem* ».

« La visita e *Y* autorità ordinaria sono due cose correlative : dove si ha la seconda può farsi la prima, e dove può farsi la prima si ha la seconda. Ma quanto concerne la cura delle anime non può esser visitato dal Decano nè in S. Michele nè in quelle parrocchie sulle quali egli o il Capitolo hanno il diritto di patronato. Tale visita, e quindi tale giurisdizione spetta all'Ordinario diocesano di Lucca ».

Denique parochus observat, hodie quaestionem versari super omnimoda exemptione Seminarii a iuribus parochi S. Mariae, et ipse parochus non patitur, tantum in quaestionem adduci ius benedictionem impertiendi in Sabato Sancto. - Et ad rem notat, controversiae solutionem certe non pendere a conditione hodierna alumnorum Seminarii, qui antea quod Rectorem, hodie in ipsis Seminarii aedibus vitam agunt communem ; siquidem neque tunc neque hodierno tempore omnes alumni commorantur in aedibus Seminarii. Quare parochi semper suum ministerium in alumnos exercuerunt -. Hoc probat potissimum per sequentes attestationes: - Quirico Fanucci parochus ad S. Michaelis *in Foro* haec testatur, die 5 Aprilis 1902 :

« A richiesta dell' Illmo Sig. Curato di S. Maria Forisportam si attesta per la verità che il Convitto del Seminario Decanale, finché è rimasto nel distretto della Cura di S. Michele in Foro, è stato sempre benedetto dal Parroco di questa Chiesa, il quale vi ha pure esercitato liberamente la giurisdizione in due casi di morte che vi successero durante quel tempo. Il primo di questi casi avvenne il 17 Aprile 1886, ed è così registrato sul Libro dei morti dal Curato di allora ».

« Giusti Chierico Antonio, alunno del Seminario Decanale, è passato di questa vita alle ore 5 pom. in età di anni 15, munito della sola Estrema Unzione e della Benedizione Pontifìcia perchè trovato dal Parroco in fine di vita, e nella mattina del dì seguente dalla Compagnia del SS. Sa-

gramento e Sacro Cuore di Gesù è stato associato alla Chiesa ed esequiato privatamente: quindi è stato associato alle Stanze mortuarie e nella mattina del giorno 19 è stato di nuovo esequiato solennemente con tutto il Capitolo e Messa cantata ».

« L' altro caso avvenne il 26 Gennaio 1896 quando era già Parroco il sottoscritto, che amministrò da sè al moribondo alunno Di Vecchio Francesco l'Olio Santo e gli altri conforti estremi, dopo aver dato il consenso, domandatogli dai Superiori del Seminario, di portare essi dalla Chiesa di S. Michele il SS. Viatico all' infermo, per non fargli subire tanta impressione ».

Canonicus Carolus Fambrini ad instantiam parochi, est testatus, die 27 Martii 1902.

« Sono più di trent' anni che entrai in Seminario ; vi sono stato alunno, prefetto, insegnante ; in questo tempo sono morti diversi alunni, fra i quali mio fratello, e non mi sono mai accorto che alcuna persona appartenente al Seminario amministrasse a questi i Sacramenti per incarico del Decano, o anche in genere esercitasse verso gli alunni atti di giurisdizione parrocchiale. Le pubblicazioni per gli Ordini, la benedizione delle case, l'assistenza ai malati, i funerali ai morti sono stati fatti sempre invariabilmente dai parroci delle parrocchie dove gli alunni dimoravano, e questo tanto allora che tutti stavano presso le famiglie private, quanto dal momento che una parte fu riunita nel convitto. Forse i parroci della diocesi di Lucca sono alla dipendenza del Decano, mentre è certo, perchè deciso dall' autorità competente, che nemmeno il parroco di S. Michele dipende da lui, e per ciò che riguarda la giurisdizione parrocchiale egli stesso dipende dal parroco di S. Michele, finché sta entro la sua parrocchia ?

« Si capisce perfettamente come i parroci non abbiano, per esempio , preteso che gli alunni si presentassero alle parrocchie per la Comunione Pasquale, o per ricevere *Y* istruzione religiosa, dal momento che erano accertati che ciò

avveniva in Seminario. Ma, se non ho veduto sempre una cosa per un' altra, posso affermare che quanto concerne diritti parrocchiali è stato sempre, senza contrasti di sorta, eseguito dai parroci delle parrocchie ove gli alunni dimoravano. Anzi ho presente il fatto che, quando pochi anni fa un alunno si trovò a morte nel convitto in parrocchia di S. Michele , per diminuirgli l'impressione, il Rettore chiese al parroco di potergli dare da sè il Viatico, ed il parroco consentì, poi il parroco stesso amministrò l'Estrema Unzione e compì gli uffici funebri, come sempre è avvenuto. Ma di fatti in questa materia ella potrà avere le prove abbondanti da tutti i parroci ».

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. - Nunc, pro meo munere, aliqua advertam in utramque partem. - Iamvero perlegenti textus sive Constitutionum sive declarationum, hac de re, editarum a S. Sede omnimoda videtur exemptio Decano concessa in suos sive Canonicos sive Seminarii alumnos quoad omnigena negotia tum externi tum interni fori. Sane Leo XII. - In Brevi *Recolentes* statuit ut *canonicorum Becanus Ecclesiae S. Michaelis in illud* (Seminarium) *omnimodam habeat iurisdictionem;* et passim in Bulla Leonis X et alibi Decanus praedicatur *siti cleri Ordinarius.* Et eiusmodi rationem loquendi, iurisdictionem quoque posse significare et comprehendere quoad exercitium munium parochialium nemo sane dubitat. Neque obstat, quod paroecia S. Michaelis *in Foro* non fruatur hac exemptione a iurisdictione Ordinarii loci quia haec paroecia amplectitur parochianos omnes commorantes intra fines huius paroeciae ; Decanus vero suam iurisdictionem exercet tantum in canonicos et clericos Ecclesiae Collegiatae.

Verum ex alia parte nemo non scit, consuetudinem esse optimam legum et privilegiorum interpretem eamdemque consuetudinem vim habere quoque derogandi legibus aut privilegiis, quando sit legitime praescripta. Privilegia autem exemptionis, quippe quae iuris favore non fruuntur, faciliori negotio sunt obnoxia praescriptioni. - Atqui in probatis

existit, neque clericos sibi vindicasse ius immunitatis a iuribus singulorum parochorum, quorum in finibus parochialibus commorati sunt. Equidem prouti testes referunt, tum Decanus, tum Canonici nunquam refragati sunt quominus recenserentur inter parochianos alicuius paroeciae, et a parocho sui domicilii omnia munia parochialia participarent et susciperent. Quod adeo verum est ut hodie Decanus unum tantum contestetur parocho *loci,* ius parochiale, videlicet ius benedicendi aedes Seminarii in Sabato Sancto. - Neque obiici valet, hactenus neque canonicos neque Seminarii alumnos hac immunitate a iurisdictione parochiali usos esse quia nunquam vitam instituerunt communem sub regimine Decani ; hodie vero hanc vivendi rationem instaurasse Seminarii alumnos, et hos, proinde, frui modo coepisse privilegio, quo antea frui non poterant ob adversam quamdam rerum conditionem ; namque omnibus scitum est privilegio amitti potissimum *per non usum.* - Docet Card. D'Annibale I, 229 : « Ex parte privilegiati cessat (privilegium) per renunciationem, per non usum, per abusum... Per non usum {vel usum contrarium) ea sola privilegia intercidunt quae laedunt ius tertii, postquam is adversus ea praescripserit modo ac tempore a legibus definito ». Eiusmodi exemptionem autem laedere ius Ordinarii loci probatione non indiget. Compertum siquidem est, Episcopum habere fundatam intentionem pro exercitio omnimodae iurisdictionis ordinariae in quovis loco et in personis omnibus intra fines suae dioecesis existentibus, uti post text. in cap. *Cum persona De primi, in 6;* cap. *Sane* 11 *De off. deleg,* docent Barbosa *De off. et pot. Epis. part. 3, alleg. 123, num. 8, dec. 372, n. 1, part. 6 recent.* - Exemptionis autem privilegium inter res odiosas recenseri, Rota *dec. 75 n. 4 inter nuperr.,* ideoque nedum ultra suos limites haud extendendum venit cap. 1 *De priv. in 6 ;* nec aliter intelligendum aut accipiendum quam in rebus sic stantibus tradit Pignatelli *Consult, can. 8, tom. 7, n. 14,* ita ut exemptus in una re non censeatur exemptus in alia, cit. Pignatelli *consult. 45,*

tom. 3, num. 8; sed insuper docendum est de ipsius legitima et minime contradicta observantia cum nihil inductum privilegium suffragari valeat, nisi item probatur quasi-possessio exemptionis. Barbosa *De off. Episc. Alleg. 123, n. 34 sq.;* et Rota *Decis. 492, n. 4, part. 1 recent.* Idque etiam quoad individuales actus sentiendum ; tralatitium cum sit quod sicut privilegium per omnimodum non usum vel contrarium in totum amitti potest ita et per usum limitatum minui potest seu in partem amitti, etiam tamquam ex tacita renunciatione, docet De Luca *De iurisd. disc. 7, n. 5;* Tondut. *quaest, benef. lib. 1, cau.67, n. 13;* Rota in *Qiennen.* 12 Maii 1704 n. 27 coram Molines.

Verum obiicit Decanus exemptionem non posse amitti per non usum seu quasi per renunciationem tacitam nisi accedat consensus Rom. Pont. quia exemptus Ei immediate subiicitur. Sed e contra, explorati iuris est, exemptum non posse simplici sua renunciatione amittere exemptionem cum sine licentia Sedis Apostolicae non possit suae libertati ad ius et proprietatem Sedis Romanae pertinenti renunciare, sed ipsam exemptionem amitti praescriptione, uti tradit cum communi Schmalzgrueber, *tit. De priviL, n. 259,* docens exemptionem cessare : « *Praescriptione,* ut habetur caput *Cum olim 14, h. t.;* cap. *Cum personae 7, h. t. in 6;* cap. *Audistis 5,* et cap. *Cum olim 18, De praescripta* qui enim usucapi patitur, alienare videtur ; Balbi, *De p>raes., part. 5, pr. p. 1, q. 12, n. 1 ;* Oockier, *q. 3, n. 7;* Barbosa , *n.* 7. Et sufficiunt ad huiusmodi praescriptionem anni 40. Neque obstat, quod contra obedientiam praescribi non possit ; nam hoc solum intelligi debet de praescriptione qua, manente subiectione, tolleretur obligatio obediendi Praelato vel qua fieret ut Ecclesia vel monasterium nemini esset subiectum ». Porro quia praescriptio non minus ac ius exemptionis constituuntur in Ecclesia a Supremo Principe est ipse Princeps qui tollit exemptionem eamdemque perimit quotiescumque exemptio legitime est praescripta.

Verum Decanus ut tueatur vim Constitutionum advertit

has minutas esse decreto irritanti seu clausula *sublata;* ast advertere praestat cum Barbosa *De claus. usu fréquent. Claus.* XL, n. 47, decretum irritans non ampliare dispositionem principalem sed tanquam accessorium illius naturam sequi ; quocirca quum in themate exemptio, quoad iura parochialia, numquam quasi-possessionem nacta est, seu nunquam in usum traducta fuit, certe invocari potest consuetudo uti optima legum interpres, nos docens illud Principem concedere noluisse quod iam ab initio moribus receptum non fuit -. Praeterea idem Barbosa *loc. cit. n. 35* tradit : « Effectus huius decreti est ut tollat etiam consuetudinem nedum in praeteritum sed etiam in futurum ut per Oabr. *dict. conclus. 3, n. 40;* Gonzal., *dict. gloss. 67', n. 30;* Farinae, *in tract, de immunit., n. 15;* Mart., *d. loco, n. 5,* ubi ait contra decretum irritans allegari non posse non usum et contrarium usum ; at quoad contrarium usum admittit Hieron.: Gabr. *dict. cons. 162, n. 19, lib. 4,* negans quoad non usum; Anton, vero Gabr. eamdem priorem opinionem (nempe decretum irritans non praescribi per non usum) tamquam communem limitat ex Ruin. *(Cons. 13, num. 3, vol. 2)* ut non habeat locum in consuetudine immemoriali, refert. Monet. *d. cap. 7, n. 243 ;* Theodos. de Rubeis, *d. claus. 258, n. 70* ». Praeterea observare praestat cum De Luca, *De iurisd., Disc. 95, n. 8* in Constitutione Pii IV edita super confirmatione et publicatione Concil. Trident, contineri decretum irritans et clausulam *sublata,* nihilominus in probatis existit, nonnulla decreta Concili Trident, saltem aliquibus in locis fuisse contrario usu praescripta, uti late probatum est in folio causae Macera ten. anni 1901 mense Augusto ; et hanc sententiam apertissime tunc visa est suo rescripto confirmare S. C. C.

Factum vero contrarii usus in casu nullimode est controversum, quia ipse Decanus sponte admittit exercitium iurium parochialium ex parte parochi loci in suos alumnos Seminarii et tantum sibi reservat ius benedicendi aedibus sui Seminarii in Sabato Sancto. Quae intentio Decani eo

magis videtur attendenda, quia ex allatis attestationibus et potissimum ex ipsius Decani assertione evincitur hoc factum, nimirum, reapse in Sabato Sancto aedes Seminarii ingredi solitum non fuisse parochum pro impertienda benedictione paschali. Quamobrem decernent EE. PP. an ius exemptionis quae certe omnimoda concessa fuit Decano, adhuc dicenda sit plene vigere quo ad eam partem quam dumtaxat sibi vindicat Decanus.

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de exemptione Seminarii Decanalis S. Michaelis a iurisdictione parochi S. Mariae Forisportam in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata, sub die 19 Iulii 1902 censuit respondere: *Ad mentem; mens est- che rimanendo impregiudicati i diritti di ambedue le parti in quanto al resto, il parroco si astenga dalla benedizione al Seminario nel Sabato Santo.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

DECRETUM. De votis simplicibus, votis solemnibus a monialibus praemittendis.

Perpensis temporum adiunctis, attentisque peculiaribus casibus, qui ad S. Sedem haud raro deferuntur, nec non postulatis sacrorum Antistitum, visum est huic S. Congregationi Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae non esse ulterius cunctandum super quaestione iampridem proposita: an scilicet et quomodo expediat praescribere, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus solemnia vota nuncupantur, praemittantur solemnibus vota simplicia ad certum tempus duratura. Re itaque mature perpensa ac discussa, in conventu plenario habito in aedibus Vaticanis die 14 Martii 1902, praefati Emi ac Rmi Patres S. R. E. Cardinales

censuerunt: supplicandum esse SSmo Domino Nostro Leoni Divina Providentia PP. XIII, ut ad moniales votorum solemnium extendere dignaretur, iuxta congruum modum, ea quae saluberriter constituta fuerunt a fel. rec. Pio PP. IX pro religiosis virorum familiis, per encyclicas litteras S. Congregationis super Statu Regularium, incip. *heminem latet,* datas die 19 Martii 1857, et per litteras sub Annulo Piscatoris, incip. *Ad universalis Ecclesiae regimen,* datas die 7 februarii 1862, cum subsequutis respective declarationibus.

Porro Sanctitas Sua, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali praedictae S. Congregationis Praefecto die 3 Maii 1902, audita de praemissis relatione, sententiam praelaudatorum Patrum Cardinalium probavit, mandavitque per huiusmet S. Congregationis decretum edici praescriptionum capita, quae infra scripta sunt, perpetuo inviolateque servanda :

I. In omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque Ordinis seu Instituti, in quibus vota solemnia emittuntur, peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et legum Ordinis seu Instituti a S. Sede approbatarum, novitiae vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Concilio Tridentino statutam vel aliam maiorem, quae forsan a constitutionibus proprii Ordinis vel Instituti a S. Sede approbatis requiratur.

II. Huiusmodi professae post expletum triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si dignae reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur: sublata cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret ac nullius effectus.

III. Firma tamen in suo quaeque robore manere declarantur indulta a S. Sede iam impertita, quorum vi, nonnullis in locis seu Institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit.

IV. Praeterea ex iustis et rationabilibus causis, de quibus tum monasterii Superiorissa tum novitiarum Magistra fidem scripto facere debent, poterit Ordinarius pro monasteriis suae iurisdictioni subiectis et Superior Generalis seu Provincialis pro monasteriis, quae exemptionis privilegio gaudent, indulgere, in

casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expleto rum.

V. Vota simplicia, uti praefertur, emissa perpetua sunt ex parte voventis; et dispensatio super iisdem Romano Pontifici reservatur.

VI. Professae istiusmodi votorum simplicium fruuntur et gaudent iisdem indulgentiis, privilegiis et favoribus spiritualibus, quibus legitime fruuntur et gaudent professae votorum solemnium proprii cuiusque monasterii; et quatenus morte praeveniantur ad eadem respective suffragia ius habent.

VII. Eaedem tenentur ad observantiam regularum et constitutionum non secus ac solemniter professae; itemque tenentur choro interesse; quatenus vero legitime impediantur quominus choro intersint, ad privatam officii divini recitationem non obligantur.

VIII. Tempus a constitutionibus cuiuslibet Ordinis seu Instituti praescriptum ad *vocem activam* et *passivam* assequendam a die emissionis votorum simplicium computatur: verumtamen professae votorum simplicium nunquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in capitulis in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem; eaeque deputari quidem poterunt ad minora coenobii officia; sed ad munia Superiorissae, Vicariae, Magistrae novitiarum, Assistentis seu Consiliariae, et Oeconomae eligi nequeunt.

IX. Potiores iure, utpote seniores, censentur quae prius vota simplicia nuncupaverint; ita tamen ut quaecumque, iuxta superius dicta, professionem solemnem ultra triennium distulerint, loco interim cedant etiam iunioribus solemniter professis, recepturae iterum iura ratione prioris professionis quaesita ubi primum vota solemnia et ipsae emiserint.

X. Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

XI. Professae votorum simplicium retinent *radicale* suorum bonorum dominium, de quo definitive disponere non poterunt, nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem, ad normam S. Concilii Tridentini *Sess. XX V de Regular, et MoniaL, cap. XVI.* - Omnino vero interdicta ipsis est eorumdem bonorum administratio, nec non quorumcumque reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante

professionem votorum simplicium cedere, pro tempore qua in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini seu monasterio, quatenus ex huius parte nihil obstet et ipsae plena libertate id opportunum existimaverint. - Quod si durante tempore votorum simplicium alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium radicale acquirunt, sed administrationem usumfructum et usum cedere quamprimum debent ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem.

XII. Ad dimittendas e monasterio praefatas votorum simplicium professas, recurrendum erit, in singulis casibus, ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur.

XIII. Sorori professae votorum simplicium a monasterio discedenti sive ob votorum dispensationem a Sancta Sede Apostolica impetratam, sive ob decretum dimissionis ut supra emissum, restituenda erit integra dos quoad sortem, exclusis fructibus.

Igitur haec S. Congregatio de expressa Apostolica Auctoritate, praesentis decreti tenore, quaecumque superius praescripta, declarata ac sancita sunt, ab omnibus, ad quos seu quas spectat ex obedientiae praecepto servari et executioni demandari districte iubet, non obstantibus contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, quibus ad praemissorum effectum a Sanctitate Sua specialiter et plene derogatum esse declarat.

Datum Romae die 3 Maii 1902.

FR. H. M. CARD. GOTTI, *Praef.*

PH. GIUSTINI, *Secret.*

DUBIA ab Archiepiscopo N. proposita super decretum *Perpensis temporum adiunctis* (1).

Cum applicatio Decreti *Perpensis temporum adiunctis* a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, opportunissimo consilio, nuper editi, nonnullis dubiis videatur obnoxia, infrascriptus Archiepiscopus N. N. pro iis dirimendis, ad Eamdem S. Congregationem, maximo cum obsequio, recurrit, et authenticam responsionem exposcit.

I. QUAESTIO.

Quaelibet Instituta monialium habent caeremoniale seu rituale, pro admittendis novitiis ad religiosam professionem. Ritus autem praescriptus generatim unicus est, cum unica fere ubique, antehac extiterit professio. Iam quaeritur, utrum ille ritus servandus deinceps erit pro prima aut pro secunda aut pro utraque professionem. Quod si duplex ratio sacram functionem celebrandi, deinceps erit inducenda, pro duplici nempe professione votorum Simplicium et votorum Solemnium, spectabile ad Episcopos (aut ad Superiores Generales quoad monasteria exempta) coeremonias servandas et formulam a profitentibus exprimendam determinare? Quatenus *affirmative*, quaenam in praxi erit norma generatim sequenda ? quatenus *negative*, *coeremoniale* seu *rituale* erit impetrandum ab ista S. Congregatione aut a Congregatione Sacrorum Rituum?

II. QUAESTIO.

In numero VIII Decreti recognoscitur capitulum monialium pro admittendis ad professionem Solemnem illis, quae congruo tempore in professione votorum Simplicium permanserunt. Porro, huiusmodi capitulum eritne necessario faciendum illis in Communitatibus in quibus de acceptatione, de vestitione et de professione alumnarum capitulariter agitur? Quod si fieri absolute debeat, suffícientne pro aliqua a professione excludenda quod moniales capitulares secreto suffragia contraria conferant, aut necesse erit ut quaelibet monialis suffragii contrarii rationem expresse declaret, exponendo nempe *graves causas quae dimissionem suadere* seu *exigere videantur*, S. Sedis

(1) Habes hoc decretum pag. 31 Voluminis huius.

iudicio subiiciendas? Ratio dubitandi ex eo oritur, quod peracta professione simplici, Communitas religiosa non est amplius libera retinendi aut dimittendi alumnàm, sed res, plenoiure ad supremam Ecclesiae auctoritatem spectat.

III. QUAESTIO.

Num. VII. Decreti,' declaratur professas votorum Simplicium choro interesse debere, quatenus vero legitime impediantur, quominus choro intersint, ad privatam officii recitationem non obligari. Quid vero si qua a Choro abstineat absque legitimo impedimento? Quae ita se gerat, negligentiae notam coram sororibus, et, quod magis est, culpae maculam coram Deo videtur incurrere. At obligata ne erit Divinum Officium privatim recitare?

IV. QUAESTIO.

Num. X. Decreti statuitur dotem esse solvendam aut professionem votorum simplicium. - Num. VI. professis votorum simplicium omnes favores spirituales indulgentur quae competunt professis votorum solemnium, nec non omnia suffragia si morte praeveniantur.

Num. XII. decernitur ad dimittendas a Monasterio votorum simplicium professas, recurrendum esse in singulis casibus ad S. Sedem. Quae hisce in locis sanciuntur nullam difficultatem praeseferunt pro iis Ordinibus aut Institutis, in quibus hucusque unica observata est votorum professio. Ast adsunt Religiosae Familiae quae, iuxta regulas adprobatas a S. Sede, duplici professione, simplici et solemni, utuntur. Quid sane si ad tramites constitutionum huius modi Institutorum, aut dos solvenda esset ante professionem solemnem, aut privilegia (praesertim pia post mortem suffragia) pro monialibus votorum simplicium essent minora, aut (quod potius videtur) Superiorissa Generalis haberet facultatem dimittendi professam votorum simplicium? Quae in privatis numeris enunciantur, suntne *praeceptiva* pro omnibus omnino Institutis votorum solemnium, aut exceptionem patiuntur relate ad Ordines seu Instituta quae speciales dispositiones quoad praedicta, habent sive in regula sive in constitutionibus.

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et' Regularium praeposita super praemissis dubiis respondet prout sequitur.

« Ad I. ritum seu coeremoniale in unoquoque monasterio « receptum adhibendum esse in emittenda prima professione, « pro qua consuetae formulae, suppressis, si adsint, verbis so- « lemnitatem exprimentibus, adiiciatur novitiam nuncupare vota « simplicia iuxta decretum a S. Congregatione EE. et RR. die « 3 Maii 1902 editum: professionem autem secundam emitti « posse privatim in Choro sive in Oratorio interiore, coram Com- « munitate, in manibus Superiorissae, praevia approbatione Or- « dinarii, seu Praelati Regularis, quoad monasteria exempta.

« Ad II. Capitulum habendum esse etiam in praefatis ca- « sibus; eius tamen votum esse mere consultivum, locum quo- « que fieri posse discussioni super qualitatibus candidatae scru- « finium verum per secreta suffragia peragendum esse. Porro « si omnia vel pleraque suffragia contraria forent admissioni « ad solemnem professionem, ita ut, attento etiam articulo IV « ipsius Decreti, ageretur de dimittenda sorore a monasterio, « res subiicienda esset iudicio S. Sedis, ad quam proinde Or- « dinarius vel, pro monasteriis exemptis, Praelatus Regularis « distinctam omnium relationem transmittet.

« Ad III. professas votorum simplicium ad recitationem di- « vini officii extra Chorum non teneri.

« Ad IV. recurrendum esse in casibus particularibus ».

Romae 28 Iulii 1902.

FR. H. M. CARD. GOTTI, *Praef.*

PH. GIUSTINI, *Secret*

EX SECRETARIA BREVIUM

INDULGENTIAE pro recitatione parvi officii SSmi. Cordis Iesu iam approbatL

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Auspicato contigit ut Christianorum hominum pietas in SSmum Cor Iesu, quod tanta exarsit in humanum genus charitate, in hac rerum inclinatione morumque demutatione, non modo restincta non sit, sed etiam excitetur quotidie magis magisque salutariter deflagret. Hoc enim studium, per quod populus christianus trahitur ad Iesum Christum, et amat quodammodo amorem Eius, cum dignum existimet omni veneratione cultuque suo illud Cor divini amoris receptaculum, Nos et summopere delectat, et in spem optimam inducit futurum esse, ut Deus pacatus sinat aliquando exorari, atque Ecclesiae suae misereatur vices.

Quapropter quum Nobis supplices nuper admotae sint preces a dilecto filio Nostro Benedicto Maria S. R. E. Presb. Cardinali Langénieux ex dispensatione Apostolica Archiepiscopo Rhemen, ut Officium Parvum SSmi Cordis Iesu, a Nostra Rituum Congregatione recognitum iam atque adprobatum, nonnullis Indulgentis ditare velimus, Nos qui nihil optamus magis atque in oculis habemus, quam ut Christianorum studium erga SSmum Cor Iesu in dies singulos provehatur, libenter supradicti Antistitis optatis obsecundandum censuimus. Quare Apostolica auctoritate omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus corde saltem contritis qui dictum Officium Parvum SS. Cordis Iesu a S. R. C. approbatum vel latine vel lingua vernacula, dummodo versio fidelis et rite probata, devote recitaverint, atque pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint quo die id egerint ducentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum

suffragii applicari posse in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et (sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae, utque praesentium Litterarum (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta decretum ab eadem Congregatione die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a S. M. Benedicto PP. XIV Decessore Nostro die XXVIII dicti mensis approbatum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XII Decembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri Anno XXIV.

ALOIS. Card. MACCHI.

Praesentium Litterarum exemplar delatum est ad hanc Secretariam S. C. Ind. S. Rei. praepositae, diei 24 Ianuarii 1902.

F. SOGARO; Archiep. Amiden. *Secretarius.*

FACULTAS indulgetur Superiori generali Congregationis SS. Cordium erigendi pias uniones sub eodem titulo.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Oblatis Nobis precibus annuentes a dilecto filio Petro Di Nocera Superiori Generali Congregationis SSrñrum Cordium, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, per praesentes ipsi Moderatori Generali pro tempore existenti dictae Congregationis aliisque illius in posterum successoribus facultatem concedimus in perpetuum valituram erigendi, praevio Ordinariorum consensu, pias Uniones sub titulo SSmrum Cordium Iesu et Mariae tam in propriis quam in aliis ubique terrarum Ecclesiis eisque tribuendi omnes et singulas indulgentias aliasque spirituales gratias ac privilegia eidem Piae Unioni olim largita et inserenda in novo

Summario a Congregatione approbando Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita. Verumtamen praecipimus ut omnia de iure servanda in huiusmodi erectionibus rite serventur, ac potissimum Constitutio Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri quae incipit « Quaecumque » et alia Decreta eiusdem Congregationis Sacrisque Reliquiis praepositae. Decernentes praesentes litteras firmas, validas, efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri, atque obtinere, illisque ad quos spectat et in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate praemunitis eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Martii MDCCCCII, Pontificatus Nostri Anno vigesimo quinto.

Pro Domino Card. MACCHI

N. MARINI *Substitutus.*

INDULGENTIA 50 dierum recitantibus *Requiem aeternam.*

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Oblatis Nobis precibus annuentes a dilecto filio Paulo Buguet praeposito generali Piacularis Operis pro animabus derelictis loci « Montligeon » dioecesis Sagien., omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum degentibus, contrito saltem corde, ac devote qualibet vice recitantibus versiculum cum responsorio « *Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux pe/petua luceat eis* » in forma Ecclesiae solita quinquaginta dierum indulgentiam concedimus, qua tantum liceat functorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus contrariis qui-

buscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretarium Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a s. m. Benedicto PP. XIV Praedecessore Nostro die XXVIII dicti mensis adprobatum, atque volumus, ut earumdem praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII Martii MDCCCCII Pontificatus Nostri An. Vigesimo quinto.

Pro Domino CARD. MACCHI

NICOLAUS MARINI *Subst.*

Praesentium litterarum exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulg. Sacrisque Reliq. praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 26 Martii 1902.

f F. SOGARO Archiep. Amiden., *Secretarius.*

INDULGENTIAE pro nova Jaculatoria.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplices ad Nos adhibuit preces Venerabilis Frater Guilelmus Episcopus titularis Porphyreonius Sacrista Noster, ut nonnullis indulgentiis ditare velimus hanc invocationem, *Mon Dieu, mon unique bien, Vous êtes tout pour moi, que je sois tout pour Vous.* Nos, qui pro Pastorali Nostro officio fidelium pietatem fovere et excitare studemus, piis eiusdem Venerabilis fratris votis libenter obsecundantes, de Omnipotentis Dei misericordia ac. BB. Petri et Pauli App. Eius auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus Cristifidelibus qui quotidie mense integro, supradictam invocationem quolibet idio-

mate, dummodo versio sit fidelis, devote recitaverint, et uno eiusdem mensis die ad cuiusque arbitrium sibi eligendo vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea eisdem fidelibus qui corde saltem contriti, quolibet anni die, memoratam invocationem devote recitaverint, tercentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium litterarum (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a Benedicto XIV Praedecessore Nostro die XXVIII dicti mensis adprobatum: atque volumus ut earumdem harum Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XIII Martii MDCCCCII, Pontificatus Nostri An. XXV.

ALOIS. Card. MACCHI.

Praesentium litterarum exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 17 Martii 1902.

IOSEPHUS M. Canonicus COSELLI, *Substit.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM quoad processiones pro lucrando Iubilaeo.

Eme Princeps,

Alumni Seminarii, ecclesiastica veste induti, simul universi quas vir unus, praeeuntibus et admixtis rectore et magistris, visitaverunt ecclesias ab Ordinario indictas ad lucrandum iubilaeum. Totum iter conficiendo silebant omnes et orabant. Dubium tamen a quibusdam de tali processione movetur, num processio vere dicenda sit, quum crucis imago delata non fuerit ut vult Rituale, de Processionibus. Variorum autem eorumque probatissimorum auctorum definitiones, dum exhibent processionem ut supplicationem solemnem fidelium iter agentium cum clero ad locum quemdam sacrum, pia insignia non exigunt quasi ad ipsam processionis rationem pertinerent et essentiam.

Ne tamen periclitetur lucrum tanti beneficii, suppliciter petitur, utrum delatio imaginis crucis requiratur in processione ad fruendum privilegio visitantium ecclesias processionaliter ad lucrandum iubilaeum?

Sacra Poenitentiaria perlectis expositis respondit:

Processiones, prout describuntur, maluisse pro lucrando iubilaeo.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 10 Septembris 1901.

A. CARCANI, 5. *P. Reg.*

DUBIUM circa aetatem mulieris pro dispensationibus matrimonialibus.

Eminentissime Domine,

Saepe contingit obtineri Apostolicas dispensationes matrimoniales ex causa (unica vel cum aliis) *aetatis oratricis superadultae,* sic et simpliciter expressa, vel interdum sic: *aetas oratricis annor. 25, aut 30,* sive aliter, sed plus quam 24. Cum autem Auctores opinentur causam huiusmodi interpretari quod

usque ad illam aetatem *mulier non invenerit virum paris conditionis cui nubere posset,* ab hac Rma Episcopali Curia Tropien, quaeritur: An in verificatione causae supra memoratae sciscitari etiam et probari oporteat mulierem superadultam usque ad illam aetatem virum paris conditionis cui nubere posset non in venisse; et hoc ad dispensationis validitatem?

Et Deus, etc. — Tropeae, d. 21 martii 1902.

D. *Epus.* NICOTEREN. et TROPIEN.

Sacra Poenitentiaria ad propositum dubium respondet: *satis esse quod certo constet de aetate superadulta.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 5 Aprilis 1902.

A. CARCANI, *S. P. Reg.*

R. CELLI, S. *Poenitentiariae Substitutus.*

EX S. G. DE PROPAGANDA FIDE

Ne Fratres Scholarum Christianarum doceant linguam latinam.

Eminentissimo Domino Cardinali I. Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi.

Eminentissime ac Reverendissime Domine mi Observantissime,

Eminentiam Tuam pro meo munere certiorem facio, Eminentissimos Patres huius Sacrae Congregationis in generalibus comitiis die 11 decembris 1899 habitis examini subiecisse quaestionem de facultate pro Fratribus Scholarum Christianarum docendi linguam latinam et graecam in eorum scholis et ad Dubia :

I. Si, en raison des nouvelles instances il convient d'accorder aux Frères des Ecoles Chrétiennes demeurants aux Etats-Unis d'Amérique la dispense de leur règle, qui leur interdit l'enseignement de la langue latine et grecque?

Ils ont répondu : Negative et amplius.

II. S'il est expédient de différer l'exécution de cette décision ? . . . . -

Ils ont répondu : Negative et amplius et ad mentem. Mens est: que l'on adresse un précepte formel au Supérieur Général, pour lui faire connaître que l'enseignement de la langue latine et grecque dans ses Maisons d'Amérique est toléré seulement jusqu'à la fin de l'année scolastique courante.

De plus que l'on communique les dites décisions par l'organe de Votre Eminence à la hiérarchie catholique des Etats-Unis, en portant à la connaissance de i'Episcopat américain que, bien que le Saint-Siège favorise l'enseignement des études-classiques et spécialement du latin, en se servant même pour cela des Ordres Religieux adonnés par leur règle à cet enseignement, il veut toutefois maintenir dans les Instituts Religieux, l'observation parfaite de leurs règles, et le prohibe aux Frères des Ecoles chrétiennes. Son désir est au contraire qu'ils développent aux Etats-Unis leurs écoles techniques et commerciales.

Huiusmodi vero decisiones Sanctitas sua in audientia diei 6 vertentis mensis in omnibus confirmare dignata est. Cum vero per earum participationem meo muneri satisfecerim, nihil omnino dubitans, quin Reverendissimi Episcopi istius Regionis-pro sua erga Sedem devotione iisdem morem gerant, manus tuas maximo cum obsequio humillime deosculor.

Romae 11 ianuarii 1900.

Eminentiae Tuae humillimus devotissimus servus

M. Card. LEDOCHOWSKI, *Praef.*

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

DECRETUM, quo Missio Urubamba in Republica Peruana, Ordini Praedicatorum demandatur.

Cum interior pars ac latior territorii Reipublicae Peruanae in America Meridionali, vulgo *la Montana* vocata, in ea versetur conditione, ut frequenter plebes regionem incolentes, tum sine lumine religionis, quum absque regula morum vivant : nec ad miseras has gentes evangelizandas sufficiant, quamvis ferventis zeli laude digni, missionarii Ordinis Fratrum Minorum ibidem iampridem exercentes sacrum ministerium; rogata est S. haec Propagandae Fidei Congregatio, Episcopis Peruanis ac

ipso Reipublicae illius Gubernio consentientibus, ut quam curam in universi Orbis missionibus regendis adhibet, eam extendere vellet etiam in barbaris praedictis populis ad Fidem adducendis. Quem ad finem ut iuxta morem suum S. Congregatio in instituendis Missionibus libere ageret, Gubernium auctoritatem eius plene recognitarum, et Episcopi quam haberent in silvestribus illis locis iurisdictionem ecclesiasticam se integre cessuros spoponderunt. Quamobrem Eminentissimi Patres huius S. Consilii, quomodo piis hisce votis fieri satis posset, in generalibus Comitiis habitis die 22 superioris mensis ianuarii, Iubenti animo ac maturo studio examinaverunt. Porro eorum mens haec fuit ut universum montanum, de quo est sermo, territorium in tres Apostolicas Praefecturas, ab invicem independentes et S. Congregationi immediate subiciendas erigeretur, quarum prima, Centralis Praefecturae seu S. Francisci de Ucayali nomine distincta, regiones, quae infra describentur, de Chanchamayo, de Apurima et de Ucayali complecteretur; secunda vero Praefecturae Meridionalis, seu S. Dominici de Urubamba nuncupatione, per regionem se extenderet de Urubamba; tertia demum, titulo Praefecturae Septentrionalis seu S. Leonis de Amazonas, per regionem de Amazonas pateret. Quibus autem unaquaeque harum regionum limitibus coarctanda sit, ex sequenti Descriptione ostendetur: nempe I° Regio de *Chanchamayo* amplectetur flumen *Perene,* cum omnibus suis annuentibus et flumen *Pachitea* pariter cum omnibus suis affluentibus: inclusa regione dicta *Gran Pajonal* usque dum incipiunt eiusdem orientales valles, flumina versus *Tambo* et superius *Ucayali.* 2. Regio de *Apurima* amplectetur flumen huius nominis (etiam *Ene* vocatum) cum universis eius annuentibus; insuper flumina *Montaro* et *Tambo* pariter cum omnibus affluentibus, usque ad confidentiam postremi dicti fluminis cum *Urubamba.* 3. Regio de *Ueazali* amplectetur flumen huius nominis cum omnibus eiusdem annuentibus orientalibus et occidentalibus (excepto flumine *Pachitea)* usque ad confidentiam fluminum *Tambo* et *Urubamba.* 4. Regio de *Urubamba* amplectetur flumen, huius nominis cum omnibus eiusdem annuentibus et orientalibus vallibus ad flumina Boliviae declinantibus usque ad divisoriam lineam inter Peruanum Dominum ac Bolivianum: non vero ad Septentrionem intra locum coniunctionis fluminum *Urubanda* et *Tambo.* 5. Regio demum de *Ama-*

zones amplectetur flumen *Maranon* cum omnibus suis annuentibus et ipsum flumen *Amazonas* pariter cum omnibus suis annuentibus *{Ucayali* excepto) usque ad limites Brasilienses, Columbienses et Aequatorianos.

Ita constitutis territorii Missionum confiniis ad removenda quae oriri possent dubia circa iurisdictionem Episcoporum Peruviae ac novorum Apostolicorum Praefectorum plane retinendum est, praedictas Missiones ad universum, sed tantummodo^ territorium silvestre (vulgo *la Montana,* ut dictum supra est) Peruanae Reipublicae extendi ; ita ut limites civilium ac non civilium regionum, limites etiam evadant iurisdictionis respective Episcoporum ac Praefectorum.

Cum vero quae modo constabiliuntur tres Apostolicae Praefecturae, curis Missionariorum trium Religiosorum Ordinum demandandae sint, in supra dicta Generali Congregatione Eminentissimi Patres sedulo negotio pertractaverunt, quaenam Religiosae Familiae ad apostolicum opus illic peragendum advocandae essent. Porro expediens visum est Praefecturam Centralem, seu S. Francisci de Ucayali, committendam esse Ordini Fratrum Minorum; Meridionalem seu S. Dominici de Urubamba, Ordini Praedicatorum ; Septentrionalem tandem seu S. Leonis de Amazones Ordini Eremitarum S. Augustini. Hanc autem legem Eminentissimi Patres addere voluerunt, ut nempe Religiosi viri qui ex tribus hisce Ordinibus ad minisÉrium praedictarum Praefecturarum deputentur, quoad observantiam regularem non a Provinciali Ministro, sed a Generali immediate dependeat.

Resolutiones vero universas supra expositas Eminentissimorum Patrum, ab infrascripto huius S. Congregationis Secretario in audientia die 2 huius mensis habita Sanctissimo Domino Nostro Leoni Divina Prov. PP. XIII relatas, Sanctitas Sua in omnibus approbavit ac confirmavit, et praesens ad id decretum edi iussit.

Datum die 5 februarii 1900.

M. CARD. LEDOCHOWSKI PRAEF.

ALOISIUS VECCIA *Secret.*

NORMAE ad rite celebrandam Missam super Naves. — Decretum.

Decretum — 1 Mar. 1902. — Ad remo-vendos abusus, quos circa Missae celebrationem, durante maritimo itinere, non semel occurrisse relatum est, EE. ac RR. S. Congregationis Propagandae Fidei Patres in comitiis generalibus die 24 ultimi elapsi mensis Februarii habitis, omnibus mature perpensis, decreverunt ut infra; omnibus videlicet Missionariis suae iurisdictioni subiectis et speciali indulto fruentibus celebrandi in mari sacrosanctum Missae Sacrificium praecipiendum esse, quemadmodum per praesens Decretum S. Congregatio praecipit, ut, quoties eo privilegio utuntur, sedulo et religiose servent praescriptas regulas in ipso apostolicae concessionis rescripto apponi solitas. Videant nempe, utrum mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis Sacrarum Specierum e calice; curent ut alter sacerdos, si adfuerit, rite celebranti adsistat; et si in navi non habeatur Capella propria vel altare fixum, caveant omnino Missionarii ne locus ad Missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum praeseferat: quod certe eveniret, si augustissimum altaris mysterium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis.

Porro huiusmodi EE. Patrum sententiam infrascriptus Cardinalis Praefectus vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Duo Nostro Leont div. prov. PP. XIII concessarum, nomine et auctoritate Sanctitatis Suae die 25 supradicti mensis Februarii ratam et adprobatam esse declaravit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide hac die 1 mensis Martii 1902.

M. CARD. LEDOCHOWSKI S. R. C. PRAEF.

L. * S.

ALOISIUS VECCIA *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

LIVERPOLITANA Dubium quoad Ecclesiam propriam cuiusvis Patris Abbatis Benedictini.

Rmus Dnus Episcopus Liverpolitanus Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, Rmis Patribus Abbatibus e Congregatione Anglo-Benedictina haud dudum benigne concessum fuisse privilegium, ut in Ecclesiis propriis usu pontificalium in Missarum solemniis gaudere valeant. Quum autem non plane constet quaenam Ecclesiae tanquam ipsis propriae intelligendae sint, Rmis Episcopis Angliae opportunum visum est, ut Episcopus supradictus, in cuius dioecesi multae existunt Ecclesiae patribus Anglo-Benedictinis addictae, nomine omnium Episcoporum Angliae, dubiorum sequentium solutionem postularet, nimirum :

I. Utrum tamquam Ecclesia propria cuiusvis Patris Abbatis intelligenda sit sola Ecclesia monasterii cui ipse praesit?

II. Utrum cuivis Patri Abbati competat ius pontificalium in omnibus Ecclesiis quibus praesint terni, bini vel singuli patres sub eius iurisdictione constituti, curam vero animarum exercentes? et quatenus affirmative:

III. Utrum ad usum pontificalium talibus in Ecclesiis sub cura Patrum Anglo-Benedictinorum constitutis licite exercendum requiratur consensus Episcopi Ordinarii?

IV. Utrum Patres Abbates in Ecclesiis aliorum regularium cuiusvis Ordinis vel Congregationis, vel in Ecclesiis saecularium usu pontificalium sine consensu Episcopi Ordinarii gaudere valeant ? et quatenus negative :

V. Utrum in talibus Ecclesiis sive regularium sive saecularium usum pontificalium de consensu Episcopi Ordinarii gaudere valeant.

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* nisi et aliae sint filiales Ecclesiae quibus et ipse praesit, seu illius iurisdictioni subiectae.

Ad II. *Affirmative,* dummodo agatur de Ecclesiis propriis et detur Decretum N. 2080, *Fesulana,* 1 Octobris 1701.

Ad III. *Negative,* si agatur de Ecclesiis propriis, uti supra.

Ad IV. Detur Decretum N. 2923, *Ordinis Monachorum Sancti Basilii,* 18 Decembris 1846.

Ad V. Iam provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit. Die 13 Iunii 1902.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef*

L. & S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret*

LITTERAE ENCYCLICAE quoad mentem SSmi Patris Leonis XIII quum iuberet novendialem supplicationem ad maiorem S Spiritus gloriam.

Reverendissime Domine,

Ad fovendum in christiano populo pietatis studium erga divinum Spiritum, Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII, die IX Maii an. MDCCCLXXXXVII ad universos Episcopos, uti nosti, Litteras dedit encyclicas *Divinum illud munus,* apostolicae caritatis sapientiaeque plenas.

Plura in ipsis Beatissimus Pater de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim de praesentia et virtute mirifica Spiritus Sancti opportune edocuit; tum omnes e clero, nominatimque concionatores sacros animarumque curatores maiorem in modum hortatus est, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent, diligentius atque uberius christiano populo traderent. Quo magis enim excitetur vigeatque in animis de ipso fides, eo facilius christiani homines assuescent divinum Paraclitum, *altissimi donum Dei,* et amare ardentius et impensius implorare. — Adventantibus insuper sacrae Pentecostes sollemnibus, Summus ipse Pontifex per easdem Litteras decrevit et mandavit, ut per orbem catholicum universum supplicatio novendialis in omnibus curialibus templis, et si Ordinariis locorum utile videretur, in aliis etiam templis sacrariisve fieret. Plura demum de thesauro Ecclesiae benigne in perpetuum largitus est sacrae indulgentiae munera, etiam per octavam solemnitatis a fidelibus lucranda.

Iamvero Sanctitas Sua vehementer exoptat, ut quae tunc, monendo hortandoque, edixit, ea in omnium animis, diligenti Cleri opera, et viva insideant, et perennes uberesque ad maio-

rem divini Spiritus gloriam afferant salutariter fructus. Hanc ipsam ob causam exemplar earumdem Litterarum, iussu eiusdem Beatissimi Patris, ad Te una mitto. — Quoniam vero decursu temporis, ut alicubi accidisse constat, a nonnullis existimatum est, decretum de ea novendiali supplicatione, ad supra dictum tantummodo annum MDCCCLXXXXVII spedasse, magni refert ut sit apprime cognitum, quae in memoratis Litteris sunt praescripta, tum de eadem supplicatione tum de sacrae indulgentiae muneribus, pro singulis in perpetuum annis sancita fuisse. — Quam quidem novendialem supplicationem eo magis Summus Pontifex vult omnibus enixe commendatam, quod ad finem sane praestantissimum, scilicet *ad maturandum christianae unitatis bonum,* de quo tantopere" sollicita est Sanctitas Sua, eam ipsam praecipue ordinaverit.

Haec habui quae mandato augusti Pontificis Amplitudini Tuae praescriberem. Ipsa vero Sanctitas Sua spem certam fovet, Episcoporum hac etiam in re navitati et industriae alacritatem Cleri, Deo bene iuvante, responsuram.

Interim Amplitudini Tuae fausta cuncta ex animo adprecor.

Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis, die 18 Aprilis 1902.

Amplitudinis Tuae

uti Frater addictissimus

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

i D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

DECRETA NOVISSIMA

LABACEN. Dubia plura circa Missas de requie etc. aliaque etc.

R. D. Iosephus Erker, Canonicus Cathedralis Ecclesiae Labacensis, de consensu Rmi sui Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum :

I. Privilegium circa Missas de Requie concessum Sacellis sepulcreti ex Decreto n. 3903, diei 8 Iunii 1896, et Ecclesiae, vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, ex Decreto n. 3944, diei 12 Ian. 1897 ad 1 favetne etiam Sacellis, Ecclesiis

et Oratoriis publicis sepulcreti, in quo olim cadavera sëpeliebantur, quod sepulcretüm tamen hodie quacumque ex causa derelictum est, ita ut defuncti in eo non amplius sepeliri soleant?

II. Praefatum privilegium favetne etiam Ecclesiae parochiali, quae circumiacens habet coemeterium, quum in casu Ecclesia parochialis revera evaserit Ecclesia sepulcreti?

III. In anniversariis stricte sumptis laicorum, quae fundata sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potestne sumi Oratio « *Deus indulgentiarum Domine* » ?

IV. Anniversaria late sumpta, quae ex Decreto generali diei 2 Dec. 1891 pro fidelium pietate infra octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, suntne adeo praecise adstricta ad dictam octavam, ut aliis temporibus, e. g., infra octavam Dedicationis Ecclesiae, vel Titularis eiusdem, vel in uno> ex Quatuor Temporibus non permittantur?

V. In Ecclesiis ad chorum non obligati®, plures Missas habentibus, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum debetne esse una saltem Missa cum cantu de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, an omnes possunt esse lectae ?

VI. Quaenam Missa de Requie sumenda est in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quando in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum occurrit alicuius defuncti dies depositionis?

VII. Ex Decreto n. 3944, diei 12 Ianuar. 1877 ad 3, et 3 April. 1900 ad 3 et 4 in una *Vieen.* Missae privatae die, vel pro die obitus, seu depositionis, in Ecclesiis et Oratoriis publicis fieri permittuntur, si in iisdem etiam fiat funus cum Missa exequiali cum cantu, servatis servandis. Quaeritur: An funus cum Missa exequiali in cantu fieri debeat etiam in Oratoriis *semipublicis y* ut fieri inibi possint praefatae Missae lectae de Requie?

VIII. Iuxta praefatum Decretum, diei 3 Aprii, ad 3 et 4 in una *Vieen.* in Oratoriis privatis Missae, quae ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie *praesente cadavere in domo.* Quaeritur: Utrum haec praesentia intelligenda sit de praesentia non solum physica, sed etiam morali in *domo,* quatenus ex gravi causa, ex. g., ob contagiosum morbum, cadaver vetatur haberi in domo ?

IX. Ex Decreto generali n. 3755, diei 2 Decembr. 1891 Missam exequialem solemnem impediunt Festa duplicia 1 classis solemniora, sive universalis Ecclesiae, sive Ecclesiarum particularium *ex praecepto Rubricarum recolenda.* Quaeritur: Utrum haec ultima verba intelligenda sint tantum de Festis fori recolendis cum feriatione ex parte fidelium, vel etiam de Festis chori sine feriatione, qualia sunt, e. g., anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, Festum Patroni regionis, dioecesis aut loci, quae non ubique recoluntur a populo?

X. Quaeritur: Utrum Missa de Requie cum cantu, quae ex praefato Decreto generali n. 3755 ad III celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die, quae prima occurrat non impedita a Festo 1 et 2 classis vel Festo de praecepto, cantari possit Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbato infra octavas Paschatis et Pentecostes, quum, licet hae dies neque Festa sint de praecepto, neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludant tamen eadem Duplicia 1 classis?

XI. Quaeritur: I° An in Missis de Requie, quae, abstrahendo a Missa exequiali solemni aliisque, occasione huius lectis, in *Semiduplicibus* et *Simplicibus* occurrentibus ab obitu usque ad depositionem alicuius fiunt cum vel sine cantu, adhibendum sit idem formulare ac in die obitus seu depositionis?

2° An idem dicendum sit etiam respectu Missarum, quae celebrantur in biduo post factam ob gravem causam sepulturam, si occurrat *Semiduplex*, vel *Simplex ?*

XII. In Decreto n. 3822, diei 3 April. 1894, disponitur ut dum corpus Episcopi dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant, iis omnibus servatis etc. Quaeritur: An haec dispositio necessario intelligi debeat de *Missis de Requie* pro defuncto Episcopo dioecesano inibi celebrandis, idque nullo habito respectu ritus aut solemnitatis diei, qua celebrantur, sive sit Duplex maius aut minus, sive classicum vel Festum solemne?

XIII. Expositio Sanctissimi Sacramenti publica seu solemnis quae fit de licentia Ordinarii, potestne fieri etiam cum pyxide collocanda in throno tabernaculi?

XIV. Expositio Sanctissimi Sacramenti privata et minus-solemnis, quae fit cum pyxide intra tabernaculum, ostiolo pa-

tefacto, si sit permanens et ex causa publica, impeditae Missas de Requie?

XV. Sacerdos obligatus, sive ex fundatione sive êx stipendio accepto, ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, satisfacitne suae obligationi, applicando pro iisdem defunctis Missam officio diei conformem in Semiduplicibus aliisque diebus Missas quotidianas de Requie permittentibus, vel tenetur dictis diebus celebrare Missam de Requie, etiamsi fundator, vel dans eleemosynam, Missam de Requie expresse non postulaverit, nec Missa celebranda sit in altari privilegiato?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Missam in cantu de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in casu, non esse praescriptam ».

Ad VI. « Missa erit ut in die obitus ».

Ad VII. « Negative in casu ».

Ad VIII. « Affirmative, iuxta Decretum n. 3903, diei 8 Iunii 1896».

Ad IX. « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, quoad festa localia solemniora ».

Ad X. «Negative in omnibus, iuxta Decret.Gener. n.3922, diei 30 Iunii 1896, § III, n. 2 ».

Ad XI. « Ad 1 et 2, adhibeatur Missa ut in die obitus, seu depositionis ».

Ad XII. « Missae lectae, in casu, permittuntur ad normam Decreti n. 3903, diei 8 Iunii 1896 ».

Ad XIII. « Negative, iuxta Decreta».

Ad XIV. « Affirmative, in casu, iuxta Decretum *Varsavien.* 7 Maii 1746 ad 4, n. 2390 ».

Ad XV. «Detur Decretum n. 4031, *Plurium Dioecesium,* 13 Iunii 1899 ad IV».

Atque ita rescripsit. Die 28 Aprilis 1902.

D. CARD. FERRATA, *S. B. C. Praef.*

L. ✠ S.

✠ DIOMEDES PANICI Archiep. Laodicen., *Secret*

ABYSSINEN. Beatificationis seu declarationis martyrii VV. Servorum Dei Apollinaris de Almeida Episcopi Nicaeni, Hyacinthi Franceschi, Francisci Ruiz, Abrahami de Georgiis, Gasparis Paez, Ioannis Pereira, Ludovici Cardeira et Brunonis Bruni Sacerdotum Societatis Iesu, in odium Catholicae Fidei interemptorum.

Inter praecipuos Evangelii praecones qui apud Aethiopes S. Frumentii primum captivi dein episcopi a S. Athanasio ordinati vestigia secuti illam regionem apostolicis laboribus atque effuso sanguine consecrarunt, memoria ac laude digni accensentur praedicti Servi Dei e societate Iesu. Hos ex traditione ore accepta et scripto ac menologio- consignata virtute et martyrio decoratos, uti suos carissimos filios ipsa mater agnoscit, amplectitur et colit, supremi magistri recolens verba: -Sit *me persecuti sunt, et vos persequentur.* Quatuor Inquisitiones Ordinariae per Patriarcham Aethiopiae circa annum 1652 adornatae fuerunt super fama et causa martyrii eorumdem servorum Dei. Verum Inquisitionum transumpta authentica per longum aevum delituerunt et nonnisi postremis hisce annis in lucem prodita sunt et Sacrorum Rituum Congregationi exhibita una cum supplicibus litteris postulatoriis cleri et populi Goani Summo Pontifici Innocentio X olim porrectis pro signatura Commissionis Causae introducendae. Quod ex hisce actis de vita, missione et obitu ipsorum Servorum Dei eruitur, heic breviter summatimque describitur. — Apollinaris de Almeida saeculo XVI exeunte Ulysippone natus, annum aetatis decimum septimum agens societati Iesu nomen dedit. Tyrocinio expleto votisque nuncupatis in Eboracensi Academia sacras litteras docuit. Defuncto Iacobo Sicco Episcopo Nicaeno et Patriarchae Adiutori ipse suffectus est, episcopali dignitate ornatus. An. 1628 a Pontifice Maximo Urbano VIII in Aethiopiam missus, post varios navigationis casus, Goam appulit, Dium venit et tandem, adscitis sibi sociis Emmanuele Magro et Iosepho Giroco, anno 1630 Dancasium pervenit. Lusitani Regis litteris commendatus et ab Aethiopico Imperatore perhumaniter exceptus, vir Apostolicus omnia episcopalia munia diligentissime obivit. Verum octo post annos, Imperatore a fide catholica desciscente, idem Praesul cum sodalibus patribus Hyacintho Franceschi et Francisco Ruiz in quandam Nili insulam deportatus, a perditissimis monachis haeresi infectis saevissime vexatus et lapidibus obru-

tus, mortem oppetiit. — Hyacinthus Franceschi Florentiae nobili genere ortus, integritate vitae ingeniique suavitate mirabilis, in Florentino Collegio sub disciplina Patrum societatis Iesu una cum Alexandro Bericio eximiae virtutis adolescentulo humanioribus litteris piisque institutionibus operam dedit. Religiosae perfectionis consilium quod a pueritia conceperat et constanter enutriebat, superata longa et acri sui genitoris contradictione, eodem annuente ad annum aetatis decimum septimum perfecit, Romanum eiusdem societatis tyrocinium ingressus. Meliora aemulatus charismata, Indicam missionem petiit et obtinuit, atque, superioribus disciplinis Coimbricae inchoatis et Goae absolutis, ad Aethiopicas missiones anno 1633 convolavit. Sedulos in vinea Dei operarius uberes retulit fructus in Tygraeo regno aliisque regionibus donec sui praesulis Apollinaris suique sodalis Francisci Ruiz uti laborum et cruciatuum ita quietis et praemii particeps fuit. — Franciscus Ruiz apud Ulysipponem in oppido *Lumiar* ortum duxit. Adolescens optimis moribus excellens et a patribus societatis Iesu institutus, quum septemdecim essset annorum eandem societatem amplexatus est. Semel atque iterum patefacto suis moderatoribus animo ad sacras missiones, tandem, obtenta venia, quatuor cum sociis Aethiopiam contendit, regionemque apud Dancasium excolendam suscepit tum apostolico munere, tum effusa charitate, ad hoc studio et arte etiam medicus effectus. Dum haec sancte agebat, vir Dei iussu Imperatoris Aethiopum captus et ea tenis onustus, post plura tormenta ex arbore suspenditur, et adhuc Spirans lapidatus occubuit. — Abrahamus de Georgiis Aleppi natus e familia maronita montis Libani, pieque educatus, in seminario maronitarum inter aequales ingenio et virtute praestitit. Religiosus societatis Iesu condiscipulum et amicum S. Aloisium Gonzagam habuit. Votis nuncupatis in Collegium Coimbricense anno 1592 transegit, postea Romam venit ubi consilium ad missiones Indicas discedendi iniit, fovit et, assentiente P. Claudio Aquaviva praeposito generali, eodem anno adimplevit. Iter aggressus Massauam appulit, a Turcico duce Xafer comiter exceptus. Quum post tres menses in Aethiopiam discederet ad evangelii lumen illuc effundendum, extemplo uti christianus recognitus ad Massauam redire coactus est. Ut Fidem catholicam periuraret praefato duce blanditiis et minis frustra obnitente, fortissimus vir post

plura acerbissima tormenta sanctum nomen Iesu ingeminans, tertio gladii ictu, capite plexus est — G-aspar Paez, in urbe lusitana *Caoillam* anno 1597 natus et a parentibus anno 1605 in Indiam deductus, patrum societatis Iesu scholas frequentare coepit eorumque Institutum in aetate quatuordecim annorum ingressus est. Anno 1623 dum philosophiam tradebat, ad missiones Aethiopicas se trahi sensit, et voti compos factus discessu Quamdiu moratus est in Aethiopia, verbo et exemplo religionem catholicam propagavit. Ceteris Christi ministris ab Aethiopia expulsis, ipse cum P. Ioanne Pereira et P. Brunone Bruni in urbe Assa manere potuit, sed deiectus, iubente rege Faciladas Fidei Catholicae infenso, una cum illis traditus est monacho Aspha Christos qui nefarium atque haereticum virum cui nomen Guabra Christos, in sceleris complicem sibi adscivit. Adveniente die 25 Aprilis anno 1635 dum patres ut sacris operarentur se parabant, Guabra Christos cum triginta et centum hominibus impetum fecit in eos. Gaspar Paez corde et latere dextero lancea transfixus, primus occubuit, quem in passione quatuor fratres operarii et ipse sacerdos Pereira illico secuti sunt. — Ioannes Pereira in oppido natali *Cellanella,* dioeceseos Ulysipponensis, sub tutela sui angeli quem saepe invocabat, virtutibus eluxit. In societatem Iesu receptus, anno 1626 in Indiam, uti petierat, missus fuit. Goae sacerdotio initiatus, anno 1628 ad Aethiopes excolendos profectus est. Plures haereticos ad catholicam fidem traduxit, insito in eis pietatis ger•mine erga Deiparam Virginem. Assae degens, cum Gaspare Paez et ministerii curas et martyrii cruciatus communicavit. Lethali vulnere percussus magnisque ex eo per septem dies doloribus afflictus exoriente die 2 Maii anno 1635 in caelestem patriam transiit. — Ludovicus Cardeira Cellae Alcobatiae in Lusitanis a piis parentibus ortum duxit. Anno 1611 ad Indicas missiones cum P. Petro Francisci migravit. Excellenti pollens ingenio linguam aethiopum, theologiam et mathesim calluit atque ipsam musicen didicit et primus ibidem docuit. Illas regiones cum P. Brunone Bruni sacro ministerio lustra vit, aliquandiu hospitio usus, veluti refugii loco, viri religiosissimi Habeti Zamariani penes montem *Amba Selama.* Regis Aethiopici odio in catholicos crebrescente et Lexano eius administro instigante, fidelis Dei Servus ad supplicium damnatus psalmum sexagesimum quartum : *Te decet hymnus Deus in Sion* recitabat,

et per laqueum ex arbore suspensus, guitare eliso, interfectas est. — Bruno Bruni Columnellae in Italia natus a Sancta Cruce quam iugiter in pectore gerebat, nuncupatus, societatem Iesu professus est et peramanter coluit. Annuente P. Mutio Vitelleschi eiusdem societatis supremo moderatore ad Indicas Missiones anno 1622 progressus est. Divinae gloriae humanaeque saluti unice intentus, apostolicos labores et persecutionem tyranni usque ad mortem strenue sustinuit, et, pro tam nobili causa, eadem die eodemque supplicii genere cum P. Ludovico Cardeira vitam profudit. — Quum vero omnia in promptu essent ut de Causa praedictorum Servorum Dei introducenda penes Sacrorum Rituum Congregationem disceptaretur, instante Rmo P. Ludovico Martin societatis Iesu praeposito generali una cum R. P. Camillo Beccari eiusdem societatis postulatore, praehabitis opportunis dispensationibus sub die 9 Maii vertentis anni, attentisque, prouti de iure et consuetudine, antiquis et recentioribus litteris postulatoriis, etiam Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Antistitum aliorumque ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella huius Causae Relator in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis sequens dubium discutiendum proposuit : *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem eiusdem Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 17 Iunii 1902.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefatorum octo Venerabilium Servorum Dei, die decimanona, eisdem mense et anno.

D. CARD. FERRATA, 5. *R. C. Praef.*

L. & S.

+ D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

BASILEEN. seu TRECEN. Beatificationis et Canonizationis Ven Servae Dei Mariae Salesiae Chappuis antistitae monasterii visitationis in civitate Trecensi.

Quum infrascriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, loco et vice Emi et Rmi Dñi Card. Lucidi M. Parocchi Episc. Portuen. et S. Rufinae atque huius Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Salesiae Chappuis Relatoris, in Ordinario Sacrae eiusdem Congregationis Coetu Rotali subsignata die ad Vaticanum habito, dubium discutiendum proposuerit. « *An constet de validitate et relevantia Processus in Curia Basileen. Apostolica Auctoritate constructi super fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei, in casu et ad effectum de quo agitur* », Sacra ipsa Congregatio, iuxta dispositiones Apostolicas annis 1878 et 1895 editas, omnibus accurate perpensis auditoque R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu constare, expuncto teste tertio ex albo testium.* Die 6 Maii 1902.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum ipsius Sacrae Congregationis ratum habuit et probavit, die 29 iisdem mense et anno.

DOMINICUS CARD. FERRATA, S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., S. *R. C. Secret.*

SANCTI DEODATI seu SINARUM. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Der Ioannis Martini Moye Fundatoris Congregationis Sororum a Providentia.

Instante Rmo P. Xaverio Cazenave, Societatis Parisiensis Missionum ad exteros Procuratore Generali atque Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Martini Moye Postulatore, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu Rotali, subsignata die, ad Vaticanum coadunato iuxta peculiares dispositiones Apostolicas annis 1878 et 1895 editas, sequens dubium discutiendum pro-

posuit: « *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?»* Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurate expensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « *Constare praeviis sanationibus occurrentibus in processibus* ». Die 6 Maii 1902.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua expetitis sanationibus in Processibus ad enunciatum effectum indultis, Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 29, iisdem mense et anno.

DOMINICUS CARD. FERRATA *S. R. C. Praef.*

L. © S.

f DIOMEDES PANICI Archiep. Laodicen. *Secret.*

ANDEGAVEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sororis Mariae a S. Euphrasia Pelletier, Fundatricis Sororum a Bono Pastore.

Instante Rnio Dno Antonio Savelli Spinola Canonico Patriarchalis Basilicae Liberianae et Causae Ven. Servae Dei Mariae a S. Euphrasia Pelletier Postulatore in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum coadunatis iuxta Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens dubium coram Emo et Rmo Dno Cardinali Hieronymo Gotti eiusdem Causae Ponente discutiendum propositum fuit: « An constet de validitate et relevantia Processus Andegavensis Auctoritate Apostolica constructi super Fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei in casu et ad effectum de quo agitur?» Et Sacra eadem Congregatio, omnibus accurate perpensis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, respondendum censuit: « *Affirmative seu constare* ». Die 18 Martii 1902.

Facta postmodum de his SSmo Dno N. Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi

Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutionem eiusdem Sacri Consilii ratam habuit et confirmavit, die prima Maii, eodem anno.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

DECRETA NOVISSIMA

URGELLEN. Dubium quoad translationem diei festi S. Ioannis B de La Salle.

R. D. Ioachim Solans, Magister caeremoniarum Cathedralis Urgellen, de consensu proprii Ordinarii sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponit, nimirum:

Anno proxime sequenti 1903, die 15 mensis Maii celebrari debet festum S. Ioannis B. de La Salle, Conf- Attamen in tota Hispania, praefata die festum colitur S. Isidori Agricolae Conf., duplex, civitatis Matriten. Patroni, quin tum ex Bulla Canonizationis huius Sancti cum ex aliis documentis liquido appareat qua die obierit idem S. Isidorus. Notatu dignum est hunc Sanctum, tamquam Patronum coli ab omnibus Hispaniae agricolis, qui egerrime ferrent, perpetuam tanti Patroni translationem. Insuper memorata die 15 , Parochi Missam pro populo applicare tenentur, eo quia olim S. Isidorus sub duplici de praecepto celebraretur. Hisce praemissis quaeritur:

Num S. Isidori Agricolae festum, praedicta die 15 Maii celebrandum sit, translato in diem primam liberam S. Ioannis B. de La Salle festo, an vero e contra?

Et S. R. C, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 24 Martii 1902.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

CORTONEN. dubia quoad altare privilegiatum, quum sit ligneum.

Cum aliquod dubium circa naturam altaris privilegiati existentis in Oratorio Sororum a Sacris Stigmatibus Cortonae degentium obortum fuerit, eo quod esset ligneum et nullo modo parieti firmatum, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia solvenda sunt exhibita :

I. An lapis simpliciter consecratus, quem altare *portatile* seu *viaticum* vocant, privilegio gaudere possit?

II. Estne necessarium ut altare sit fixum *stricto sensu liturgico* (scilicet ex toto lapideum et cuius mensa unico tantum constet lapide immediate stipitibus coniuncto et consecratum) ad hoc ut privilegio decorari valeat?

III. An sufficiat ut *sit etiam ligneum muro minime firmatum,* cum lapide in medio mensae consecrato et alicui Sancto specialiter dicatum ?

Emi ac Rmi PP. in Vaticano Palatio coadunati propositis dubiis responderunt die 15 Iulii 1902.

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

De quibus facta relatione SSmo Dno Nostro Leoni Pp. XIII in Audientia ab infrascripto Card. Praefecto die 18 Iulii eiusdem anni, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Iulii 1902.

S. CARD. CRETONI *Praef.*

L. S.

Pro R. P. D. FRANC Archiep. Amid. *Secret*

Ios. M. Can. COSBLLI *Substit.*

ORDINIS MINOR. CAPPUCCINOR. dubium quod lucrandas indulgentias concessas tertio Ordini saeculari.

Minister Provincialis Ord. Minorum Cappuccinorum in Sabaudia huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi exposuit, Sodales Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci ad lucrandas Indulgentias eidem Tertio Ordini tributas teneri ad visitandum aliquam determinatam Ecclesiam. Iam vero quum plures extent Sodales praefati Ordinis, qui in aliqua Communitate degentes, moraliter impediuntur quominus praescriptam Ecclesiam visitent, ut istorum spirituali bono provideatur, sequentia dubia proposuit:

I. An Tertiarii qui degunt in Seminariis, Collegiis, Hospitalibus, carceribus, aliisque similibus domibus, quae semi-publicum habent Oratorium, Indulgentias acquirere possint, dummodo moraliter sint impediti, illud visitando, loco visitandi Ecclesiam parochialem, vel Ordinis, vel illam in qua erecta est Sodalitas aut Oratorium publicum Tertii Ordinis?

Et quatenus negative.

II. An expediat per generale Decretum praefatam gratiam concedere, ne Tertiarii in praedictis domibus degentes tanto thesauro priventur?

Emi Patres in Aedibus Vaticanis convocati die 15 Iulii 1902 responderunt:

Ad I. Providebitur in II.

Ad II. Supplicandum SSmo pro gratia.

SSmus vero Dnus Noster Leo Pp. XIII audita praedictorum relatione ab infrascripto Card. Praefecto in audientia diei 18 Iulii eiusdem anni, Erîiorum PP. resolutiones approbavit et petitam gratiam benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Iulii 1902.

S. CARD. CRETONI *Praef.*

L. * S.

Pro R. P. D. FRANC. Archiep. Amiden. *Secr.*

Ios. M. Can. COSELLI *Substit.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM prohibens diversos libros.

Feria III. die 19 Augusti 1902.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 19 Augusti 1902, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Presbyter Lucensis. — L'Antichità intorno all'elezione dei sacri Pastori. — Lucca, tip. del Serchio 1902.

Zino Zini. — Il pentimento e la morale ascetica. — Torino, fratelli Bocca 1902.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Iulius Bois, Hermannus Schell, Aemilius Combe, Iosephus Muller, Franc. Regis Planchet et Camillus Quiévreux decretis S. Congregationis, editis 21 Aug. 1896, 15 Dec. 1898 et 7 Iun. 1901, quibus eorum quidam libri notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecerunt.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum Secretarium relatis, SANCTITAS SUA Decretum *probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum'Romae die 19 Augusti 1902.

A. CARD. STEINHUBER, *Praef*

L. ^ S.

Fr. THOMAS ESSER, Ord. Praed. *a Secretis.*

Die 20 Augusti 1902. Ego infrascriptus Mag. Cursor um testor supradictum Decretum affiœum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia, *Mag. Cur s.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ORTONEN.

MATRIMONII

Die 16 Augusti 1902.

Sess. 24, cap. 5, de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Anna-Dominica duodeviginti annos tunc nata, die 12 Maii an. 1892 coram Parocho Crechii, dioecesis Ortonen. matrimoniali foedere iungebatur Camillo, obtenta prius ab Apostolica Sede dispensatione super impedimento consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis, et facta ab Archiepiscopo declaratione, malitiam supplevisse aetatem in sponso, cui deerant menses quatuor et dies viginti ad complendum decimumquartum aetatis annum.

Huiusmodi vero nuptiae infelicissimum habuerunt exitum ; etenim nullo Camilli studio aut consensu, uti asseritur, conclusae fuerunt, sed unice eiusdem patris pertinaci industria ac labore.

initis nuptiis, neo-coniuges ad proprias domus reversi sunt, nec unquam, uti asseritur, inter eos coniugalis habitatio instaurata fuit; quin imo Camillus, qui iam nulla amoris et benevolentiae signa ante matrimonium sponsae praebuerit, post matrimonii celebrationem, nunquam, uti fertur, cum coniuge eiusque parentibus est amplius conloquutus.

Quapropter huiusmodi status pertaesa mulier, virum et ipsa fastidire coepit, ac mense Iulio eiusdem anni 1892 cum alio viro fugam arripuit, ac impio ausu, cum ipso matrimonium civile, ut aiunt, contraxit die 21 Decembris 1892, eique filios procreavit.

Camillus, expleto militari servitio, supplicem misit libellum ad Archiepiscopum Anxanen., qui dioecesis Ortonen. administrationem commendatam habet, humiliter petens de-

exarationem nullitatis sui matrimonii initi cum Anna-Dominica et subordinate, ut ab Apostolica Sede obtineretur ei dispensatio super matrimonio rato et non consummato.

Ordinarius, precibus Oratoris benigne acceptis, processum instituit tam super nullitate, quam super matrimonii non consummatione, expletoque processu, iudicavit: « *non* constare de nullitate matrimonii in casu, constare vero de inconsummatione, proindeque posse tuta conscientia peti a SSmo dispensationem ».

Contra hanc sententiam, iuridice nullam, ob Iudicis incompetentiam, vinculi defensor appellationem interposuit ad S. Sedem.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Camillus est huius causae actor, qui puer aetate 13 annorum, 7 mensium et dierum 10, sub vi et metu, ut asserit, matrimonium cum patrueli sorore Anna Dominica cui 18 anni cum biduo erant, iuxta rituale romanum celebravit coram Parocho dioecesis Ortonensis die 12 maii 1892. Modo celebrationis huius valorem iam tunc ob coactionem primario impugnat. Ut autem optabiliori perspicuitate veritas elucescat, et iudicium prudentissime feratur, historiam facti chronologicam ab initio resumere ex actis ac brevi sermone colligere necesse est.

Antonius sicut fuit auctor dierum Oamilli, sic et auctor principalis et unicus matrimonii illius cum Anna Dominica. Huic incomparabili genitori, quem hominem conditione rusticum, ingenio tenaciorem, pecuniae percupidum, ac rerum futurarum sollicitissimum processus demonstrat, erat germanus frater, qui unigenitam filiam habuerat, nempe Annam Dominicam. Haec nubilis puella, in decimo octavo anno constituta, uri incipiebat, et magis se nubere optare cuiquam indeterminate, non uno signo praeferebat.

Itaque Antonius inhians doti, et timens ne columba alibi nid um strueret et sua transferret, statuit in corde suo eam

cohibere, et absque mora cum valido compede ipsam colligare filio Camillo, qui tunc circiter tresdecim annos cum dimidio vix attingebat. Resolutione capta, ad actionem praefacte transit, ac suo remigio rem gessit.

Cum ad aures pueri Camilli propositum paternum pervenerit, ipse una cum matre repugnantiam et abominationem constanter edixit verbis et factis ; unde uterque iram, minas ac verbera ab Antonio consequutus est. In tanta necessitudine mater Parochum adiit, et exoravit, ut sui auctoritate muneris flagitium impediret, ac persuasum redderet virum suum de improbitate actionis. Archipresbyter Parochus, qui et vicarii foranei officio fungi videtur, ineifica•citer impuberis iura defendit, et Antonii voluntati obsequens, efficacius in eo, quod deinde accidit, admodum particeps fuit et iniustus cooperator, ut patet in actis.

Etenim iste Parochus cum magno suae dignitatis dedecore, ac cum maxima erga Curiam ac S. Sedem iniuria, morem Antonii faciliter gessit, et dispensationem a secundo gradu consanguinitatis inter Camillum et Annam Dominicam petiit sub nuncupatis causis, nempe : feminae superadultae aetas, grave scandalum reparandum, gravia evitanda mala.

Curia Ortonen., in testimonio eiusdem Parochi confisa, preces commendavit, et gratia a S. Poenitentiaria in forma pauperum pro foro externo fuit concessa sub datis claususulis ad validitatem, praesertim *si vera sint exposita aliumque eis canonicum non obstet impedimentum.* Curiae decretum de recognitione et fulminatione Apostolici rescripti non apparet in allegatis, et tamen Parochus expletis de licentia Ordinarii publicis proclamationibus, uno eodemque die (10 maii 1892) processum libertatis status confecit, ac sponsorum voluntatem sistentium coram se, testibus et coegente genitore (uti scribit) exploravit.

Deinde proxime accessurus ad nuptias benedicendum, Camillum per quatuor menses et viginti dies a nubili canonica aetate distare advertit. - Quod tardius animadver-

titur, ocius reparatur. Unius diei intervallo Curia Ortonen. exceptionem a praesumpta aetate iuris declarat, quin appareat an Camilli discretio vel voluntas, seorsim a consanguineis, sit efficaciter explorata.

Rebus ita compositis, mane'diei 12 Maii Camillus reluctans et moerens ad sacramentum poenitentiae primum, et hinc ad altare abductus fuit a genitore, graviter praecipiente illi assensum *si* pronunciare.

Illico, cum ritus fuerit adimpletus, Camillus a comitatu aufugit, et ad patrium larem recta via remeavit ; sed istinc ad nuptiale convivium paterna virtute conductus, sponsam aspicere, et una simul cum ea associari, vel cibum sumere in eadem cibilla, invicte recusavit. Quam constantem sponsi abominationem perspiciens Anna Dominica illum fastidirà coepit, et non multos post dies per speciem raptus ivit cum primo suo amasio, et postea, accepto socri consilio, infra bimestrem ab inito matrimonio alteri iuveni coniugem se tradidit sub laicae potestatis sanctione, et plurium filiorum mater modo effecta est.

Profecto Camillus eam neglexit semper, et ne ad pauca horae momenta solus cum sola Anna Dominica stetit. Ast postquam rei militari debitum reddiderit, constantius asserit, ipsum erga sororem patruelem vel aliquantulum amorem, multoque minus intentionem aliquando ducendi eam in uxorem, nunquam habuisse : quinimo ob impuberem aetatem, patrisque vexationes ac minas non libere et ex animo, sed coacte et externe tantummodo assensum suum coram Parocho emisisse affirmat, et probat, praeter iuramentum, cum iis, quae tum antea tum post celebratum ritum palam in ore atque in oculis omnium adversus egit et dixit.

Qua de re Camillus adiit Archiepiscopum Anxani, qui dioecesis Ortonen. administrationem commendatam habet,, eumque supplici libello postulavit instanter, ut rationes ab ipso demonstratae iuridice exagitentur ac, si verae existant, suum matrimonium irritum declarare; sin minus pro gratia a matrimonio rato et non consummato subordinate de-

servire valerent. Precibus annuit Ordinarius, et utpote decrevit, ita per tribunal legitime constitutum haec nullitatis causa ad exactas canonum normas peracta fuit et ad exitum usque perducta.

Deinde Archiepiscopus processum serio considerandum ipse suscepit, perpensisque patroni non levibus argumentis nullitati faventibus, nec non animadversionibus ab egregio vinculi Defensore prolatis ad aliquod dubium saltem ingerendum, suspensive edixit : *Clare non constare de nullitate matrimonii quod est in causa.* Ex illis autem, quae ad non consummationem attinent, definitive conclusit et iudicavit, idem matrimonium revera non consummatum constare, ita *ut tuta conscientia dispensationem peti possit a Summo Pontifice,*

Ab ista sententia Defensor appellationem ex officio interposuit; ideoque acta huic S. C. C. remissa fuere; quaeque mihi omnibus ponderibus perpendenda benigne concredita sunt, ut ex veritate et iustitia referam an sententia Ordinarii reformatione indigeat, nec ne, in utraque vel alterutra parte.

Emi Patres, ut clarius quid sentiam patescat, argumenta ex processu, quae matrimonium in casu ex capite vis et metus an irritum extitisse demonstrant, breviter innuam. Deinceps reliqua libere exponam, quae prudentiori sententiae valde adminiculan queunt, praesertim cum quaedam adsint circumstantiae, quae fortasse, uti arbitror, etiam ex diverso capite nullitatem arguunt. Ubi opinionem meam Vobis peregero, eamdem diiudicare sapientiae vestrae libenter relinquo.

Nil vera observatione dignum in processu reperitur, est equidem undequaque canonice absolutus. Testes ab Auctore adducti fere omnes consanguinei utriusque partis sunt, totidemque a magni sacramenti vindice inducti, idoneitate praediti ac iuramento sacro validiores.

Velut in facti specie indicavi, princeps testis, ac potius reus, in praesenti causa est ipse Camilli pater, ni fallor;

eiusque compar est Parochus, qui superiorum antistitum bonam fidem, ac sacramenti sanctitatem pessumdare non immerito videtur. Principiis iuris utpote prae manibus non immoror; sed iuxta eadem factum expendere aggredior.

In primis cuiusnam naturae indoles fulgeat in genitore-Camilli satis superque deprehenditur ex actorum lectione,, secundum quod summarie annotavi superius in factispecie; et inferius relativa argumenta passim adducuntur. Nunc si plena adhibenda sit fides iis, quae ex Actoris et testium repositione colliguntur, haud facile quis valet contra istiusmodi matrimonii nullitatem aliquid deducere, cum apertissime ex actis eruatur Camillum passum fuisse metum relative gravem ab ipso parente, ad hoc praecise incussum, ut Annam Dominicam in uxorem acciperet. Etenim Camillus sub iurisiurandi sanctitate protestatus est quod pubertate valde minor tractatum coniugalem, quamvis ad minimum verbum, nec per se, neque per alium nunquam habuerit cum Anna Dominica. Quartae ex ofiScio interrogationi iudicis, qui absque dubio prudenter sufiecit quod opportunius et sagacius indagari a defensore oportebat, Camillus respondit: « Mio padre non mi disse nulla del matrimonio che stava concertando, invece me lo fece dire dagli zii, ed io risposi sempre che il matrimonio non voleva farlo »: Celebratum fuit tamen; sed cuiusnam voluntate? Idem Camilli pater sic se sub iuramento accusat: « Il matrimonio' fu fatto per volontà mia e contro la volontà di mio figlio. Ed io stesso pensai a tutto quello che occorreva pel matrimonio, senza che mio figlio se ne fosse occupato per nulla ». Et quod egerit marte suo quin alicuius consilium exquireret, Actoris mater iurando confirmat: « Il matrimonio si combinò tutto per capriccio di mio marito, padre dello sposo ». Imo quia voluntatem suam facere constituerat, consilia honesta inurbaniter respuit, uti Maria Iosepha Actoris amita testatur.

Insuper Camillus praepotenti et pervicaci patris determinationi verbis et factis ab initio contradicit. Verum qui

protestationem adhibet in eo quod respicit futurum, removet intentionem, ac ideo consensum, ab ipso actu futuro, maxime quando protestatio assidua sit et perseverans.

Quoniam vero ad matrimonium devenitur amore, rationabiles praesumitur defuisse consensum, si mutuus aliquis amor nunquam praecesserit. Ast inter Camillum impuberem et Annam Dominicam, quae per sex annos nubilem aetatem excesserat, nullus amor, aut quoddam benevolentiae signum, ex quo futuram unionem arguere fas sit, occurrit in actis, sed e converso quasi odium et abominatio.

In hoc et reliqui testes conveniunt, et ad quartum quaesitum Iudicis responsum dantes, eos ante matrimonii celebrationem mutuo se amore aliquo nunquam prosequutus fuisse, affirmant.

Sed si expressa et continuata aversio ad aliquem statum vel personam magnum est apud probatos auctores adminiculum coactam diiudicandi voluntatem, quanto magis si vis vel metus accedat in themate? Et revera ex affirmatione Actoris minae quoque habentur. « La mattina del matrimonio mio padre m'impose con minacce di andare alla Chiesa e dire *sì* alla domanda del Parroco». Genitor ipse, factis iurando sacris scripturis, confitetur : « Privatamente gli feci delle minacce per farlo presentare in Chiesa a dare il consenso. Innanzi alla gente poi procuravo di inculcarglielo col buono ». Verumtamen etiam mater, quae filii libertatem vindicare satagebat, saevitias et verbera sustinuit. « Lo consigliavo di resistere alla volontà del padre, egli rispondeva di non saperlo fare, perchè il padre lo batteva». Ex allatis usque modo testimoniis non difficile probatur iuxta doctrinam, quam sequitur in praxi S. C. C, in casu praesenti illum adesse timorem, qui reverentialis dicitur ; nam indignatio ac genitoris pervicacia, quam timet Camillus in se et in genitricem, gravis est et diuturna, et ideo magni ponderis est ad probandum, qui accedunt etiam verbera et importunitates in puerum impuberem eiusque matrem. Et quid mirum aut dubium? Siquidem Pa-

rochus ipse, qui ex pastorali munere fortis debet esse et fidelis, Antonii instantiis minus perfractis débiliter cessit.

Praeterea luculentiora argumenta evincunt, ut mihi videtur, quod Camillus sub vi paternae voluntatis libertate a iure requisita caruerit in celebratione sui matrimonii, dum tamen dissensum et displicentiam suam elicere non desisterei. Etenim sive in privata suae voluntatis exploratione coram Parocho, sive ante altare in celebratione matrimonii non fuit a coactione immunis. Testimonium reddit ipsa Parochi depositio. Ex hoc concludere licet, uti in aperto est, Parochum etiam coram patre iuvenis voluntatem explorasse, ac oneri suo non satisfecisse ; nam ipse non studuit sponsum seorsim, caute et ad aurem explorare, utrum ex propria electione, sponte ac libenter cum vero animi consensu ad tale coniugium assentiret. Et tanto cautius et secreto id exequi debuerat; sciebat enim ex precibus materais quam abominationem in tale matrimonium puer Camillus conceperat. Sed iam testatum est quam mollis ac facilis fuerit iste Parochus.

Ergo recte opinari conceditur, Camillum absque totali libertate ac securitate ad ritum celebrandum processisse; quia usque ad altare fuerit a patre associatus, ideoque metus durare praesumitur quamdiu extat eius causa.

Sed amplius reperitur in actis ad propositum nostrum ; adest enim ficti consensus sitissima et diserta manifestatio prolata a Camillo, qui illico et incontinenter post celebratum ritum ad paternam domum aufugit, aliisque factis se simulate consensisse asseveravit.

Neque Camillus ab hac persistente abominatione aliquantisper se dimovit in posterum ; sed querelas et protestationes continuo emisit. Et revera omnes testimonii fidem adstruunt, quod Camillum inter et Annam Dominicam numquam intercesserit col locutio aut conversatio solitaria vel manifesta.

Eo usque pervenit tristitia Camilli, ut se interimere proposuerit. Eruitur ex testimonio Iovinae N. a Defensore inductae.

Hactenus nihil a sponsa in actis depositum retuli, quia de nihilo ad rem, uti decebat, sciscitata fuit : nempe de iis, quae praecesserant circumstantiae, et praesertim an Camillum libenter et libere assensum praebuisse cognoverat. Attamen, quod ad testimonia nuper allata attinet, opportune aliquid, ab ea ante iudicem reseratum, in medium afferre puto; interrogata enim de post matrimonium deponit, quod nulla amoris aut benevolentiae signa extiterint inter se, eo quia nunquam cohabitaverit aut familiariter usa fuerit cum Camillo. Ergo non temere deduci potest, quod ille Camilli consensus, per adverbium *si* expressus, non fuerit verus ac sufficiens ad valorem magni sacramenti ; quia deponens iunctis adminiculis et coniecturis bene probat.

Iam vero indubium est, metum, si requisitas conditiones possideat, irritare matrimonium etiam, si pars metum passa in ipso matrimonii actu simulat consensum. Quae huc usque recensita sunt, praecisa ac urgentiora videntur, ut moraliter certiorem reddant iudicem, consensum in themathe ad matrimonii validitatem necessarium non adfuisse. Nihilominus, ni fallor, validius adminiculum desumitur in factispecie; etenim debita deliberatio, quae in matrimonio ineundo a iure imponitur, praeter vecordiae paternae obstaculum, etiam tutamine, quod ob aetatem ab ipso canonico iure solemniter decretum est, defraudata conspicitur. Ecclesia impedimentum dirimens aetatis tulit, tum quia ante pubertatem cognitio et doli capacitas ad matrimonium valide ineundum praesumitur non adesse ; et licet contra iuris praesumptionem adsit, tamen ea erit necessario debilior: tum quia multae rationes suadent matrimonium non esse permittendum iuvenibus ante actualem potentiam, quae dicta aetate supervenire solet : imo plerumque minime expedit statim post ipsam pubertatem nuptias inire. Ad rem De Iustis « Eam aetatem 14 in masculo et 12 annorum in femina ideo praescribunt canones, quia tunc et non ante regulariter praesumitur habilitas non solum ad consensum coniugalem, sed etiam ad copulam ». Unde impedimentum

hoc est iuris naturalis ante debitam in utraque vel in alterutra parte mentis discretionem ad matrimonium ineundum, quae in foro externo ante pubertatem non praesumitur, nisi probetur. « Cum consensus sit etiam necessarius non esset matrimonium, nisi in eo infante esset quoque maxima discretio » (Sánchez *lib. VIII de Matrim.).* Idest talis haec discretio sit, quae sufficiat ad consensum illum rite faciendum qui perpetuo durare debet (D. Thom., *I. c. ad 4).* Est autem iuris ecclesiastici tantum, si uterque impubes de facto contra praesumptionem iuris habeat debitam mentis discretionem, et in alterutro sine actuali potentia generandi. Ad hoc dignoscendum non est parochi, sed Ordinarii, vel Sedis Apostolicae; quia ait Benedict. XIV Constit. *Magnae Nobis:* « Declaratio haec potius dicenda erat, quam dispensatio, quum facultas contrahendi matrimonii ante praescriptum aetatis tempus, quoties malitia supplet aetatem, ab*ipsa legum et canonum dispositione proveniat. Quin imo Episcopi ipsi et Ordinarii locorum iure suo pronuntiare possunt super ea quaestione, quae facti est, an scilicet malitia, ut asseritur, aetatem suppleat, et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valeant. Neque necesse est Apostolicam Sedem adire, *nisi pro maiore actus solemnitate* etc. ».

At si puer vel puella a nubili aetate valde distat, tutius est confugere ad Sedem Apostolicam, uti revera fieri solet, quae declarandi et dispensandi potestate pollet, si sola actualis coeundi potentia desit. Fagn. *I. c. n. 32;* Giovine I,, § *293, n. 3.*

Ast quaeque licentia rationabilis convenit esse et ad aedificationem impertiri; ac per consequens típiscopus vel Ordinarius in informatione facti, idest an in tali impubere malitia suppleat aetatem, ut prudenter agat, sequi oportet normam, quam Sedes Apostolica solet Episcopo vel Vicario Generali praescribere quando pro obtinenda hac declaratione ad eam confugiunt: Ideo non in forma iudiciali, sed extraiudicialiter et efficaciter, vere et legitime ab Ordinario per

se vel per alium inquirendum est: 1.° an supervenerit actualis potentia generandi ; 2.° an constet de adepta mentis discretione, interrogando impuberem seorsim a consanguineis utrum velit nubere et cui, utrum dignoscat non tantum vim et naturam consensus, sed et matrimonii dignitatem et onera; 3.° certo examinare an impúber plena libertate et advertentia gaudeat; explorando an ad matrimonium vi, metu, blanditiis aut promissionibus inducatur. Et si necesse sit, etiam testes audiendi sunt, et omnia quaesita et responsa in actis consignanda.

Modo, taedet me, haec vera et legitima inquisitio deest in themate nostro ; nam in decreto *contrahatur*, emisso a Curia Ortonensi hoc tantum reperitur: « Si noti che Sua Ecc. Riha Monsignor Arcivescovo, quia malitia supplet aetatem, ha disposto che possa celebrarsi il matrimonio, sebbene allo sposo manchino mesi 4 e giorni 20 a compire i 14 anni ». Notatu dignum, quod sponsi eorumque dignus Parochus domicilium habent in oppido Crechii, Vicarius generalis Ortonen. Ortonae, Archiepiscopus Anxanen. Anxani ; et tamen die 10 Maii licentia contrahendi denegatur: « 10 Maggio - si è scritto all'Arciprete che lo sposo non avendo compiti gli anni 14, non si può rilasciare il *contrahatur* » ; et unius diei intervallo conceditur : « 11 detto - Avendo Monsignore Arcivescovo dichiarato di concedere la dispensa per i quattro mesi che mancano agli anni 14, perchè la malizia supplisce all'età ». Ut video, nisi !quid me fallit, ad minus imbecillitati Parochi et cupidae astutiae Antonii patris tanta fallacia seu fraus tribuenda est. Hoc ipso die de praemissis proclamationibus, et de nihil obstare quod matrimonium prohibeat, certiorem reddit Curiam Ortonen. Eodemque die Vicarius Generalis non dari contrahendi licentiam scribit, ob impuberem sponsi aetatem : sed sequenti die 11 Maii eam concedit ex declaratione Archiepiscopi, et sic mane diei 12 Maii infaustum ac ludicrum matrimonium efficitur. Levitatem ergo et sic procedendi praecipitantiam absque rationabili ratione probabiliter

refundere licet in Parochum; qui solummodo ex propria sententia et sub influenti Antonii pervicacitate exposuerit argumenta, ex quibus Curia exceptionem declaravit contra iuris praesumptionem. O certe ter quaterque bona fides in Parochum, qui *ultima hora* se expergefactus Camillum valde impuberem esse legit, cuius libertatem status, et conditionem ad matrimonium quovis alio impedimento expertem, iam scripto declaraverat! Ast ob insipientiam vel culpam alterius nemo expoliatur iure suo.

Et sane; in casu praesenti urgentissima ratio publica vel privata non concurrit, nedum ad Apostolicam gratiam petendam, sed neque pro declaratione canonicae exceptionis ab Ordinario summarie emittendae.

Insuper valde dubium est, quod in Camillo impubere actualis aptitudo generandi sollicite supervenerit simul cum tali discretione, quae ad intelligendum onera et vim matrimonii satis esset. Ergo unde eruta illa malitia quae aetatem supplebat in Camillo? Fortasse ex culpabili Parochi indulgentia et Antonii avaritia turpi. Igitur ex dictis apertissime constat ecclesiasticum aetatis impedimentum dirimens, in casu nostro exceptionem iuris non admittere cum praeter iustam et urgentem causam, etiam facti inquisitionem adducere oportebat ab Ordinario per se vel per alium vere et legitime peractam; quae ob maximam bonam fidem relicta est privative iudicio excellentis parochi.

Iam ab uno vel alio citato testimonio probabilius dubitare colligitur, etiam sufficientem animi discretionem ad matrimonium requisitam defuisse Camillo; sed et ipse, praeter parentes, propria convinctione in iudicio deponit.

De cetero velox sollicitudo et inconsulta praecipitatio in removenda, quae matrimonii celebrationi obstant, quam maxime arguunt et confirmant coactionem moralem, quam Camillus, per 5 circiter menses a pubertate distans, passus est a patre. Iste enim suo lubitu ac tenacitate, inscio et inconsulto filio, unice consentiente et apud Curiam agente Parocho, dispensationem a consanguinitate et de supplente

malitia declarationem obtinere absque veritate et ratione curavit, cum nullum periculum esset in mora probandi et declarandi praecocem malitiam.

Et sane, praeter id, quod ego minus sapiens hucusque retuli, aliud quoque veritatis et iustitiae gratia, nec non ad Sedis Apostolicae decorem, ponderandum venit. Cuique praesentis causae processum perlegenti facile occurrit, rationes adductas pro relaxatione impedimenti dirimentis in secundo gradu consanguinitatis tum tempore precum, tum tempore concessionis non extitisse in casu nostro. En propatulo argumentum: tres tantummodo a Parocho inventae fuere canonicae causae, quas authenticas esse retulit Ordinario, qui eas Beatissimo commendavit, nempe : scandalum reparandum, gravia mala vitanda, aetatem Oratricis superadultam. Mirabile dictu ! Impedimentum legitimae aetatis tacitum reliquit extensor precum non propria inadvertentia, sed quia Parochus caecutiens genealogiam ex baptizatorum libro non extraxit, alioquin et Oratricis aetatem non superadultam, et Oratoris annos nimis pueriles esse deprehendisset, cum vix tunc annos tresdecim cum dimidio haberet Camillus.

Gregorius XVI Epist. 22 Nov. 1836 praecipit Episcopum veritatem et gravitatem causae expendere debere, antequam dispensatio in secundo gradu petatur, et deinde oratores commendare. Hoc quidem per Vicarium efficere fas est, aut plerumque per Parochos ; ast quid opinandum in nostro themate de Parocho, qui ipsum libertatis processum pridie nuptiarum confecit, videlicet transacto mense a petita dispensatione? Modo neminem latet, quod aetatis superadultae ratio tunc habetur, quando femina vigesimum quartum annum vitae naturalis iam egressa est. At Anna Dominica eo die, quo celebravit matrimonium, decem et octo annos cum biduo vix computabat, ergo obiective et indubitanter falsa ratio superadultae aetatis in precibus exposita. Nec quidem relative superadulta ob angustiam loci; nam oratrix, in primo iuventutis flore constituta poterat alium

virum paris conditionis invenire, cui nubere maluerit antequam vigesimum quartum annum excederet. Et haec non est vana'suppositio, sed factum in actis amplissime retertum; nam infra bimestrem a celebrato ritu Anna Dominica duos habuit iuvenes, quorum cum uno raptim fugit, cum altero sub lege civili se mulierem copulavit genuitque filios, et cum eodem usque modo libenter vult permanere.

Falsa videtur quoque alia causa nempe: scandalum reparandum. Veritatem dixisset: scandalum suscitandum; nam illam nimis suspectam familiaritatem, aut periculosam cohabitationem, ex quibus ut plurimum oritur scandalum, per quantum Camillum respicit, cuncti testes excludunt omnino.

Tertiam rationem, idest: gravia mala vitanda: veritati non conformem prorsus, probat eventum. Ante istud avaritiae ac pervicacitatis matrimonium graves inimicitiae aut dissidia inter consanguineos non existebant, sed invaluere propter coactionem et pertinaciam inter patrem et filium, inter maritum et uxorem, inter sponsum et sponsam.

Et inutile dictu, huiusmodi clausulae expressas reserant conditiones, sine quibus tota dispensationis virtus evanescit. Atqui non solum obiective falsa fuere exposita, sed et o stabat canonicum aetatis defectum, et nihil interesó ...at bona vel mala fide tacitum fuerit in supplici folio. Quinam dubitare auderet, S. Poenitentiariam negavisse gratiam ab impedimento in secundo consanguinitatis gradu, si sciret tempore illo concessionis deesse Camillo menses quinque et decemnovem dies ad pubertatem canonicam consequendam?

VOTUM CANONISTAE. Sanctum semper fuit in iure canonico, matrimonium ineundum esse libero viri et mulieris consensu. Cum enim coniugium sit origo humanae familiae perpetuasque importet obligationes, consideratum fuit a sacris canonibus ut opus consilii et electionis, a quo removenda esset omnino quaecumque metus et coactionis suspicio. Iamvero indubium est metum, si habeat conditiones requisitas, irritare matrimonium, quamvis quo iure tunc irritetur an videlicet naturali, vel potius positivo tantum Eccle-

siae, magna sit inter Doctores dissensio. Recolantur iuris principia de libertate coniugii, quae velut sub oculos ponit Alexander III *(cap. XIV De spons...)* « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cuiusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur effectus qui de invitis solet nuptiis pervenire ». Metus vero qui matrimonium irritare potest est metus qui dicitur iure cadens in constantem virum *(capp. XV, XXVIII. De spons... et cap. VI De iis quae vi metusque causa fiunt)* ita ut haec expressio proverbii loco posita nihil aliud significet nisi metum gravem. Me tum dico gravem sive absolute, sive relative, nam ex com muni DD. sententia, in metu aestimando, plurimum attendenda est qualitas personarum, cum videlicet facilius excitetur metus gravis in pueris et foeminis quam in viris.

Sed nobis propius est quaestio de metu, qui cum proveniat ex reverentia quam parentibus debemus, reverentialis dicitur. Sub huiusmodi metus actione solent filii, licet inviti, voluntati parentum consentire. Et quamvis generatim loquendo metus reverentialis sit levis et non raro accidat ut filii familias si agatur de matrimonio contrahendo vel alio gravi negotio, parentum voluntati résistant, quodque ei magis libuerit amplectantur, attamen, cum concurrant vel minae vel percussiones, vel persuasiones importunae et instantissimae; et insuper adsint ex una parte modi austeri et rigidi, ex altera animus pusillus et imbecillis, metus inde conceptus fit ita gravis ut possit matrimonium irritare. « Etsi sola reverentia, inquit Reiffenst. *(I, XL, n. 95)...* Et ut omnes alios omittam ne longe sim, sufficiat audire doctissimum Engel *(IV, 1, § V, n. 4)* qui ait: « In hac quaestione, omissis aliorum sententiis, breviter statuo quod reverentia superiori debita, non indistincte pro iniuncto metu alligari potest, alias nullus foret locus effi-

caci contractui in praesentia parentum, si praetensione reverentiae, quaelibet cavillatio concederetur. Si autem praeter reverentiam alia etiam adminicula concurrant, ex quibus colligi possit aliquem revera fuisse invitum; ut periculosae minae, importunae persuasiones, et ut verbo dicam si modesta contradictio nihil iuvisset, tunc metus reverentialis etiam pro iusto metu habendus erit ». (Confr. Santi *IV, 1, n. 144* ; Clericatus *Dec. 37, n. 24 ;* Pignatelli *Som. IX, caus. 130).* In quaestione vero de qua agimus, mihi videtur exposita modo theoria suam nancisci applicationem. Res enim est de adolescentulo qui nondum decimumquartum aetatis annum complevit, et cogitur a patre ad ineundum matrimonium cum muliere, quam affirmat sibi repugnasse ratione cognationis intercedentis inter eos.

Sponsa autem profitetur se libenter contraxisse hoc matrimonium, sed queritur de ratione agendi Camilli, qui nunquam ei dedit affectus et benevolentiae signa, quin immo cum ea nec conloqui voluit tum ante tum post matrimonii celebrationem. Metum fuisse incussum filio paucis verbis innuit pater sponsi, explicite affirmat mater.

Repugnantiam, quam circa hoc matrimonium experiebatur Camillus, amicis et cognatis ante et post matrimonii celebrationem significavit.

Quin immo pravum propositum manifestasse aliquando Camillum affirmat Rosa affinis coniugum.

Verum quidem est parochum coniugum affirmare Camillum voluisse contrahere matrimonium, sed malo fato, parochus, ut patet ex actis, exquirit voluntatem pueri, patre praesente, quem quantum metuebat filius apparet.

Ex quibus omnibus haec mihi certa videntur :

1.° Magna semper fuit .Camillo repugnantia relate ad hoc matrimonium, ut apparet ex tota eius agendi ratione erga sponsam, tum tempore praecedenti ad matrimonii celebrationem, tum in eius celebratione, tum etiam postea ;

2.° Haud haec repugnantia movit patrem ad meliora capienda consilia : quin immo ;

3.° Auctoritate sua, minis, verberibus usus est in filium adolescentium, qui patrem timebat, ut hoc matrimonium acceptare t ; in matrem ut permitteret. Quid amplius requirunt tum Ius, tum Doctores ut constare possit de metus gravitate irritantis matrimonium ?

Insuper ex actis et probatis non apparet, quaenam argumenta moverint Ordinarium ad declarandum, malitiam in casu supplevisse aetatem. Ecclesia revera nullum habet matrimonium contractum ante pubertatem, quam Sacri Canones, legibus romanis inhaerentes, ex annorum num. praesumunt adesse, videlicet in viris completo decimoquarto aetatis anno *(Cap. 10 et 11, t. II, I. IV Decr.)* in feminis vero duodecimo *(cap. 6 et ult. eiusdem T).* Etenim Nicolaus Papa in *cap. 2, tit. cit.:* « Districtius, inquit, inhibemus ne aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, coniungantur ». Attamen generali huic regulae de non permittiendo matrimonio ante legitimam aetatem adiecta est haec limitatio, *nisi malitia suppleat aetatem.* « Si illi, inquit Alexander III, qui in minori aetate desponsantur, ita fuerint aetati proximi, ut potuerint copula carnali coniungi, non debent minoris aetatis intuitu separari, si unus in alterum consenserit, cum in eis malitia aetatem supplevisse videatur ». Hinc malitia quae supplet aetatem est actualis potentia generandi cum debita iure naturali mentis discretione.

Ex quibus apparet pubertatem vel legalem esse quae ex aetate, vel naturalem quae ex malitia desumitur : utramque vero sufficere ad matrimonium docet universa Canonistarum schola. Cf. Ferraris *v. Matrimonium ;* ReifTenstuel, *lib. IV Decr. t. 2, n. 6.* Declarare vero an in casu malitia suppleat aetatem ad Episcopum pertinet. Nam Ben. XIV in Const. *Magnae Nobis 29* Iun. 1748 dicit: « Episcopi ipsi et Ordinarii locorum iure suo pronuntiare possunt super ea quaestione, quae facti est an, scilicet, malitia ut asseritur, aetatem suppleat, et consequenter matrimonii

contrahendi licentiam impertiri valeant ». Cum vero aptitudo ad matrimonium ob aetatis defectum, praesumi non possit, sed concludenter probari debeat, ad declarationem emittendam, de qua loquitur Ben. XIV, ex communi DD. sententia, Ordinario constare debet adesse actualem potentiam generandi, debitam mentis discretionem, plenam libertatem et advertentiam. Primum praesumitur vel ex habita copula, vel ex nisu ad copulam, ex effusione seminis in viro et ex menstruo in foemina, aliisque signis ; alterum per explorationem impuberis dignoscitur, qui interrogandus est an et cum quo velit matrimonium contrahere, an huius vim et onera cognoscat, an sciat se posse ea sustinere etc.; tertium demum arguitur ex absentia vis et metus, blanditiarum et promissionum etc. Quibus cognitis Ordinarius dat simplicem contrahendi licentiam. Iamvero quod pertinet ad Camillum qui matrimonium contraxit, quamvis ei deessent menses quatuor et dies viginti ad decimumquartum aetatis annum, nullum apparet in actis vestigium de facta inquisitione circa existentiam malitiae, quae aetatem suppleret. Quin immo si quod ex ipsis actis liceat proferre iudicium, dicendum profecto inconsulte admodum atque intempestive actum fuisse.

Sed esto quod apodictice non constet ex dictis de nullitate matrimonii in casu, hoc tamen mihi nullum videtur ob manifestum obreptionis vitium in dispensatione super secundo consanguinitatis gradu aequali in linea collaterali. Conditio enim in omnibus rescriptis certe subintelligenda haec est: Si preces veritate nitantur ('cap. *2, X, L 1. t. 3;* Riganti *in Reg. 61 Cane. Apost.).* Quando in supplici libello falsum exprimitur, dispensatio dicitur obreptitia. Iamvero Innoc. III in celebri *cap. 20 de Rescriptis,* pro quacumque gratia impetranda theoriam generalem tradit, quae iuxta meliorem DD. interpretationem, quoad casum obreptionis huc redit. Si in instantia falso expressa est causa, sine qua superior non fuisset gratiam concessurus, haec est nulla ipso iure, secus valet in forma communi. In instan-

tia vero ad obtinendas dispensationes de impedimentis matrimonialibus, ex Instruct. S. Congr. de Prop. Fide die 9 Maii 1871 exprimenda est causa dispensationis. Si causa falsa exposita fuit et haec est unica in instantia, vel etiam si praeter illam aliae sunt verae, sed unaquaeque singillatim est impulsiva, motiva autem est complexus omnium, dispensatio est nulla; e contra si praeter illam est causa motiva vera in instantia, dispensatio est valida (Conf. Gasparri, *de Matr. vol. 1.* Age nunc: in praesenti causa petita fuit dispensatio super impedimento 2 gradus consanguinitatis, ad quam obtinendam tres causae ' exponebantur : aetas oratricis superadulta, scandalum reparandum, gravia mala vitanda ; quae omnes fantasticae sunt.

Sed admissa validitate matrimonii, matrimonium hoc fuitne consummatum? Actor enim quod non possit obtinere per viam iustitiae, conatur sibi concedi per viam gratiae, asserendo videlicet inconsummationem matrimonii, a quo proinde dispensationem a SSmo implorat.

Inconsummatio matrimonii habetur ut probata in iure nostro, quando unanimi voce eam fatentur ambo coniuges qui sint fide digni cum septima manu *(arg. cap. Laudabilem de frig. et male f.)*. Iamvero in casu, habemus non solum iuratam coniugum confessionem, cum attestatione de eorundem veridici tate et religione, sed et depositionem unanimem omnium testium fide dignorurn, ex quibus quamvis nonnulli teneant matrimonium fuisse valide contractum, omnes tamen pro certo affirmant mansisse inconsummatum, sive ob intentionem patris sponsi, qui animo conceperat permittendi filio copulam, post expletum militare servitium; tum et potius ob invincibilem aversionem sponsi erga Annamdominicam.

Hisce omnibus positis, non video quomodo possit in dubium vocari matrimonium mansisse inconsummatum. Nam ex his quae a sacris canonibus expostulantur, ut inconsummationis veritas appareat, habetur in actis peremptoria affirmatio utriusque coniugis, factis Evangeliis iureiurando

firmata, et testes qui eorum veraci tatem et fidem, ut vidimus, solemnioribus verbis iurant ac protestantur. Deficit profecto in praesenti inspectio corporis mulieris. Sed haec inspectio in casu est impossibilis, quia mulier cognita fuit ab alio viro, cui et filios generavit.

ANIMADVERSIONES PRO-DEFENSORIS SACRI VINCULI EX OFFICIO. In praesenti Causa, sapientissimis Vestris deliberationibus submissa, sacrosancta matrimonii iura, quadruplici conatu demiror concuti ; siquidem matrimonium inter Camillum et Annam Dominicam rite celebratum, nullitatis accusatur : *primo,* ex capite vis et metus ; *secundo,* ex capite consanguinitatis ; *tertio,* ex capite impubertatis ; *quarto* demum, ex capite dispensabilitatis, ita si dici possit, propter inconsummationem. B lectissimis Consultoribus, Canonista tum nullitatem tum inconsummationem matrimonii disertissime tuetur. Theologus vero nullitatem adeo perspicuam esse retinet ut supervacaneum existimaverit de inconsummatione unum, nisi in conclusione ac per transennam; proferre verbulum.

Attamen haud una exurgit ex Actis quoad utramque dubietas, haud una suppeditat in contrarium efficax probatio, prout nunc de veneratissimo mandato DD. Secretarii S. C. C. in comperto ponere satagam. Et primo praetensam nullitatem e medio sustulit Ortonensis Curia quae, diligenti sedulitate processum confecit et die 10 Iulii 1901, sententiavit: *Non clare constare de nullitate matrimonii..*

Et quidem haud infundate:

Sane, impedimentum vis et metus allegatur ab Actore eiusque genitoribus necnon ab Actrice eiusque affinibus - (non tamen genitoribus, quorum omnino desideratur in Actis depositio, quin talis praeteritionis ulla proferatur explicatio) - id est impedimentum allegatur ab utraque parte interesse habente ; dum e contra exsufflatur penitissime a testibus de quibus nulla certe partialitatis suspicio, vel quorum ponderosior est, prae dignitate, depositio, ut videre est in Summario, et praecise in depositione Parochi, Vi-

«ceparoehi, testis Valentini Scarinci, Iovinae Masci, quae ab ipsa genitrice Actoris rescivit « che il matrimonio fu un vero matrimonio » et Iosephi Gentile qui autumat « che il matrimonio fu ben contratto ». Addatur quod tum coniuges tum testes Actoris, vim et metum ore reboanti conclamant quin quodpiam adducant praecisum violentiae factum, seu facti circumstantiam. Porro nullitatem probationes evincunt non oscitantes, non dimidiatae, non incohaerentes, sed tantum adaequatae et in suo genere perfectae, quae in praesenti themate prorsus desunt.

Aliud caput nullitatis, nempe consanguinitas, per apostolicam dispensationem tempestive petitam et rite obtentam, e medio pariter sublatum est.

Toto marte conantur eximii Consultores in demonstranda talis dispensationis, quam dicunt obreptitiam, radicali nullitate. Ast contra : deficiente causa aetatis superadultae, perstat adhuc alia causa, nempe *scandalum reparandum,* seu praecavendum; quod revera Parochus, rerum paroeciae haud ignarus, certo sciebat aut prudenter timebat exorituTum, ni iuvenes, hucusque mutua necessitudine sociati, legitimo matrimonio copularentur ; perstat et tertia, videlicet *gravia mala vitanda,* siquidem genitores puellae certo certius sustinuissent aegerrime pertractationes matrimoniales abrumpi, quum ipsi filiam ab alio iuvene illam exoptante discerpere sategerant ad concludendum cum Actore matrimonium : scissiones, iurgia, rixaeque et vindictae, duas inter familias, praesertim in illis oppidulis, sunt utique *gravia mala vitanda.*

Ruit pariter asserta nullitas ex capite aetatis, ob comprobatam Ordinarii licentiam matrimonium contrahendi. At vero lectissimi Consultores, quum negare non possint, Episcopum iure suo in casu fuisse usum, prout penes omnes Auctores et praesertim Bened. XIV stabilitur, nihil intentatum relinquunt ut demonstrent talem licentiam, omissa qualibet inquisitione, impertitam fuisse « inconsulte admodum atque intempestive », prout ponit eximius Canonista, aut

eam adscribendam esse nonnisi ipsius Parochi levitati et praecipitantiae, ut egregius Theologus censet. Ast, salva, tantis Viris debita reverentia dixerim, inaniter ibi congeruntur argumenta, deductionesque extra campum vagantes: quaestio etenim, tota quanta est, ad simplicissimos reducitur terminos, videlicet : An Ordinarius nullam prorsus habuerit rationem iudicandi quod in isto determinato impubère, maturitas de facto adfuerit sufficiens ad rite contrahendum matrimonium ? Negant sagacissimi Consultores qui neutiquam dictum iuvenem norunt : affirmat Episcopus qui eum, per Parochum, ut praesumitur, perbelle novit: *cum Episcopo in casu standum esse ecquis diffiteri vellet?

Mira decantatur dicti iuvenis ingenuitas, quippe cui propter tenellam aetatem, officia coniugalia non minus ignota erant ac numerus stellarum. Eccur, amabo, si tantae fuerit simplicitatis, animum susque deque verterit adeo ut puellam hucusque habitam tanquam sororem abominatus illico fuerit tanquam propositam uxorem? Eccur, si consensus- matrimonialis gravitatem nequidem intellexerit, dictum consensum non emiserit nisi post repetitas genitoris instantias? Eccur, si rei uxoriae penitissime ignarus extiterit, Annam tanta cura devitant, ne scilicet ipsius illecebris devictus, calentis iam virilitatis, succumberet impulsibus?[K]

Stat ergo, contra supraque praetensas nullitates, conclusio quam Vice-Parochus utriusque coniugis haud insipienter sic expressit: « *Io non vedo motivo, per cui non debba ritenersi valido questo matrimonio* ».

Utrum vero secundioribus auris procedat inconsummatum?

Deest in themate absoluta illa certitudo quae dici potest *physica,* quaeque scaturit tantum ex demonstratione *de coarctata:* nequidem enim tentatum, nec tentari poterat, demonstrare quod neoconiuges, solus cum sola, nunquam permanserint.

Deest pariter certitudo *physiologica,* quae nempe suppeditata ex inspectione corporali mulieris, adulterinis amplexibus paulo post matrimonium deditae.

An saltem, sola quae superest, *certitudo moralis* habeatur in casu sat firma, sat comprobata? Nequaquam, Iudices Eminentissimi. Haec enim certitudo moralis ultimatim solidatur super partium honestate ac sinceritate, necnon super testium indubia credibilitate. Verum enimvero, e coetu testium honestorum ac proinde credibilium, incunctanter repello sequentes : Primo, *Actricem* i. e. *Ream* quae sese reputans Camilli veram uxorem, nihilo tamen minus, sub duplici fucato raptu, vesanis convolavit amoribus, quaeque nunc civili ligamine copulata et mater effecta, nulli parceret mendacio, nullum praetermitteret inferni diabolum, ut a legitimo vinculo tandem evadat exsoluta. Secundo, *patrem* Actoris qui, sordida cupiditate 'pressus, molitionibus suis omnia praeparavit, quique nunc, a spe deceptus, malas suas confitetur et ampliat versutias. Tertio, *matrem* Actoris quae, licet plenissime persuasa « che il matrimonio era un vero matrimonio », tamen, ut filium suum liberaret, uxorem incitavit ad fugam cum alio iuvene arripiendam , Iovinae N. effiagitavit ut filium quemdam nutritium impellerei ad Annam-Dominicam raptandam ; illa vero Iovina, prae conscientia denegante, mater Actoris'hunc iuvenem ipsamet ad raptum induxit. De ceteris vero testibus *quinque* inconsummationem affirmant ex abrupto, id est absque ulla assertionis explicativa causa ; *una,* Elisabeth, soror Actoris, tunc virguncula decennis, more psittaci, lectionem suam memoriter recitat ; Parochus repetit inconsummationem ex tenera aetate Camilli, quem tamen coniugalibus officiis aptum prius asseruerat; Vice-Parochus est « moralmente sicuro della non consummazione » quin talis suasionis rationem afferat ; et tandem (quod certe singularissimum est!) duo testes matrimonium retinent non consummatum, quia hodiernus amasius Annae eam integram reperiit : utique post priorem eiusdem Annae cum alio amasio fugam ! !

Unde, ultimatim solam et unicam habemus inconsummationis probationem, videlicet assertionem Actoris. An

autem haec sufficiat ad prudentem ac tutam de non consummato sententiam videant Emi Patres.

Iure merito diligentissimus Canonista notat .processuales Tabulas de non consummato nullitatis vitio laborare, sanationemque expostulat; ast satius ac iuri conformius existimo novum in casu processum, denegata sanatione, imponere formiter conficiendum. Et re quidem vera haud semel accidit quod, inchoato canonico processu super nullitate, Causa decidat in simplicem processum informativum super non consummatione, et tunc S. C. C. acta de facili sanat aut ratihabet ; ast, in themate nostro, Causa porrecta est, vel a limine, sub specie tum nullitatis tum inconsummationis, et Curia, pari titulo parique gressu, processum sub hocce duplici respectu conficere non dubitavit, imo *formalem sententiam super non consummatione edixit:* ibi igitur aperta pontificii iuris usurpatio!

Tandem, silentio praetereunda non videtur animadversio, ita si dici possit, ab extrinseco desumpta : Uxor, in themate praesenti, matrimonium « in facie Ecclesiae », servatisque canonicis praescriptionibus, publice contraxit ; eadem postea, civili tantum ritu, contubernium inivit cum alio viro. Age vero, si prius matrimonium, sive per nullitatis sententiam, sive per dispensationem, de facili abrumpatur, pronum erit omnibus incolis Crecchii concludere quod *nunc* « un matrimonio veramente e realmente contratto » — « un matrimonio che deve ritenersi valido » — « un matrimonio che dev'esser vero » — « che fu un vero matrimonio » - « che fu ben contratto », ut deponunt testes, nullius roborfs evadit nisi civili ritu firmetur; dum e contra concubinatus adulterinus, lege laicali sancitus, planam sternit unioni legitimae viam.

Quibus animadversis, enucleanda proposita fuerunt sequentia

Dubia

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu. Et quatenus negative.*

II. *An consulendum sit SSñi-o pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio C. sub die 16 Aug. 1902 discussa re, censuit respondere: *Ad 1 Affirmative.*

Ad II. Provisum in I.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

RIPANA

IURIUM

Die 27 Novembris 1901.

COMPENDIUM FACTI. Ut educationis et scholarum ephebeum pro puellis in marino oppido S. Benedicti *del Tronto* in dioecesi Ripana haberetur, inter sacerdotem Petrum Panfili et sorores Dorothaeas Iosepham Beau, Clotildem Giannoli et Clotildem Francia Monialium Congregationis mandatarias die 22 Aprilis 1889 conventio sequens intercessit.

Sacerdos Panfìli locabat pro congrua annua responsione per triginta annos dictis Sororibus seu Instituto domum iam in constructione et tradendam mense Aprili 1890. Haec domus constare debebat tribus contabulationibus vulgo *piani* non comprehensa contabulatione inferiore seu soli, et superiori ambulacro obtecto vulgo *loggia coperta :* haec insuper domus omnibus instructa esse debebat quae necessaria es-, sent pro inhabitatione Collegii 60 personarum, nempe culina, olla vinaria, diaetis pro recreatione, et aliis eiusdem generis : expensae vero manutentionis et reparationis aedificii et taxae ipsum locatorem gravare debebant.

Ex altera parte sorores mandatariaé sese obligabant ad rependendas titulo locationis annuas libellas 2500, sub hisce tamen clausulis. Quoadusque collegii alumnae non excédèrent numerum 15, locator nihil percipere poterat ex statuta

menstrua pensione libellarum 40. Puellarum vero numero adaucto Locator Panfìli recipit, deductis expensis pro ipsarum manutentione, reliquum pensionis, idque usque ad concurrentiam libellarum 2500 : item favore locatoris cedere debebat alter proventus ex puellis scholae externae. In hypothesi vero quod numerus puellarum infra numerum 15 ita tenuis esset, ut pensio ab eis persoluta comprehenso etiam introitu ex puellis externis impar esset ad coaequandas expensas pro manutentione, sacerdos Panfili sese obligavit ad supplendum expensis de proprio. Tandem cautum est ut praefata conventio vim suam exereret a die 1 Aprilis 1890. Quod si infra septennium ab hac epocha numerus alumnarum non pertingeret ad 15, sicuti etiam in hypothesi vis maioris, sorores mandatariae Dorothaee sibi reservabant facultatem relinquendi Institutum seu novum Collegium.

Quoniam vero iuxta initam conventionem ratio computandi quotidianas expensas desumi debebat ex media victus et manutentionis pro unaquaque alumna post anni experimentum, hinc die 1 Septembris 1890 ad obtruncandam quamcumque difficultatem altera inter partes successit conventio ; nempe expensae pro victu et manutentione designatae fuerunt in libellis menstruis 30, ita ut reliquae libellae 10 in pensione puellarum ultra numerum 15 cederent in persolutionem locationis, semper tamen ad concurrentiam statutae responsionis libellar. 2500.

Haec conventio quamvis non fuerit subscripta, tamen executioni fuit demandata, quia ad ipsius tramites pensionis seu locationis solutiones peractae sunt. Res amice cessit inter partes usque ad an. 1896, quo superveniente morbo contagioso inter alumnas, Institutum claudendum fuit. Verum morbus cito disparuit et in successivo mense Octobris eiusdem anni, Collegium iterum fuit instauratum. Ex hac epocha dissensiones coeperunt inter sac. Panfìli et Sorores Dorothaeas, et plures exortae quaestiones. Prima controversia fuit circa solutionem pactae pensionis libell. 2500.

Cum reditus puellarum lente succederet ita ut numerus 16 non aequaretur, sorores locationis pretium solvere detrectabant ; e contra sacerdos Panfìli integre statutam responsionem sibi solvi petebat: altera quaestio erat circa reparationes et alias expensas extraordinarias peractas occasione morbi, sacerdos Panfili aiebat eas ferendas esse a sororibus; sed hae recusabant. Item Sacerdos Panfìli volebat ut in Collegio institueretur schola normalis et complementaris, et ut liber esset in alienatione aedificii Collegii : has ex adverso praetentiones sorores reiiciebant : ita res exasperatae erant ut sorores etiam contractus rescissionem ex capite vis maioris iuxta conventionem an. 1889 postulaverint. Ad concordiam inter partes conciliandam duae aliae conventiones propositae sunt an. 1897 et 1898; sed neque hae visae sunt optatum finem obtinuisse.

Tandem sacerdos Panfili rem omnem detulit supremo iudicio S. Congregationis Episcoporum et Regularium, quae die 20 Iulii 1900 ita rescripsit: *ex decretis constare de permanente vigore contractus diei 22 Aprilis 1889 initi: ad dirimendas autem quaestiones circa eiusdem contractus executionem placere de concordia.* Haec tamen concordia ut ut Rmus Card. Protector Sororum sua officia et operam interposuerit, obtineri non valuit. Quin imo cum sorores solutionem pensionis ab an. 1897 suspendissent, sacerdos Panfili alium obtulit recursum S. Congregationi quae rem remisit prudenti arbitrio Emi Protectoris. - *Interim vero idem E finis nomine S. Congregationis iniungat praefatis Moderatriceus ut quamprimum solvant canonico Petro Panfili summam libellarum trium millium salvo iure computationis rite. suo tempore perficiendae.*

Mens S. Congregationis quamvis satis aperta esset, attamen et alia exorta est quaestio; sorores creditum habebant cum Sac. Panfili libellarum 5834,66 quae summa ei tamquam arrha tradita fuerat pro villulae, in qua habitabat Sac. Panfìli, et aedificii Instituti venditione eisdem sororibus, quae tamen venditio amplius effecta non fuerat: so-

rores petebant ut Sac. Panfìli retineret suum creditum super parte dictae summae. Cum hoc sacerdoti Panfìli non arrideret, alius recursus oblatus est eidem S. Congregationi, quae statuit omnem quaestionem suo supremo iudicio dirimere.

Disceptatio Synoptica.

PRO SORORIBUS A S. DOROTHAEA. Plures in praesenti causa agitantur quaestiones, quarum praecipua de iuribus et obligationibus derivantibus ex conventione *22* Aprilis 1889 etiam ratione habita ad alias successivas conventiones: caeterae quaestiones ex hac pendent, et de his raptim inferius. Igitur Sororum advocatus suam orationem aggrediens, tamquam fundamentum ponit enunciatam conventionem an. 1889 cum temperamento addito in altera succedanea conventione diei 1 Septembris 1890 : caeteras nempe an. 1897 et 1898. in nullo calculo habendas esse sustinet. Sane praemisso quos inter partes pacificum est circa validitatem contractus an. 1889, subsistentiam temperamenti ipsius per subsecutam conventionem anno 1890 arguit ex eo quod pensionis solutiones pro locatione aedificii factae sunt ad huius normam ceu probant acceptilationes a Sac. Panfili subscriptae et sororibus traditae : hinc cum partes novam conventionem facto ipso ratam habuerint, de eius valore ambigi nefas est, quia in hac materia usus et possessio maximam vim habent, ceu tradit Cardin. De Luca - *Talis praesumitur titulus, qualis apparet usus et possessio.*

Quin ex adverso opponantur aliae duae conventiones an. 1897 et 1898: advocatus reponit eas omni robore destitui, tum quia a partibus non fuerunt signatae, et limites simplicis propositionis contractus non egrediuntur, tum quia hae non habueruut locum inter easdem personas; dum enim in conventione an. 1889 intercesserunt tres sorores Beau, Giannoli et Francia in his duabus postremis conventionibus adfuit Superiorissa Generalis Sororum ; et in hypothesi quod tres enunciatae sorores spectari velint ceu mandatariae,

pro novatione contractus necessarius fuisset interventus ecclesiasticae auctoritatis, qui in casu defuit.

Postea advocatus digreditur ad refutandas adversae partis obiectiones quarum praecipua in eo est quod iuxta ius Romanum scriptura requirebatur non ad substantiam sed tantum ad contractus probationem. Hanc difficultatem patronus diluit advertendo hoc valere nisi partibus aliter placuisset : si enim partes voluissent contractum scripto firmari, tunc scriptura etiam iuxta ius romanum erat de substantia contractus, ceu aperte probat *lex 17 Cod. de fide instr um.* et tenet Perezius cum aliis doct. in suis *pr detection, lib. i Codic. titul. 21.* Hinc, concludit advocatus, iura et obligationes in praesenti controversia tantum ex conventione diei 22 Aprilis 1889 et subsecuto temperamento diei 1 Septembris 1890 desumendas esse, quia hi tantum contractus in suo permanent vigore.

Transit deinde ad alteram quaestionem, nempe utrum sac. Panfìli ius sit repetendi ab Instituto libellas 1500 pro extraordinariis reparationibus a se peractis in sequelam decessus unius alumnae ex morbo epidemico in Collegio : et negative respondet ex duplici ratione. Has expensas absque nullo mandato Superiorissae generalis Sororum sacerdos Panfìli executus est ; ergo aequum est ut ab ipso supportentur et non a Generalissa. Secundo ex vi contractus anni 1889 ipse assumpsit obligationem manutentionis aedificii Instituti: et Sorores tum pro locatione stabilis, tum pro manutentione congruam summam spoponderunt. Igitur de reparationibus locator et non locatarius respondere debet, quin aliquid in contrarium facessat quod hae expensae fuerint extra ordinem : huic difficultati occurrit advocatus advertens quod locator Panfili in praefato contractu assumpsit obligationem semper manutenendi aedificium in ea conditione ut iuxta conditiones a legibus sanitariis impositas esset habitabile. Quoad tertium punctum, nempe quoad obligationem in Sororibus habendi scholas, uti dicunt complementares et normales, patronus facile sese explicat. Uti

supra visum est omnis obligatio inter partes scatet a contractu an. 1889. Sed de hac obligatione ne vola quidem aut verbum. Ergo incivile est eam in casu urgere, quod argumentum iuxta patronum, maiorem etiam vim acquirit si advertatur, quod sacerdos Panfìli in praecitata conventione declaravit se nullimode immiscere velle administrationi tum oeconomicae tum disciplinari Instituti noviter erigendi.

Altera quaestio in eo versatur, utrum nempe Sorores repetere valeant summam libell. 5800 datam uti arrham et principium solutionis pro acquisitione villulae proximae aedificio Instituti et domus eiusdem, ita ut in ea computari possit summa libell. 3000 sacerdoti Panfìli de mandato Congregationis persolvenda. Observat advocatus quod duorum stabilium emptio fieri non potuit, tum quia sacerdos Panfìli non obtinuit a Municipio locali cessionem tractus viae publicae inter villalam et aedificium Instituti, tum quia defuit consensus Cardinalis Protecforis Sororum pro stipulatione contractus : hinc res incidit in statum a quo incipere non poterat: proinde oblata pecunia libell. 5800 ad Institutum pertinere dicenda est et expetita computatio admitti debet.

Postea advocatus digreditur ad quaestionem circa suppellectilem acquisitam residuis activis Instituti et eam huic spectare contendit. Hoc liquido scatere ait ex pluries enunciata conventione an. 1889. Iuxta hanc respectu sacerdotis Panfìli onus assumptum a Sororibus taxative in eo statutum est ut tantum annatim libellas 2500 pro locatione persolvant, secutis tamen nonnullis conditionibus ad tramites eiusdem conventionis et successivi temperamenti diei 1 Septembris 1890.

Praemissas quaestiones et altera excipit circa cautionem quam sacerdos Panfili vellet a Sororibus exhiberi pro adimplemento assumptarum obligationum. Hoc, iuxta patronum, est abnorme: cautio intelligi valet ante stipulationem contractus, at non post 12 annos a celebratione eiusdem : quiu

imo si aliqua cautio in themate esset praestanda, ad hanc proiecto urgendus esset ipse locator Panfìli cum adhuc non satisfecerit oneribus assumptis construciionis oeconomicae culinae pro 60 personis, aularum recreationis et congruae cellae vinariae.

Tandem ultima disquisitio in eo vertit, utrum nempe in easu, quod causa praesens insoluta vel comperendinata maneat, Institutum adstringi valeat decreto provisionali ad solvendas sac. Panfili libellas sex mille in satisfactionem maioris crediti, vel saltem libellas tres mille iuxta superius relatum decretum S. Congregationis. Advocatus praemittit distinctionem inter credita liquida et non liquida: in illis iudex mandat solutionem, in his decernit liquidationem. Age vero, pergit patronus, uti supra probatum fuit, Sorores creditum habent cum sacerdote Panfìli pro summa libellarum 5834, in qua, si computentur fructus, creditum assurgit ad plus quam sex millia libellarum : debitum vero liquidum Sororum erga eumdem sacerdotem est in libellis 3000 expunctis vero rationibus dati et accepti cum eodem sacerdote usque ad annum 1901 iuxta documenta in actis apud S. Congregationem exhibita, Monialium debitum computatur in libellis 3800. Sed si haec summa ex credito Monialium libell. 6000 detrahatur, evidens est quod Sorores adhuc habent ius repetendi a sacerdote Panfìli plus quam duo millia libellarum. Hinc creditum ab eodem sacerdote iactatum in tenues resolvitur auras, qui potius tamquam debitor erga Sorores cogendus est ad dimittendum quamprimum aes alienum.

IURA SACERDOTIS PANFILI. Hic ex adverso sustinet conventionem an. 1897, quae substantiam praecedentium contractuum reformavit in suo vigore permanere. Observat in facto quod dicta conventio proposita fuit ex parte Sororum, et licet hinc inde dissensiones circa eius modalitatem fuerint, tamen ipse eam acceptavit, et consequenter adfuit in ea concursus duarum voluntatum. Haec acceptatio, iuxta sacerdotem Panfili, ex pluribus probatur, et praesertim ex

epistolari commercio ipsius cum equite statuti Sororum Procuratore.

Firmato itaque mutuo inter partes consensu, notat in iure liquidum esse locationis contractum solo consensu perfici sive iuxta legem patriam *art. 1314 codicis civ. italici,* ubi scriptura tantum ad probationem requiritur, sive iuxta legem romanam quae locationem inter contractus consensúales recenset *Inst. Inst. lib. 3, lib. 21.* Neque ex adverso oggeratur quod praefata conventio non fuit contractus perfectus, sed potius simplex schema contractus. Huic difficultati occurrit sacerdos Panfìli respondendo quod ex momento quod ipse eam propositionem conventionis acceptavit, negotium iuridicum perfectum est, et iuxta id iura inter partes dimetienda sunt, quod aequivalet probationi iustitiae suae petitionis, nempe quod ab anno 1896 integra pensio annualis in libellis 2500 usque ad praesentem diem persolvatur.

Nec meliori omine Sorores tentant se tueri conventione an. 1889. Haec, iuxta sacerdotem Panfili, si intimius res perspiciatur non videtur esse favorabilis Instituto. In ea enim cavetur de septennali experimento faciendo a Sororibus; quo perdurante, sacerdos Panfìli in menstrua pensione puellarum ultra numerum 15 tantum libellas 10 percipere valebat, et Sorores liberae erant contractum rescindere. Sed hoc experimentum bene cessit, et Sorores perrexerunt statutam responsionem in libellis 2500 annatim persolvere. Quomodo nunc, clamat sacerdos Panfìli, Sorores eam reducere petunt, et instant pro rationum supputatione ?

Transit deinde sacerdos Panfìli ad describendas causas ob quas res oeconomica Instituti non recte processit, quarum potiorem repetendam esse, ait ab instructione manca, quam Sorores tradebant : hae numquam induci potuerunt ad instituendas scholas complementares seu normales, et hinc numerus alumnarum de die in diem tenuior evasit, etiam ex eo quod magistrae diplomate in docendo donatae paucissimae erant. Si autem de hac anomalia unice Sorores in

culpam vocandae sunt, aequum non est, concludit sacerdos Panfìli, ut ipse damnum persentiat. Sorores fuerunt refractariae suis consiliis et monitis, ergo et ipsae luant poenas suae insipientis et male gestae administrationis.

Progrediens ad secundum dubium sacerdos Panfìli, nempe utrum Institutum persolvere debeat sibi libellas 1500 pro extraordinariis reparationibus in locata domo factis occasione decessus alumnae ex epidemico morbo, contendit ex duplice capite sibi hanc summam deberi. Primo quia has expensas dicit factas fuisse ex annuentia superiorissae Claudiae Cosso. Secundo quia ita fert consuetudo localis iuxta quam locator tantum respondere debet de ordinariis expensis manutentionis domorum. Impensae extraordinariae fieri debent peculio conductoris.

Succedit tertium dubium, nempe utrum Institutum obligatum dici queat ad habendas scholas complementares et normales. Hanc obligationem a Sororibus assumptam fuisse sacerdos Panfìli probatum asserit 1.° ex epistola Episcopi Ripani qui conqueritur cum Sororibus non stetisse pactis habendi dictas scholas. 2.° Ex testimonio trium parochorum localium qui Sorores red arguunt de ruinoso statu Collegii ob non servatam fidem aperiendi scholas normales. 3.° Ex programmate N. 3, typis edito iuxta quod promittebatur aperitio dictae scholae sine pensionis augmento. 4.° Tandem ex promissione sibi facta, quam primum has scholas instituendi, quae numquam ad actum fuit redacta.

Quoad quartum dubium nempe cui spectet summa libellarum 5800 a Sororibus sacerdoti Panfili tradita tamquam arrha pro villulae et domus Instituti acquisitione, ex epistola equitis statuti Sororum Procuratoris habetur quod Superiorissa Claudia Cosso convenerat cum sacerdote Panfili acquirere aedificium Collegii pro libellis 40,000, villulam quam dictus sacerdos inhabitabat pro lib. 20,000, et pro constructione aedificii coniunctionis duorum stabilium promiserat libellas 25,000: Summa libell. 5,800 initio persoluta fuit tamquam arrha, seu principium solutionis. Iam

vero sacerdos Panfìli sustinet non teneri ad hanc summam reddendam, quia per ipsum non stetit quominus contractus suum effectum sortiretur : aliunde haec summa a se impendi debuit pro constructione novae domus habitationis. Hinc iniuria Sorores petere ut debitum ipsarum in tribus millibus libellarum in hac summa imputetur.

Item relate ad quintum dubium sacerdos Panfìli evincere nititur supellectilem acquisitam ex residuo activo administrationis Instituti soluto contractu ad se spectare. Verum quidem est in locationis contractu id expressum non fuisse: sed hanc fuisse suam constantem voluntatem usque ab initio adventus Sororum, ut nempe dicta supellex remaneret finito contractu in domo locata sacerdos Panfìli probat scripta Episcopi Ripani testimonio.

Pergit deinde sacerdos Panfili ad alteram quaestionem cautionis quam ipse dicit praestandam ab Instituto pro securitate susceptae obligationis. Advertit quod Congregatio Sororum a S. Dorothaea personalitate iuridica carent, neque haec personalitas erui potest ex decreto regio diei 20 Septembris 1868. Aliunde tres sorores intestatariae contractus non sunt bonorum possidentes : hinc postulat ut per novum contractum a Sororibus firmetur securitas assumptae obligationis.

Demum sacerdos Panfili petit, casu quod propositae quaestiones in alteram diem solvendae remittantur, ut S. Congregatio pro visionale decretum interim edat quo Sorores damnentur ad sibi solvendas ceu anticipationem sui crediti seu mille libellas vel sin minus lib. 3000 ad tramitem iam editi decreti mensis Novembris an. 1900. Iustitiam suae petitionis sacerdos Panfìli ex supra demonstrans dicit liquido erumpere. Ostensum siquidem fuit anticipatam summam libellar. 5,800 pro acquisitione villulae et aedificii domus locatae nullo modo spectare posse ad Institutum, sicuti etiam probatum mansit Sorores ab an. 1897 locatori debere annatim libellas 2,500 : hinc eorum debitum plura millia libellar. excedit; vel si de hoc ratio haberi nolit,

quia computa adhuc peracta non sunt. certum tamen est ex decreto S. Congregationis Sorores débitrices esse erga Sacerdotem Panfìli in libellis 3,000. Hinc iustitia exigit ut saltem Sorores cogantur ad hoc debitum dimittendum.

Haec sunt rationum momenta plus minusve ab utraque parte deducta. Post quae solutioni proposita fuere sequentia

Dubia

I. *Quae iura et obligationes in praesentiarum oriantur ex contractu diei 22 Aprilis 1889, respectu habito etiam posterioribus conventionibus.*

II. *An Institutum persolvere teneatur sacerdoti Panfili summam libellarum 1,500 pro novis operibus et extraordinariis reparationibus ab eodem in collegio peractis ex mandato Superiorissae Claudiae Cosso in sequelam decessus unius alumnae ex morbo epidemico vulgo tifo.*

III. *An Institutum censeri possit obligatum ad habendas praeter scholas elementares etiam complementares et normales.*

IV. *An sacerdos Panfili computare teneatur favore Instituti summam libell. 5,800 acceptam tamquam arrham et principium solutionis pro acquisitione duorum stabilium nempe aedificii Collegii et domus habitationis ipsius Panfili.*

V. *An inter Institutum et sac. Panfili contractus intercesserit vi cuius supellex empta ex residuis activis Instituti soluto contractu spectari debeat ceu proprietas absoluta ipsius Panfili.*

VI. *An Institutum praestare teneatur cautionem favore sac. Panfili pro observantia assumptarum obligationum.*

VII. *An eveniente casu quo praesens controversia plene in die propositionis causae non solvatur, vel comperendinata maneat, Institutum cogi possit decreto provisionali ad persolvendam favore sac. Panfili immediate summam libell. 5,000 tamquam anticipationem 'maioris summae eidem debitae vel saltem libellas 3,000 ceu decrevit S. Cong. decreto Novembris 1900.*

RESOLUTIO. Sacr. Congregatio Episc, et Regul. rationibus hinc inde adductis serio pensatis die 22 Nov. 1901 ita rescripsit :

Ad I. *Standum in omnibus contractui diei 22 Aprilis 1889 et successive conventioni diei 1 Septembris 1890. Posteriores vero conventiones non sustineri.*

Ad IL *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Dent Sorores Domino Panfili pretium locationis ab an. 1897 non solutum iuxta contractum die 22 Aprilis 1889 initum et sequentem conventionem diei 1 Septembris 1890. Et ad mentem.*

BELLUNEN. ET FELTREN.

INSTITUTORUM SEPARATIONIS ET CESSIONIS PROPRIETATIS.

16 Maii 1902.

COMPENDIUM FACTI. Supremo quo decessit elogio, publicato die 7 Ianuarii 188G, sacerdos Victor delia Piazza canonicus Cathedralis Ecclesiae Feltrensis haeredem nuncupavit in domo et in residua sua substantia post exoluta legata Rmum D. Ioannem de Blasi canonicum eiusdem ecclesiae. Intentio fuit testatoris ut per legata bona in civitate Feltrensi Canossianarum Sororum eximeretur institutum pro instructione pauperum puellarum. Cavit tamen ut si hae Sorores haberi non possent, haeres fìduciarius aliud institutum accire posset etiam virorum religiosorum, quod suo iudicio eumdem finem consequi valeret instructionis sive puerorum sive puellarum.

Divendita relicta domo et alio aedificio ampliori acquisito quod magis proposito scopo responderet, canonicus De

Blasi tractationes iniit cum sac. Petro Corso fundatore domus Sororum Canossianarum loci *Fonzaso* dioecesis Patavinae •et arcessitis nonnullis Sororibus in urbem Feltrensem nova domus Feltrensis die 6 Novembris 1893 erecta fuit in praefato aedificio continens nunc 12 Sorores.

Pacta adiecta in limine fundationis ita summantur: 1.° Fundator De Biasi sese obligabat sua vita naturali durante ad subministrandum novo Instituto, donec aliter provisum non esset, necessaria pro manutentione 4 Sororum. 2.° Bona patrimonialia utriusque domus nempe Feltrensis et Fonzaso divisa manere debebant ita ut quaelibet domus proprietaria esset suae respectivae quotae, exclusa fusione bonorum. 3.° Legata pia, donationes, relicta item manebant in proprietate illius domus cui facta erunt : quoad dotes vero Sororum professarum post creationem domus Febbrensis, his defunctis pro dimidia parte inter duas domos dispesci cautum est. 4.° In novo Instituto Feltrensi collegium pro puellis civilis et divitis conditionis statui debebat cum scholis elementaribus et complementaribus seu normalibus. 5.° Demum quoad electionem vel revocationem Sororum domus Febbrensis ab illa Fonzaso dependentem habere debebat ita ut huius director et Fundator sac. Corso Sorores pro suo arbitrio augere vel diminuere in nova domo posset. Attamen ultimo loco hortatio fit ut utraque domus unitim adlaboret pro nobili scopo obtinendo, et rectores seu Fundatores utriusque domus de mutua intelligentia procedant.

Haec conventio subscripta fuit tum a Fundatoribus utriusque domus De Biasi et Corso tum a respectivis Episcopis Feltrensi et Patavino. Interim dissensio orta est inter Fundatorem De Biasi et Sorores loci Fonzaso. Hae praetendunt domum Feltrensem in qua novum erectum est institutum sibi spectare, sacerdos De Biasi hoc denegat, et cum ipse sit intestatarius aedificii novae domus , expetitae cessioni sese opponit postulans ut domus Feltrensis autonoma declaretur et omnino separata ab illa loci Fonzaso. Proposi-

tis pro solutione controversiae S. Congr. Ep. et Reg. sequentibus dubiis: I. *An et quomodo domus filiarum a Charitate, vulgo Canossiane, Feltrensis a domo loci Fonzaso separari possit in casu.* — IL *Quomodo sacerdos Di Biasi disponere debeat mortis causa de aedificio in quo nova domus Feltrensis Sororum Canossianarum erecta est in casu.*

Die 17 Ianuarii 1902 eadem Sacr. Congr. respondit: Ad 1. *Negative, firma tamen observantia art. 1 et 3 Conventionis.* Ad 2. *Ad mentem testatoris favore tamen Instituti a Charitate vulgo Canossiane.* Hac edita decisione sacerdos De Biasi beneficium novae audientiae petiit et obtinuit.

Disceptatio synoptica

ALLEGATIONES RMI. DE BIASI. — Hic per adlectum Procuratorem suam defensionem in duas partes dividit, in quarum prima disserit de primo dubio contendens petitam separationem Domus Sororum Feltrensis ab illa loci Fonzaso non solum esse *possibilem* sed etiam *necessariam.* Sane huiusmodi separatio primo est possibilis quia regulis Instituti non opponitur. Hoc confirmat advocatus facto ipso plurium domorum Canossianarum in provincia Veneta et Longobardica, quae per se autonomae sunt, et speciatim exemplo domus ipsius loci Fonzaso , quae sub protectione Episcopi Patavini petiit seiungi ab illa Tarvisina. Quin imo, uti testantur nonnulli parochi Feltrenses, hoc videtur esse conforme regulae ipsius Fundatricis Canossa, quae disposuit ut illae domus independentes esse possent, quae per se vivere valerent absque aliarum domorum auxilio, in qua praecise conditione necne versatur domus Feltrensis.

Secundo separatio est possibilis, quia non adversatur voluntati testatoris, quae haec fuit iuxta epistolam codicillarem sacerdotis De Biasi scriptam, ut nempe legata domus cum adnexis inserviret pro novo instituto ad instructionem puellarum in quo arcessendae essent Sorores Canossianae tamquam in domum privatam pro consecutione

finis a pio defuncto intenti. Hinc intentio fundatoris non fuit erigere domum Sororum filialem Instituti Fonzaso, sed potius domum pro educatione et instructione in qua vocabat Canossianas Sorores in genere ; et nulla lex posita fuit ut illae vocarentur vicini oppidi Fonzaso. Quare, concludit advocatus, ex facto quod sacerdos De Biasi vocavit ad novum regendum institutum Sorores Canossianas loci Fonzaso deduci non potest istius absolutam dependentiam, cum ipse liber extaret vocandi Sorores a quacumque alia domo Sororum Canossianarum.

Tertio demum expetita separatio non contradicit initae conventioni supra relatae inter sacerdotem Corso et piae voluntatis executorem De Biasi, quia, uti observat patronus, in nullo ipsius articulo sumitur perpetua dependentia et subiectio novae domus Feltrensis domui Fonzaso. Fundator Corso articulum exprimentem perpetuam dependentiam inserere proposuerat, sed obstitit Episcopus Feltrensis, et tunc alius substitutus fuit nempe art. 6, solum continens hortamentum ad servandam unionem inter duas domos. Hoc iuxta advocatum, aperte innuit quod novae domui in sua erectione reservatum mansit **ius** obtinendi autonomiam, quando in ea esset conditione ut ex se vivere posset. Insuper in art. 2, 3, 4, citatae conventionis decernitur completa separatio bonorum patrimonialium inter duas domos, et aliquatenus etiam quoad scopum; cum enim, iuxta Art. 4, Collegium ; domus Feltrensis intendit instructioni divitum puellarum, e contra illud domus Fonzaso consulit instructioni puellarum definitae fortunae. Itaque pacta conventa non excludunt petitam separationem inter duas domos.

Sed, urget advocatus, separatio nedum est possibilis sed etiam necessaria. Hoc probare nititur dupliciter: Primo ex damno morali quod institutum persentit. Cives enim Feltrenses aegre ferunt quod dictum Institutum censeatur ceu filiale domus Fonzaso ; hinc in Instructione danda suis puellis praeferunt gymnasia communalia; hinc languent Oratoria

festiva, et scholae tum internae tum externae quotidie decrescunt : alia tamen reserit si institutum autonomum declarabitur. Eadem data proportione, patronus describit quoad damnum morale. Si domus Feltrensis autonoma decernitur multi aderunt pii oblatores inter quos pia mulier iam promisit libellas 50,000 sed sub conditione independentiae domus. E contra si domus Feltrensis perget dependere ab illa loci Fonzaso, nulli vel paucissimi aderunt oblatores.

Deveniens deinde Orator ad secundam suae orationis partem evincere satagit, quod sacerdos De Biasi non tenetur relinquere mortis causa domum novi Instituti favore Sororum Canossianarum loci Fonzaso. Pius Testator Delia Piazza non vocavit ad regendum Institutum Sorores Canossianas loci Fonzaso, sed designavit Canossianas Sorores in genere, et in eo amplas dedit facultates suo haeredi fiduciario De Biasi, quem etiam rogavit ut causa mortis de legata substantia disponeret non favore suorum haeredum sed personae suae fiduciae, quae pium opus continuaret. Quomodo ergo, clamat patronus, nunc sese offerunt Sorores Canossianae loci Fonzaso cum suo Fundatore sac. Corso praetendentes ut sibi relinquatur aedificium novi Instituti cum de iis nulla mentio a testatore Della Piazza fiat in suo codicillo? Sed dato et non concesso quod sac. Di Biasi ita testamentum vel donationem mortis causa condere teneretur, hoc coarctaretur tantum ad substantiam a testatore Della Piazza relictam, quae valorem libell. 8,500 non excedit. Sed aedificium pro novo Instituto a sac. De Biasi comparatum nunc aestimatur in libel. 33,270. A qua summa si detrahentur libell. 8,500 pretium alienatae domus a testatore relictae, et libell. 3621,60 oblatae a nonnullis piis personis, per se in propatulo est quod ipse disponere potest pro suo lubitu de reliqua summa a se data, quod tamen sac. De Biasi iuxta patronum non perficiet, quia maximo amore prosequitur novam domum Feltrensem Canossianarum Sororum.

PRO DOMO CANOSSIANARUM SORORUM LOCI FONZASO. EX adverso tum Episcopus Patavinus et Fundator sac. Corso, tum Sorores Canossianae domus Feltrensis instant pro non concedenda separatione duorum Institutorum : describunt damna quae ex huiusmodi separatione obvenirent : et signanter Sorores domus Feltrensis declarant quod in hypothesi concessae separationis, ipsae domum relinquerent. Insuper dicunt non esse credendum parti adversae aienti hanc separationem esse in votis civium Feltrensium: hoc siquidem falsum est, cum aliter sentiat senior pars populi et optimatum Feltrensium ; et asserunt multas esse protestationes in hunc sensum praesertim piorum Sacerdotum.

Insuper Episcopus Patavinus profert aliud argumentum ad probandum quod aedificium novae domus Feltrensis pertineat ad domum matrem loci Fonzaso. Sorores Canossianae ex earum Instituto hoc solemne habent, ut nullam domum aperiant nisi prius constet ad se spectare proprietatem aedificii in quo nova domus est erigenda. Si igitur sacerdos De Biasi vocavit Sorores Canossianas loci Fonzaso ad instituendam novam domum in civitate Feltrensi, profecto dicendum est quod aedificium in quo haec domus erecta fuit, Sororibus Canossianis iam in proprietate cessum fuerat. Neque agendi ratio sac. De Biasi cohonestan potest ab epistola codicillari Testatoris sibi amplas facultates concedenti quoad institutionem et moderationem novi Instituti: reponit enim Episcopus Patavinus quod haec epistola initio fundationis novae domus ostendi debuit, quia tunc Sorores Canossianae loci Fonzaso non acceptassent: sed post varios annos decursos ex quibus iam nova domus Feltrensis Sororum Canossianarum fundata est, recurrere ad suas praetensiones sustinendas epistolae « fiduciariae testatoris Delia Piazza hoc manifeste dolum praeseferre putat in sac. De Biasi, proinde petit ut datae resolutiones a S. Congr. iterum suo supremo iudicio convalidetur.

Hisce ex utriusque partis allegationibus delibatis, enodationi propositum fuit sequens

Dubium

An et quomodo confirmanda vel infirmanda sit resolutio diei 17 Ianuarii 1902 in casu.

RESOLUTIO. S. Congr. Ep. et Reg. rationibus hinc inde deductis serio perpensis, die 17 Maii 1902 rescripsit: *In decisis et amplius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MEDIOLANEN, quoad consuetudinem Missam legendi loco canendi in feria V in Coena Domini et in Sabbato Sancto in ecclesiis paroecialibus vel subsidiariis.

Emus et Revmus Dnus Andreas Carolus Card. Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

In Missali Ambrosiano in Missa feria V in Coena Domini habetur sequens rubrica: « Haec Missa celebratur ab uno tantum Sacerdote in Cathedrali, et in unaquaque Collegiata, Parochiali, vel alia eiusdem generis Ecclesia, non autem in Oratoriis privatis. Et in Ecclesia quidem Cathedrali, Collegiata ve, praemissis Lectionibus, Orationibus cum Psalmellis contentis in fine Missalis pro eadem quinta Feria, dum cantatur novissimus Psalmellus, Archiepiscopus, seu dignior Sacerdos cum Ministris accedit ad Altare et facit confessionem, etc. » — Similia habentur in rubrìca Missae Sabbati Sancti, in qua tamen non invenitur « Et in Ecclesia quidem Cathedrali, Collegiatave ». — Mos autem invaluit in nonnullis Ecclesiis paroecialibus vel subsidiariis has Missas legendi loco canendi. Ratio quam afferunt est quod rubrica neque explicite praecipit canendam, cum dicat tantum « celebratur » neque implicite pro Ecclesiis quae non sint Collegiatae. Hinc idem Emus Orator ab ipsa Sacra Congregatione expostulavit: Utrum mos legendi dictam Missam tum in Feria V in Coena Domini, tum in Sabbato Sancto in eiusmodi ecclesiis permitti valeat?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque ac-

curate perpensis, rescribendum censuit : *Attentis Rubricis Missalis Ambrosiani et Memoriali Rituum a Benedicto Papa XIII pro cleri defectu, in ecclesiis minoribus Missam lectam in casu permitti posset.*

Atque ita rescripsit. Die 18 Iulii 1902.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

DE QUERETARO. Dubia varia.

Hodierni Caeremoniarum Magistri in Ecclesia Cathedrali de Queretaro, Mexicanae Ditionis, summopere cupientes, ut ea quae ad cultum divinum pertinent, rite peragantur, de consensu et approbatione Revmi sui Episcopi, quae subsequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuerunt ; nimirum:

I. In omnibus Ecclesiis huius Dioecesis servatur antiqua consuetudo, fidelium venerationi publice exponendi Ssmum Sacramentum sive in Missis pro Renovatione, quae cum cantu celebrantur, sive, de licentia Ordinarii, in illis quae solemniter peraguntur occasione alicuius magnae festivitatis, et in eisdem Missis distribuitur Sacra Communio, non obstante expositione, campanulae pulsantur, tum ad *Sanctus* et ad elevationem sacrarum specierum, tum etiam immediate ante distributionem S. Synaxis. Hinc quaeritur: 1. Num continuari possit consuetudo Missas cantandi coram Ssmo Sacramento palam exposito? 2. Et quatenus affirmative, num S. Communio distribui possit in huiusmodi Missis? 3. Num licita sit pulsatio campanularum ?

II. In hac sancta Ecclesia Cathedrali a tempore suae erectionis, diebus solemnibus, immediate ante Missam Conventualem, fit processio intra muros ipsius Ecclesiae cum Reliquia Ssmi Ligni Crucis D. N. I. C, quae defertur per Canonicum celebrantem cum velo humerali; cum vero pervenitur ad altare S. Bernardi, quod est prope Ecclesiae ianuas, celebrans, renibus ad altare versis, populo ostendit sacram reliquiam, quo tempore fit pausatio processionis dum per Chorum canitur prima stropha hymni Vesperarum occurrentis festivitatis : deinde

continuatur processio atque ad altare maius depositaque ibidem Sacra Reliquia, canitur Vers. « Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix» et per celebrantem Oratio « Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis...... Iamvero quaeritur: An processio ista modo supra dicto licite continuari possit: et quatenus negative, quomodo peragenda sit?

III. In hac etiam S. Cathedrali Ecclesia iuxta concessionem Romani Pontificis Gregorii XIII die 30 decembris 1573 factam, diebus dominicis, non Canonicus celebrans Missam, sed Sacrista vel Caeremoniarum facit aspersionem aquae benedictae. Usus autem invaluit offerendi singulis Canonicis et Clericis aspergillum ad sumendam manu eorum aquam, deinde, facta populi aspersione praedictus Sacrista vel Caeremoniarius, qui Orationem dicat (haec enim cantatur ab Hebdomadario), redit ad Sacristiam ibique porrigit aquam benedictam, similiter per contactum aspergini, tam Celebranti quam Ministris. Cum vero hic modus videatur adversari Rubricis, quaeritur: 1. Quid sentiendum de aspersione Chori per contactum? 2. Quid de cantu Orationis ab Hebdomadario? 3. Quomodo fieri debet aspersio Celebrantis et Ministrorum ?

IV. Ex praecepto Concilii III Mexicani omnibus sabbatis per annum canitur in hac sancta Cathedrali Ecclesia post Completorium Antiphona *Saloe Regina* per Canonicum Hebdomadarum, Pluviali indutum, ante altare maius, et deinde recitatur in Choro Matutinum cum Laudibus. Aliquando autem contingere solet, infra Octavam Corporis Christi vel aliis diebus, quod praedicta antiphona cantetur ante Ssmum Sacramentum publice expositum, quod non reservatur nisi expletis Laudibus: sed cum dubitetur de legitimitate huius praxis, quaeritur: Num servandus sit usus canendi antiphonam *Salve Regina* in altari maiori, quando ibi expositum patet Sanctissimum Sacramentum ?

V. Praeter ampullas vini et aquae ponitur etiam super credendam, in aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis pelvis et urceus cum aqua pro manuum lotione in Missis cantatis vel digitorum extremitatibus in privatis, quando Sacerdos dicit psalmus « Lavabo inter innocentes manus.... » hoc autem fit quia aqua quae est in ampulla vitrea frequenter non sufficit ad manus abluendas et Calicis purificationem faciendam, sumpto S. Sanguine, praesertim in Missis cum cantu. Porro cum praedictus pelvis

et urceus non sit praescriptus in rubricis Missalis, quaeritur: Num continuari licere possit, vel saltem tolerari praefatus usus?

VI. Altare maius in aliquibus ecclesiis huius Dioecesis extat super cryptam in qua sunt plura cadavera humata, ita ut altare separatum sit a loculis mortuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptae. Quaeritur ergo : An licitum sit in praedictis Altaribus Sacrosanctum Missae Sacrificium peragere, quamvis in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, respondendum esse censuit:

Ad I. Detur Decretum n. 3448 *Societatis lesa* 11 Maii 1878 ad I et II.

Ad II. Processio in casu continuari potest, sed Celebrans pluviali indutus deferat Reliquiam S. Crucis D. N. I. C. et cum eadem in reditu tantum ad altare maius populum benedicat iuxta Decretum n. 2324 *Brixien.* 15 Septembris 1736 ad I absque versículo et Oratione B. M. V., et ad mentem.

Ad III. *Quoad primam partem,* aspersio Chori per contactum sustinenda non est, utpote Decretis contraria, praesertim Decreto n. 2013 *Leodien.* 27 Septembris 1698 ad II, III, et IV: *Quoad secundam partem,* Oratio dici debet ante Altare ab eo qui fecit aspersionem, iuxta Decretum n. 1122 *Casentina* 19 Iulii 1659; et *quoad tertiam partem.* Celebrans et Ministri qui adspersionis tempore in Sacristia sistunt, aspergendi non sunt sed ad ecclesiae ingressum accipiant aquam lustralem.

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Negative* ad utramque partem.

Ad VI. *Affirmative* iuxta Decretum 3460 *Senonen.* 27 Iulii 1878 ad II. "

Atque ita rescripsit. Die 18 Iulii 1902.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

DECRETA NOVISSIMA

VICEN. Dubium quoad audiendum sacrum in Capella navis, nuper publica declarata.

Quum nuper declarata sit uti publica pro navigantibus Capella fixa in navibus, et cum non raro contingat quod, dum naves in portu inveniuntur, familiae navigantium et officialium, aliaeque personae, diversis ex causis eas adeant; hodiernus Capellanus primarius Societatis Transatlanticae Barcinonensis, S. Rit. Congregationi sequens Dubium pro opportuna declaratione humillime exposuit, nimirum: *Utrum omnes qui indicta Capella sacrosancto Missae Sacrificio adstant, illud audire valeant in adimplementum praecepti de Sacro in festis audiendo.*

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, proposito Dubio respondendum censuit: *Affirmative, iuxta Decretum* Vieen., *diei 4 Martii 1901.* Absque speciali Indulto.

Atque ita rescripsit, die 10 Maii 1901.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef*

L. * S.

t D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

ABULEN. licet amandare nonnulla festa secundaria, post respectiva primaria eiusdem ritus.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Cathedralis Abulensis Dioeceseos, in Hispania, et redactor Calendarii, ut omnia recte fiant, de consensu sui Rmi Episcopi, S. Rit. Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; videlicet : « Ante annum 1893 diebus 5 Maii, 27 Augusti et 22 Septembris in praefata Dioecesi actum fuisse de Festis secundariis Conversionis S. Augustini, Transverberationis Cordis S. Theresiae et Impressionis Stigmatum S. Francisci; tribus aliis Festis primariis eiusdem ritus atque iisdem diebus respective occurrentibus, in primas sequentes dies liberas perpetuo amandatis, videlicet 14 Maii, 1 et 26 Septembris ». Quaeritur utrum, vi clausulae derogatoriae Decretorum 27 Iunii 1893 et 24 Augusti 1894, tria praedicta Festa secundaria respectivis Primariis eiusdem ritus

posthac postponi debeant, et in proximiores praedictos dies, 14 Maii, 1 et 26 Septembris amandari?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1902.

D. CARD. FERRATA, «S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., -S. *R. C. Secret.*

ANIMADVERSIONES

Ante omnia revocandas ad lectorum memoriam censemus liturgicas normas, quae Festorum occursum hucusque moderabantur; sic enim dubium S. R. C. propositum subiectamque responsionem melius valebunt omnes comprehendere. Itaque, haec duo sufficiat innuere: I° Regula, qua Festa *primaria* praeferuntur *secundariis,* tam in occursu quam in concursu ac repositione, ante annum 1893 nondum erat solemniori aliquo Decreto comprobata, praesertim quoad Festa ritum duplicem minorem non excedentia; 2° Doctrina, quae Festis in die *natalitia* positis vel *quasi-natalitia* praeferentiam adscribit in occursu perpetuo super Festis in die tantum *assignata* constitutis, ante eundem annum 1893 attendebatur solum in reformatione perpetui Kalendarii per Apostolicam Sedem approbanda, non autem in novi Officii concessione: quo quidem in casu, et in occursu accidentali, servandae erant communes occurrente leges.

Quare, cum dies 5 Maii recolendae S. Augustini Ep. Conf. et Doctoris Conversioni, et dies 27 Augusti Transverberationi Cordis S. Theresiae Virg. destinata fuerit veluti *quasi-natalitia,* nil mirum si apud Abulensem Dioecesim, spreto inter primaria Festa et secundaria discrimine, bina eadem secundaria Festa in antiquis coli pergerent sedibus, quamvis dies 5 Maii et 27 Augusti pro Festis primariis eiusdem ritus et classis, nempe S. Pii V et S. Iosephi Calasanctii, fuisset serius veluti *quasi-natalitia* iure praefinita. Attamen comprehendi nequi

omnino, qua de causa apud ipsam Abulensem Dioecesim assignatum sacrorum S. Francisci Stigmatum Festum fixe repositam fuerit die 22 Setembris, quae a Pio VII fuit recolendae S. Thomae a Villanova Festivitati iamdudum selecta. Auctoribus namque liturgicis ratum firmumque a remoto erat tempore principium, quo Festa aliquibus in locis impedita vetantur iis fixe reponi diebus, in quibus aliud officium aut Festum Duplex, vel Semiduplex ad dies infra Octavas non pertinens, invenitur in Kalendario universalis Ecclesiae occurrens vel affixum. Haec autem omnia suadent, Kalendarium Abulensis Dioecesis a saeculo XVIII nunquam fuisse reformatum, et ab Apostolica Sede correctum ; nisi, quod aegre potest admitti, vel legitimae Auctoritatis adesset pro continuando invecto more licentia, vel in Redactore illius Kalendarii dioecesani error et oscitantia ferme non credenda.

Quid autem fuerit de legitimitate huiuscemodi usus, quo in Abulensi Dioecesi Festum sacrorum Stigmatum sub die 22 Septembris colebatur fixe repositum : certa res est nunc atque evidens omnino, Festis secundariis in primam insequentem diem liberam amandatis, celebranda esse tria Festa primaria apud Ecclesiam universalem iis diebus occurrentia, nempe S. Pii V, S. Iosephi Calasanctii atque S. Thomae a Villanova, pro quibus Sanctis relativa dies 5 Maii, 27 Augusti et 22 Septembris censetur esse *quasi-natalitia* per Apostolicam Sedem legitime assignata.

Hisce ad rem nostram praenotatis, si quaestio ita fuisset absolute proposita, num videlicet Festa secundaria debeant in occursu etiam perpetuo Officiis primariis eiusdem ritus et classis posthaberi, quando utraque occurrant in die *natalitia,* vel *quasi-natalitia;* nullus esset vel mediocriter in iuris liturgici nunc scientia versatus, qui affirmativarn dubio responsionem ab Apostolica Sede non expectasset. Decretum namque Generale sub num. 3808, quo S. R. C. die 27 Iunii 1893 praeferentiam tribuebat Festis primariis super secundariis eiusdem ritus et classis in occursu et concursu ac repositione, sub die 2 Iulii eodem anno fuit solemnissime a Leone XIII confirmatum. Neque ullum supererai dubium, ex ritu eorumdem Festorum proveniens; quum eadem S. R. G. per Decretum Generale sub num. 3837 declaraverit die 14 Augusti 1,894, distinctionem inter Festa primaria et secundaria prius evulgatarn,

etiam Duplicibus minoribus et Semiduplicibus esse applicandam in occursu et concursu ac repositione.

Quamquam vero haec omnia, si de accidentali agatur Festorum occursu, nullam importent difficultatem, cum omnino evidens sit res; inquiri tamen poterat, utrum haec de perpetuo Festorum occursu forent accipienda, an tantum de accidentali. Item, etiamsi haec de utroque occursu debeant accipi, quaeri tamen adhuc licebat, utrum si agatur de Festis, non quidem noviter concedendis sed iam indultis, Decreta super primariis et secundariis Festis e vulgata obligent statim in perpetuo eorumdem occursu Festorum vi *retroactiva*, an solum in nova perpetui Kalendarii reformatione. Hisce omnibus in re propositis quaestionibus Decretum S. R. C. in *Abulensi* opportune occurrit, innuens leges super secundariis et primariis Festis latas, officiis etiam ab antiquo tempore concessis applicandas esse in occursu accidentali ac perpetuo, et quidem statim post earum evulgationem, non autem esse suspendendas usque ad futuram Kalendarii perpetui reformationem.

Aliquam certe controversiam ingerere posse videntur verba Decreti Generalis num. 3811, per quod S. R. C. die 21 Novembris 1893 haec praecipiebat: «II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die *natalitia*, aliud in *quasi-natalitia*, illud caeteris paribus huic praeferatur. Si vero quod est in die *quasi-natalitia* fuerit potioris ritus, aut aequalis quidem, sed *proprium*, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri praeferatur, quod die prima libera reponetur iuxta Rubricas ». Relata enim Decreti huius verba, uti sonat accepta, videntur quidem in paritate ritus et classis praeferentiam dare Festo magis proprio in die *quasi-natalitia* constituto super Officiis in die *natalitia* collocatis, quamvis illud secundarium et haec primaria fuerint et habeantur. Ratio sane dubii sita in eo esse videtur, quod *proprietas* Festi ut prima numeratur, et ante alias ex *primarietate* ac *dignitate insigni* exurgentes, dotes quae iuxta Decretum debent attendi ad praelationem alterutri ex occurrentibus Festis in casu decernendam ordinarie proposito.

Hinc sane consequeretur, in Abulensi Dioecesi Festa *secundaria* sed *magis propria* Conversionis Sancti Augustini atque Transverberationis Sanctae Theresiae celebrari respective posse die 5 Maii et 27 Augusti; quamvis eisdem diebus occurrant

Festa primaria eiusdem ritus Ecclesiae universalis. Nihilominus, in hoc Decreto, videtur S. R. C. voluisse eas tantum qualitates innuere, quae praeferentiam Festis in die *quasi-natalitia* positis conciliant super Officiis in die *natalitia* occurrentibus, non autem earumdem qualitatum statuere ordinem intendisse; quod manifeste probatur, si secundum ipsius Decreti numerum cum primo conferatur. Si enim maior Festi *proprietas* in die *natalitia* celebrati, ad praelationem super altero Officio in die pariter *natalitia* vindicandam, attendi nequit omnino, nisi et primarii ratio, ac dignitas insignis fuerint utrobique pares: certe, eadem maior Festi *proprietas* multo minus ante primarii rationem insignemque dignitatem considerari poterit in die *quasi-natalitia,* quae certe minoribus ornatur iuribus quam dies *natalitia.* Non est autem diffitendum, posteriora verba Decreti Generalis clarius ita potuisse disponi: «Aut aequalis quidem sed primarium, vel potioris dignitatis, vel magis proprium, alteri praeferatur ».

Neque etiam hic inutiliter possumus agitare quaestionem, etiam interpretando subsequenti Decreto congruentem, utrum nempe approbatio per S. R. C. Kalendariis perpetuis attributa, possit efficere, ut dies celebrandis extra *natalitiam* Festis constituta evadat veluti *quasi-natalitia* Personarum ac Mysteriorum in locis pro quibus Kalendarium approbatur. Nos triplicem hac in re, omnibus et singulis rationum momentis bene perpensis, exhibemus responsionem: 1. Si Persona vel Mysterium celebretur apud Ecclesiam universam in die *natalitia* aut *quasi-natalitia,* et utraque haec dies in Kalendariis particularibus impediatur, ita ut Festum reponi debeat in primam sedem liberam; haec sedes noviter affixa nullatenus reputari valet ceu dies *quasi-natalitia,* sed uti mere *assignata.* Re sane vera, approbatio Apostolicae Sedis Kalendariis perpetuis adnexa adeo parum sufTectam solet in casu diem *ceu quasi-natalitiam* constituere, ut potius sine Indulto speciali vel immemorabili consuetudine, si qua Ecclesia ceu Titularem vel Patronum veneretur Sanctum vel Mysterium die simpliciter *assignata* in approbato Kalendario collocatum, haec non utique in die *assignata* celebrare possit, sed potius adigatur ipsum in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* simul cum Ecclesia universali percolere; 2. Si Persona vel Mysterium nullo apud universalem Ecclesiam annuo decorentur Festo, et dies *natalitia* eorum non

fuerit ad celebrandam Festivitatem electa ex notis Apostolicae Sedi causis, vel decursu temporis ob novorum concessiones Officiorum impedita remaneat: tunc utique dies extra natalitiam praestituta, erit uti *quasi-natalitia* reputanda pro particulari Ecclesia; adeo ut Titularem et Patronum recolere minime haec possit in die propria *natalitia,* sed solum in eisdem *assignata* celebrare relativum Festum adigatur die, quae in casu veluti *quasi-natalitia* pro suis locis merito computatur; 3. Quare, ut una omnes breviter regulas amplectamur, dicere possumus: Si quae particulares Ecclesiae ad celebranda Festa adiguntur, non quidem ralione sui, sed ratione alterius ad quam veluti partes attineant: uti Ordo seu Congregatio Regularis aut Dioecesis ad totam Ecclesiam; Provinciae Regulares ad respectivum Ordinem; Coenobia seu Monasteria ad Provinciam Regularem; item Paroeciae ad Dioecesim: in singulis hisce casibus Ecclesiae particulares cum magis universaliore convenire debent in eligenda die pro recolendis Sanctis vel Mysteriis. Adeo quidem, ut si una conformare se cum reliquis ob impedimentum nequeat in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* amplectenda, solummodo diem *assignatam* non vero *quasi-natalitiam* sibi peculiarem in celebrandis hisce Festis valeat obtinere. Hoc autem intelligendum esse patet, re generatim et per se tantum inspecta: nam ex Indulto posset, vel ex immemorabili etiam consuetudine, Ecclesia particularis communia Festa in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* sibi peculiariter propria ac diversa interdum peragere.

Necesse erat haec fusius evolvere: quoniam si sedes alicubi assignata extra *natalitiam* diem aut *quasi-natalitiam* pro •celebrando Ecclesiae universalis Festo quopiam illic impedito, evaderet veluti dies *quasi-natalitia;* certe apud Dioecesim Abulensem Festa primaria S. Pii V, S. Iosephi Calasanctii, atque S. Thomae a Villanova possent ac deberent in assignatis hucusque diebus immota servari, quippe qui in casu tamquam dies *quasi-natalitiae* per approbationem Kalendarii perpetui ab Apostolica Sede obtentam iam evasissent. Ac revera, cum omnia diei *natalitiae* iura in *quasi-natalitiam* legitime ac stabiliter transmittantur, neque sine Apostolico Indulto amplius liceat Festum in alia die etiamsi *natalitia* recolere: equidem in Dioecesi Abulensi et alibi dies *assignata* ad colendum iuxta Rubricas impeditum Ecclesiae universalis Festum, nequit un-

quam ceu *quasi-natalitia* computari; utpote quae ob latas super primario et secundario quolibet Officio leges debeat relinqui, ut Festum ipsum ibi prouti apud universam Ecclesiam die *quasi-natalitia* auctis iuribus denuo peragatur. Hanc porro nostram sentiendi rationem Decreto in *Abulensi* confirmatam vidimus, atque apud alios probatam Auctores liturgicos.

Quamquam vero haec omnia videantur nullam in theorica secum ferre controversiam, in praxi tamen inquiri nonnulla adhuc valent, praesertim pro Kalendariis ab Apostolica Sede probatis, et eo vel magis post Decreta super primario quovis et secundario Festo et extenso diei *quasi-natalitiae* ac tantum *assignatae* discrimine promulgata revisis; si nempe aliquod Festum secundarium veluti in die *natalitia* aut *quasi-natalitia* collocatum, adhuc in eadem reperiatur sede, quae est veluti *natalitia* aut *quasi-natalitia* pro altero Festo primario Ecclesiae universalis eumdem ritum habente. Inquiri enim etiamnunc potest, utrum debeat Festum secundarium particulare statim a sede hucusque obtenta dimoveri et in primam insequentem sedem liberam fixe apponi, ut detur locus Festo primario Ecclesiae universalis in die *natalitia* huius aut *quasi-natalitia* constituto; an possit in antiqua ipsum sede retineri, quousque saltem perpetui Kalendarii reformatio quamprimum habenda perficiatur.

Si Decretum in *Abulensi* rigorose accipiatur, statim utique secundarium Festum huiusmodi oportet a sede hucusque occupata expelli, in eamque primarium Festum illud restituere. Immo, iuxta Decretum n. 3811, solummodo reformandi Calendarii tempus opperiendum sinitur, quum tam novum pariter quam antiquum Festum in die *assignata* utrumque reperiatur; minime vero hoc permittitur, cum horum alterum vel utrumque in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* sit collocatum. In illo namque Decreto haec habentur expressa et unice sub hoc numero : « IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die *assignata;* antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. - Cum nihilominus perpetuum alicuius Ecclesiae Kalendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis ac prioritas translationis ». Quoniam ergo ea, quae pro uno tantum casu a S. R. C. permitti-

tur, pro aliis generatim occurrentiis censeatur ipsum inhiberi: hinc liquido colligitur, reformandi perpetui Kalendarii tempus opperiendum permitti ab eadem S. R. C. solummodo, cum agitur de duobus officiis in die *assignata* occurrentibus; non vero annui, cum res fuerit de duobus Officiis, quorum alterum vel utrumque in die *natalitia* aut *quasi-natalitia* recurrat. Itaque Decreto *Abulensi* inspecto, cui vis accedit ex Decreto Generali n. 3811 : apud particulares Ecclesias statim, iuxta novam iuris liturgici normam, perpetuas Officiorum translationes oportet immutari; non autem expectanda esse videtur Kalendarii perpetui reformandi occasio futura, ut novae leges in executionem mittantur.

Nihilominus, si haec partialis Kalendarii perpetui correctio graves videatur difficultates inducere, et confusiones in divini Officii Ordine redigendo parare, satius esse credimus, ac praesertim si agatur de Officiis ab antiquo tempore recitatis, ut spreta qualibet consideratione Festum secundarium sua interim die retineatur; quousque tandem congrua perpetui Kalendarii emendatio quamprimum Apostolicae Sedi perficiatur exhibenda, in quo stabilis Officiorum Festorumque repositio ad novissimas Rubricarum Decretorumque normas ordinetur. Incommoda enim vere gravia secus ineluctabiliter oritura, efficere possunt, ut certa latarum legum obligatio interea maneat suspensa, donec de opportuno remedio sine ullis hac in re difficultatibus fuerit provisum in Kalendarii perpetui correctione per Apostolicam Sedem semper approbanda.

Revera quaedam non desunt exempla, quae nostram sentiendi rationem apte confirmare videntur. Apud Breviarium Romano-Seraphicum sub die 6 Februarii agitur Festum assignatum S. Agathae Virg. et Mart., quod die praecedenti a Festo digniori SS. Martyrum Iaponensium impeditur; die autem 23 Februarii celebratur Officium pariter repositum Cathedrae Anthiochenae S. Petri, quod antecedenti die praepeditur a Festo potiori S. Margaritae de Cortona. Porro, ut ex iis quae superius disseruimus eruitur, dies 6 et 23 Februarii pro S. Agathae respective atque pro Cathedrae Antiochenae Officio praestituta, nonnisi tamquam *assignata* poterit pro alterutro Festo •considerari. Hisce autem duobus diebus apud Ecclesiam universam occurrit respective Festum S. Titi, necnon S. Petri Damiani, quorum prius est in die *quasi-natalitia,* posterius in

die vere *natalitia ;* ideoque utrumque statim sine ulla mora? Festum praeferendum esset aliis Officiis in die simpliciter *assignata* occurrentibus. Decretum namque Generale num. 3811,, hanc absolute regulam servandam iniungit: « III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die *natalitia* aut *quasi-natalitia,* alius in die *assignata,* seu non propria aut *tamquam-propria ;* ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui prima die libera reponendus erit iuxta Rubricas ». Attamen, non obstante hoc Generali Decreto, in binis' editionibus Breviarii Romano— Seraphici anno 1900 Ratisbonae et anno 1901 Tornaci peractis, neque S. Titus neque S. Petrus Damianus diei suae respective- *quasi-natalitiae* et *natalitiae* restituebantur, neque Festa S. Agathae vel Cathedrae Antiochenae ab assignatis olim sedibus expellebantur, ubi iuxta novum ius liturgicum esse amplius non poterant. Licebitne ergo, ante reformationem perpetui Kalendarii Romano-Seraphici, cuilibet annui pro divino Officio et Missa Ordinis Redactor! hanc correctionem efficere? Nobis negativum quaestioni responsum videtur esse tribuendum, obmulta et gravia incommoda quae secus essent oritura, ac praesertim ob difformitatem inter Ecclesias unius eiusdemque Ordinis alioquin sic enascituram; idque eo vel magis, quod de licentia S. R. C. bina illa prodibat in lucem Breviarii Romano-Seraphici editio.

Insuper eadem S. R. C. sub die 13 Septembris 1882 permisit, ut Officia per Constitutionem Pp. Leonis XIII Ecclesiae- universali concessa ubi determinatis iam per Constitutionem *Nullo unquam* d. d. 28 Iulii 1882 diebus aliquo Festo fixe antea- reposito impediantur, possent haec in primam insequentem sedem iuxta Rubricas vacuam amandari. Quum enim permissio S. R. C. nullam conditionem apposuerit, uti omnes norunt: hinc, si iisdem diebus Officium ritus inferioris, vel saltem secundarium, vel minori dignitate praeditum, vel minus proprium habeatur iam affixum, debebit ne perpetua Festorum translatio, iuxta novissima Decreta, corrigi et innovari? Nos item negative respondendum esse censemus, ob controversias hac in re facile orituras, et incommoda multa sane gravia indidem¡ proventura; quae merito suadent, ut executio novorum Decretorum Rubricarumque prudenter suspendatur, quousque sal-

tem conveniens Kalendarii perpetui correctio per Apostolicam Sedem approbanda agatur.

Ita pariter in casu nostro, si similia oritura timeantur incommoda, probabilius arbitramur, Decretum in *Abulemi,* extra saltem hanc Dioecesim, posse interim suspendi et solum in agenda quamprimum Kalendarii reformatione in praxim congrue deduci; eo vel magis quod Decreta saepe non magnam cito habeant vim retroactivam, quemadmodum de Rubrica circa socios Patronorum et Titularium interdum omittendus post Tabellam occurrentiae posita, hucusque factum esse iam novimus.

Hoc tamen nullatenus approbari posse credimus in casibus, quibus graves unquam difficultates exoriturae non apparent; uti nempe si agatur de reformando, non ordine translationum in Breviario Ordinum seu Congregationum Regularium vel Dioecesum iam edito cum Missali respondente, at unice de ordine translatorum corrigendo pro aliquo Coenobio vel aliqua Ecclesia, quae suam Appendicem editam non possideat, ac tantum in annuo Kalendario perpetuas notatas habeat suorum Festorum translationes. In hisce enim casibus, uti apparet, Decreta vim obligandi et cito integram sortiri videntur, eo quod immediata eorum executio nullam in casu seriam difficultatem nata est excitare.

Omnia tandem, quae hucusque in longum disseruimus, legitimae Auctoritatis et sapientiorum examini et iudicio humiliter exhibemus, eorum sententiam parati Iubenti prorsus animo accipere.

FR. PASCHALIS A PERUSIA O. F. M.

SACRAE CONGREGATIONIS CAEREMONIALIS

RECTORIBUS ECCLESIARUM URBIS

DECRETUM

Solemne semper Ecclesiae fuit, in sacris peragendis, splendidiore ritu quandoque uti, qua exteriori pompa sensus hominum perculsi, rei celebrandae magnitudinem intelligerent melius. Tunc vere divinae Christi Sponsae verba regii Vatis aptan-

tur: «Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate ». Augustiorem autem quum faciant ritum, non modo templi apparatus et ornamenta reliqua, sed etiam sacra peragendum excellens auctoritas ac dignitas, idcirco ad solemnium haec primores antistites invitari solent, crebrius quidem Episcopi, rarius S. R. E. Cardinales. Utriusque ordinis decori, maxime vero purpuratorum Patrum, satis lege consultum est, et sua cuique iura, honores, privilegia definita sunt, quum in ceteris, tum etiam in iis quae ad sacros ritus quosdam splendidius celebrandos pertinent. Quia tamen nostra maxime tempora postulale videntur ut caveatur sedulo, ne sacrorum antistitum maiestas quotidiano usu penes populum vilescat, S. Congregatio Caeremonialis censuit ecclesiarum Urbis Rectoribus servandas normas constituere, quae sequuntur (1) :

I. Quoniam interest magni ut Patrum Cardinalium sarta tectaque servetur dignitas, quotquot in Urbe sunt ecclesiarum rectores admonentur, ne tam crebro neque tam facile purpuratos Patres invitent, etiamsi de sacris solemnioribus agatur (2).

II. In Missis et in Vesperis pontificalibus, praeterquamquod standum erit menti et praescriptis libri Caeremonialis, serventur omnino conditiones quae sequuntur:

1. Ut aequa sit et probanda causa cur Emi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius festi celebritatem (3) ;

2. Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignioribus sit atque insignioribus (4);

3. Sacri ministri aliique inferiores operam praestitum, numero adsint, qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri (5);

4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum Emus Vir Sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero quum numero, tum arte nihil desiderandum relinquant (6).

III. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densâque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia Emi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter (7).

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius (8).

IV. Ad Missam privatam in publicis Urbis ecclesiis ne invitetur PP. Cardinalium quisquam, sive ex ordine episcoporum aut presbyterorum, sive, etiam *posito privilegio,* ex ordine diaconorum, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem SS. Rituum praescriptis et Caeremoniarum regulis (9).

V. Eadem plane serventur si quis Pater Cardinalis invitetur ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento. In eiusmodi ritu, ad quem etiam rarius erunt invitandi purpurati Patres, illud curae esto, ut ministri sacri sint in aliqua Ecclesiae dignitate constituti; inferiores autem clerici et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero, vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis), non erunt invitandi quotidie PP. Cardinales, ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

Ceterum ad quaevis solemnia ecclesiarum Urbis rectores ne invitent purpuratos Patres, nisi auditis prius apostolicarum caeremoniarum aut praefecto, aut magistris (10).

VI. Absolutionis ritus, post Missam de Requie ab episcopo aut presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis episcoporum aut presbyterorum peragendus, nisi quum iusta

funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus (11).

VII. Haud par est invitari episcopos ad pontificalia sive Missae sive Vesperarum, ubi nulla aequa suppetat ratio verae solemnitatis, aut ubi non ante fuerit cautum diligenter, ne forte peragendis iis ritibus vel angustia loci obstet, vel inservientium conditio vel impar numerus. Quapropter S. Congregatio monet omnes et singulos ecclesiarum Urbis rectores, ut, ad episcopalis dignitatis tutelam, quae circa templi decus et amplitudinem, quae circa solemniorem festi rationem, sacrorum ministrorum aliorumque inservientium qualitatem et numerum superius praescripta sunt, ea convenienter aptent iis casibus in quibus invitare episcopum cupiant, sive ad sacra illa solemnia, sive etiam ad Missae privatae celebrationem, aut ad benedicendum populo cum Augustissimo Sacramento, aut ad huiusmodi alia (12).

Quae omnia a S. Congregatione Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in Aedibus Vaticanis, die 23 mensis Maii an. 1902, et per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Caeremoniali Praefectum relata ad SSmum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit, die 30 eiusdem mensis et anni.

ALOISIUS CARD. OREGLIA A S. STEPHANO
S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. * S.

LUDOVICUS GRABINSKI, *Secret.*

ADNOTATIONES in relatum S. Congregationis Caeremonialis Decretum.

(1) Libentissime hoc S. Congr. Caeremonialis decretum in nostris Ephemeridibus inserimus, non tantum quia de re liturgica agit, sed maxime quia valde erat opportunum, imo et ne-

cessarium supremam Auctoritatem contra plurimos irreptos abusus insurgere.

Illud missum est: *Rectoribus ecclesiarum Urbis,* ut qua par est solemnitate et pompa sacrae peragantur functiones, quando invitatur aliquis S. R. E. Cardinalis. Compertum est enim, quod saepe saepius, ex nimia Emorum Patrum comitate, qua invitamenta excipiunt, quibusdam in ecclesiolis neque sufficienti numero, neque spectabili qualitate ministrorum instructis, ipsi non excoluntur prout eorum excelsa dignitas exigit. Hinc opportunae regulae a rectoribus ecclesiarum in casu observandae traduntur.

(2) Ex alio parili S. Congr. Caeremonialis Decreto, haec, ad rem, referimus:

« Dignitatis eminentia, qua S. R. E. Patres Cardinales, Pontificis Maximi Consiliarii Eiusdemque Senatus augustus, in Ecclesia praefulgent, plane postulat ut alta de ipsis opinio penes christianorum populum vigeat. Quare mirum non est si eorum decori tuendo multa fuerint lege cauta et constituta, collatis per varia tempora amplissimo illi Ordini iuribus, privilegiis, honoribus, quum in ceteris, tum praesertim in iis quae ad sacros ritus splendidius per ipsos celebrandos pertinerent. Quia vero nostra maxime tempora postulare videntur ut sedulo caveatur, ne tanta maiestas quidquam detrimenti capiat et quotidiano ministerii usu vilescat, S. Congregatio Caeremonialis opportunum duxit certas in rem normas proponere, easque significatas altero Decreto ecclesiarum Urbis rectoribus, purpuratis etiam Patribus exhibere ».

(3) Et sane; nulla enim Confraternitas, nulla, maxime monialium, pia sodalitas habetur, quae in celebratione suarum festivitatum, aliquem ex Purpuratis Patribus officiantem habere non cupiat. Hinc ad retrahendam personalem comitatem humilitatemque Cardinalium, ne huiusmodi invitamentis facile annuant, hic praescribitur, quod festi celebritas communis et parvi momenti non sit.

(4) Non tantum hic loquitur Decretum de ambitu templi et maxime de amplitudine presbyterii, ut caeremoniae suo splendore expandi et perfici possint, sed aperte praescribit ut templum sit ex *dignioribus ei insignioribus. Dignius:* quod memoriis sacris, frequentia cleri, sanctorum corporibus inter alia praevalet; *insignitis:* quod ob molis amplitudinem, artis ma-

gnificentiam, ab omnibus excellens existimatur. In oratoriis ergo et ecclesiolis, et in aliis ecclesiis neque *dignioribus* neque *insignioribus,* invitare Cardinales nec decet, nec amplius licet.

(5) Quoties vidimus Patrem purpuratum, benedictionem cum SS. Sacramento impertientem, duobus ministris, dalmatica et tunicella indutis, et alio qui Ostensorium deponat tantum circumdatum, ministrantibus librum, palmatorium, thuribulum, et syrmam sustentan ti bus, paucis puerulis aliqua veste ad modum clericalem indutis! Itaque, uti dicitur in alio parili Decreto: « Pater Cardinalis invitatus extra proprium titulum ne annuat, nisi audito, quo ipse utitur, apostolicarum caeremoniarum magistro », qui certior fieri debet de servitio tam ministrorum quam clericorum etc.

Sacerdotibus, et etiam laicis peregrinis Romam convenientibus, magnae est admirationis, quum adspiciunt Patres Cardinales functiones sacras peragentes, et non semper sibi habere inservientes veros clericos, v. gr. ex Seminariis, quae tot in Urbe habentur. Soliti Episcopos videre in eorum civitate, qui nullam agunt sacram functionem, etsi minoris momenti, quin alumni Seminarii ipsis ministrent, persuadere sibi nesciunt cur non idem *semper* praestare poterint Seminariorum Urbis clerici. Vere quidem studiis ipsi vacare debent ac pietatis exercitiis in propriis cappellis incumbere solent; sed ad *cultum divinum* quoque exercendum ipsi instituuntur, hinc decet omnino ut, etiam in alienis ecclesiis, adhibeantur, praesertim cum Eminentissimi DD. Cardinales sacra peragunt. Est sane huiusmodi alumnorum summum decus, et quasi praemium, coram Deo ministrare, quando purpuran' Patres solemnia persolvunt. Sed cum necesse quoque sit non nimium eos per ecclesias vagare, hac praesentis Decreti limitatione optime praecavetur. Nemo certe sanae mentis diceret Seminariorum alumnos officium eiusmodi declinare, quasi in dedecus aut gravamen iis cederet. Romae enim Summo Pontifici ministrant Episcopi ac Praelati : in patriarchalibus Urbis sunt et *Beneficiati,* licet Sacerdotes, qui Canonicis, imo et suis sociis inserviunt, nonne idem libenter praestabunt alumni Seminariorum Patribus Cardinalibus, qui, ut dicitur in iure: *Sunt coadiutores Domini Papae, intimi eius consiliarii, et eius senatum constituunt?* Quando tamen Seminariorum alumni haberi nequeunt, saltem alios Clericos praesto esse fas erit.

Quod hic dicimus de minoribus clericis ministrantibus, multo magis dici et debet de ministris maioribus. Invitentur ergo, si in ecclesia non habeantur Canonici residentiales, alii Sacerdotes in dignitate constituti, praelati nempe, ut in hoc *§ praecipitur.* Si autem in ecclesia non sit coetus Canonicorum, sed sodalitas aliqua monachorum vel religiosorum, tunc praelatos seu digniores ex illis convenit Emo adsistentiam praebere. Postremum huius numeri comma, maximi faciendum quoque est, ac proinde nisi habeatur Clerus de gremio, vocetur adventitius.

(6) Multum interest, quod de *musices genere* utendo in functionibus a Cardinalibus persolvendis hic praescribitur. Iam alias *(D. 7 Octobris 1738),* uti habet Ephemeris *Rassegna Gregoriana,* n. 8 et 9, S. Cong. Caeremonialis de eodem argumento egerat et tunc decreverat, quod in *Cappellis Cardinalitii s* sicut in *Pontificiis,* concentus musicus adhiberetur tantum vocalis, et nullo comitante instrumento. Nunc S. Congregatio hoc Decretum extendit ad *praecipuas functiones* quae ab uno ex Patribus purpuratis *ritu pontificali* celebrantur. In hoc enim § sermo est de *Vesperis* et *Missis,* atque dicitur : *praesertim dum Emus Vir* « Sacrum solemne » *peragit ;* ergo cum Missam legit, cum Vesperis aut Missae ab alio celebratis assistit, cum benedictionem cum SS. Sacramento impertitur, musica quoque, organo etiam comitante adhiberi adhuc potest. Attamen pro his etiam functionibus decretum opportunam et generalem praescriptionem habet: *Musices genus.... sit ab ecclesia probatum.* Videant nunc musices magistri an quaedam eorum *Missae* vel aliqui *Psalmi* propter prolixitatem, et verborum nimiam repetitionem, et musicalium nimis strepentium instrumentorum comitatum, adhuc concini valeant!

De musices genere in *solemnibus ab Emo celebrandis* perpulchra specialis praescriptio habetur, qua s. functionis decori aptissime providetur. Et primo in hoc § probatur *Cantus Gregoriana,* cui soli recte competit nomen *cantus ecclesiastici* et *liturgici,* utpote qui est Ecclesiae et liturgiae proprius.

Praeter illud vero non aliud recipi debet generis cantus, quam poliphonicum *solis vocibus* depromptum secundum morem pontificiae Cappellae. Hoc modo e medio aufertur periculum ne musices genus forsan sit minus ecclesiae dignum, et magistris atque cantoribus praebebitur modus mirificas com-

positiones classicae poliphoniae, nimis obliteratas, rursus et frequentius exequendi.

Per hoc autem non omnino prohibetur organorum sonus, cum quam maxime deceat ut sublimes modulationes gregorianas, organa, uti recta scientia docet, comitentur; hoc non erit improbandum. Similiter, cum hic dicitur, *non alium* praeter illum *recipi cantum, quam qui solis vocibus* . . . non reprobatur sonus organorum, cum Eminentissimus Cardinalis ecclesiam ingreditur, et etiam aliis temporibus, ritu permittente, ut habetur in Caeremoniali Episcoporum. Quid autem sibi vult dictio *praesertim?* Quod *semper* praecipitur in functionibus pontificalibus ab Emo Viro celebratis, praefatus cantus, *praecipue* vero, ex magis *rigoroso* scilicet *praecepto,* in *Missis* pontificalibus, ab eodem celebratis.

Videtur enim non effugisse S. Congr. Caeremonialis difficultatem educendi, saltem statim, in praxim hanc praescriptionem pro *Vesperis* : quapropter magis ei placuit insistere in rigoroso praecepto pro *Missis* tantum.

Optandum autem est ut omnes ecclesiae rectores et musices cultores recte intelligant naturam et finem *Vesperarum,* et legant in *Caeremoniali Episcoporum* quomodo Ecclesia iubeat Vesperas ordinari. Tunc eis praescriptio hodierna Sacrae Congr. Caeremonialis omnino apparebit opportunissima.

(7) Hoc in § ponitur exemplum pro indicandis gradu et solemnitate festivitatis, ad quam invitari potest Pater Cardinalis. Tridui nempe post beatificationem et octiduum post canonizationem, vel alicuius commemorationis saecularis, aut etiam alterius similis solemnis occasionis.

Per hunc articulum non censentur interdictae illae cum SS. Sacramento benedictiones, quae a Cardinalibus impertiri solent quotidie in novendialibus Immaculatae Deiparae Conceptionis in ecclesia SS. duodecim Apostolorum, et S. Philippi Nerii in ecclesia S. Mariae *in Vallicella,* nec non in octiduo Epiphaniae in ecclesia S. Andreae a Valle. Compertum est enim qua eximia solemnitate Romanus populus huiusmodi sacras functiones frequentatur. Earum ergo celebritas, bene respondet dignitati cardinalitiae.

(8) Pro solemniis persolvendis in unoquoque Titulo, aut Diaconia, hic nil aliud dicitur, quod rectores digne omnia disponant, iuxta praescriptam solemnitatem; cum Tituli et Dia-

coniáe iam ex natura sua ius habent ut inibi aliquando Cardinalis sacra exerceat.

(9) Pro Missa quoque tantum lecta in ecclesiis Urbis *publicis*, requiritur: 1° Festi solemnitas, 2° Templi dignitas, 3° eiusdem amplitudo, et bene. In oratoriis ergo *privatis*, et semipublicis, seu interioribus apud aliquod pium Institutum, adhuc potest Pater Cardinalis Missam celebrare, licet dignitas et amplitudo loci non semper habeatur. Cum enim privata et semipublica oratoria non pateant, semper saltem, cunctis ingredi volentibus, aut invitatis permultis, non opponitur S. Congregationis Decretis et menti, quod Eiïius in iis simpliciori accedat apparatu. Credimus tamen, quod, si invitatio fiat ob *festi solemnitatem*, tunc, quatenus liber habeatur populi accessus, aut multa invitatorum frequentia, deficere non debeant, sicut et numerus clericorum ministrantium, ita et aliae conditiones.

In hoc § dicitur etiam *eo quo decet honore et cultu excipi, tractari, deducique* debere purpuratus Pater; et bene. Oportet enim, quando Vir Eminentissimus ad aliquam ecclesiam accedit, licet ritu privato, ut is a dignioribus ecclesiae, praeeunte superiore, comiter excipiatur, et inde deducatur. Aliquibus enim in ecclesiis, unus vix sacerdos, vel aliquis confraternitatis sodalis interdum occurrere visus est, haud certe laudabiliter.

(10) Opportunissime concluditur § iste, audiendi nempe erunt semper apostolicarum caeremoniarum magistri, antequam aliquis Cardinalis a rectoribus ecclesiarum invitetur. Tunc enim, et rector invitans, et Cardinalis annuens, in tuto erunt, quod hoc S. C. Caeremonialis Decretum plane adimplebitur, cum maximo emolumento et summo splendore amplissimi Cardinalium Coetus et sacrarum functionum. Sic etiam, ut-habetur in alio parili, praecaveatur: *ne aliis in ritibus eaeremoniisve sacris, praeter memorata, studio etiam novitatis aliquid inducatur purpuratorum Patrum dignitati minus conveniens, quod aliquando accidisse constat.*

(11) Bene hic revocatur ritus absolutionis post Missam emortualem, ad funebria tantum solemnissima, in quibus decet quod Cardinalis ultimam benedictionem persolvat.

Adverte tamen, hanc absolutionem dandam esse a Cardinali tantummodo ex ordine episcopali aut presbyterali; Diaconi enim huiusmodi publicas functiones numquam peragunt, eo quod facultatem a Summo Pontifice aliquando recipiunt quas-

dam *determinatas* functiones peragendi, quae ex more: sunt privatae Missae celebratio, et Benedictionis cum SSmo Sacramento impertitio, semper tamen extra propriam Diaconiam. Item oportet ut funebria celebrentur pro persona *superiori* vel *aequali;* nempe pro Pontifice, pro Rege catholico, vel pro alio Cardinali. Quando haec solemnia parentalia celebrantur *praesente eorpore,* tunc res omnino regitur a consuetis legibus, quae in Cappella pontificia sunt propriae, de quibus hic non agitur. Quando vero agantur funera *eorpore non praesente,* uti in diebus VII, aut XXX, etc. tunc locum habent dispositiones huius paragraphi.

Adverte tandem, quod si funera agantur de aliqua determinata persona, haec ut diximus, superior debet esse, aut aequalis, in dignitate Cardinali absolventi ; si vero agatur de funeribus solemnibus, in Decreto enumeratis, non pro una tantum persona, sed pro omnibus fidelibus defunctis vel communitate aliqua, tunc item Cardinalis absolutionem praebere valet ad tumulum, dummodo observentur quae in hoc § praecipiuntur.

In Patrum Cardinalium funebriis celebrandis, antiquus mos nunc non amplius servatur, a Rituali Romano commendatus, decantandi scilicot defunctorum officium, statim ac feretrum in medio Ecclesiae depositum sit, quod, ob specialia temporum nostrorum adiuncta, a Summo Pontifice, prout hodie celebrantur, exequiae ordinantur verum in aliis funebriis, maxime *praesente eorpore,* utinam hic mos praxi revocaretur.

(12) Ultimo hoc loco, agitur etiam de functionibus peragendis ab episcopis in Urbe degentibus. Nunquam satis erit hic § commendandus; compertum est enim quo honore sancta mater Ecclesia umquam prosecuta sit eos, qui charactere episcopali praefulgent. Ii sunt Apostolorum successores, ii sunt qui plenitudinem habent sacerdotii; numquam ergo permitti potest, ut episcopis celebrantibus, ea solemnitate ritus peragantur, quae dignitati episcopali non respondeat.

Hinc comprobare non possumus nimiam facilitatem qua invitantur episcopi ut pontificalia agant in aliquibus ecclesiis, in quibus ritus sacri, qua par est gravitate, expleri nequeunt.

LITTERAE SSmi. D. N. Leonis XIII ad Abbatem Monasterii ad Cryptamferratam, quoad initum consilium celebrandi solemnibus laetitiis nonum saeculum ex quo coepit aedificari praedictum Coenobium

Ex tuis litteris libenter accepimus egregios quosdam una Tecum viros, auspice dilecto Filio Nostro Cardinali Episcopo Tusculano, inivisse consilium solemnibus laetitiis celebrare nonum, quod non multo post conflcietur saeculum, ex quos vir sanctissimus Nilus cum aliis graecis monachis in agro Tusculano considens prima Coenobii ad Cryptam Ferratam fundamenta posuit; illudque post beatam quam proxime obivit mortem, sui corporis exuviis nobilitavit. Decet sane filios patrum gloriam recolere, propositisque honestissimis eorum exemplis posterorum animos ad virtutem erigere. - Neque haec una est Nobis causa cur proposito vestro assentiamur. Mittimus litterarum et bonarum artium ornamenta quibus Tusculanum Monasterium se hominum memoriae commendat. Mittimus, quod maius est, religiosarum virtutum laudes, quae hoc potissimum tempore merito sunt extollendae, quum eae acrius impetuntur. Sed maxime memoratu dignum illud est, quod cum. multis aliis exemplis, tum in hoc proxime celebrando eventu praeclare elucet; testimonium sollicitudinis ac propensissimae voluntatis quam erga dissitos Orientis filios Romani Pontifices omni tempore demonstrarunt. Sane non semel eos propter temporum difficultates e patria extorres liberali hospitio, Romanis Pontificibus auctoribus, Italia excepit: plures saepe eorum, praesertim ex monastica disciplina, in hanc Almam Urbem veluti in ipsum communis Matris sinum confugientes tutis ac locupletibus sedibus Decessorum Nostrorum benevolentia donavit. — Verum inter caeteros quos latina tellus aluit veluti orientalis pietatis flores, non ultimum sibi locum vindicat Tusculanum Coenobium, quod in ipso Urbis conspectu sub Romanae Sedis ¡tutela adolevit, et emenso feliciter plurium saeculorum spatio, adhuc veteris unitatis monumentum extat.

Quod ipsum quibus Nos curis prosequuti simus, tuis litteris grato erga Nos animo recolis. Nec iniucunda Nobis nec vacua spei recordatio. Cum enim istic ad puritatem graecae disciplinae restitui sacros ritus iussimus, aliaque providimus quae ad eius incrementum utiliter conferrent, longius animus prospiciebat Noster. Apostolica charitate scilicet complexi nobiles

populos e gremio Ecclesiae olim misere avulsos, id spectabamus, ut eos ad incolumitatem fidei et unitatis recuperandam invitaremus. - Nostris quidem studiis monachorum opera non defuit; utinam maiorem illam spem Nostram aliquando felix rerum exitus compleat.

Interim pro eâ qua istud nobile litterarum ac religionis domicilium fovemus benevolentia, incoeptum vestrum ultro probantes, auspicem divinorum munerum Apostolicam Benedictionem Tibi, universis Coenobii monachis, aliisque egregiis viris Tecum ad propositum consilium exequendum adlaborantibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 9 Septembris 1902 Pontificatus Nostri anni vicesimoquinto.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio
Arsenio Pellegrini
Abbati Monasterii ad
Cryptam Ferratam.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAMERINEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

Die 16 Augusti 1902.

Sess. 24 c. 13. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Causa nullitatis matrimonii, quod Evangelina die 9 Martii 1896 contraxit cum Venantio ventilata primitus generalibus in Comitiis diei 20 Iulii 1901, placuit Emis Patribus resolutionem comperendinare per rescriptum : « Dilata et coadiuventur probationes iuxta instructionem dandam a Defensore matrimonii ex officio ».

Proposita iterum in plenaria Congregatione diei 1 Martii 1902, S. C. C. reposuit : «Dilata » mandavitque « ut

rite interrogentur Evangelina, an Censi vera narraverit, et moniales an aliquid cognoverint de violentia a patre facta filiae ; interrogentur pariter an adhuc custodiant literas, quas Evangelina asserit reliquisse in Monasterio, ac demum seorsim audiatur Soror Giulini ut respondeat an scripserit literas supra memoratas, et quatenus affirmative, an recordetur de iis quae patri Evangelinae significaverit ».

Rmus Archiepiscopus Camerinen. Vestra iussa faciens, processum suppletivum confecit, quem S. C. C. transmittens , haec retulit de honestate, religione et veracitate festis alicuius Iosephi : « Pro testimonio autem quod a me exquiritur de Iosepho, non dubito declarare ipsum virum •esse catholicum, Ecclesiam et Sacramenta frequentare, summae honestatis et bonorum morum exemplar in patria, divitiis affluentem, et nullum de veracitate dubium ingerere ».

Disceptatio synoptica

VOTUM CANONISTAE. Anno 1900, die 15 Ianuarii Curia Camerinen. in primo iudicii gradu sententiam tulit contra validitatem matrimonii inter Evangelinam et Venantium ob probatam ex iure positivo deficientiam veri et interni consensus ex parte ipsius Evangelinae.

Sicuti de iure praescriptum est, vinculi defensor apud S. C. C. appellavit, quae, attentis Theologi ac Canonistae votis in eamdem sententiam concludentibus, atque acceptis Rev. Defensoris vinculi ex officio animadversionibus, die 20 Iulii 1901 mandavit, ut novae fierent inquisitiones iuxta instructionem ab eodem Defensore dandam.

Talis instructio, uti prostat in actis, authentice fuit missa, sub die 18 Nov. 1901, Archiepiscopo Camerinen. qui mandatis huius S. Congreg, sedulo obtemperans processum suppletorium instituit de iis, quae secundum acceptam instructionem potuerunt executioni mandari, et, die ,14 Ianuarii 1902, quid iuridice pro viribus collegerat ad S. C. C remisit.

Istud actorum supplementum eximio Consultori, vices defensoris matrimonii ex officio gerenti, traditum fuit, ut ipse ediceret, an adiuncta et explorata argumenta satis sint adiuvare probationes contra validitatem Matrimonii, de quo agitur. At responsum dedit negativum, imo occasionem nactus alias excogitavit et prodidit obiectiones. Quare die 1 Martii 1902 in comitiis generalibus S. C. C. iterum proposita causa una cum nuperis actibus et animadversionibus, iterum etiam resolutionem differre prudentissime decretum est, ut iuxta mentem nonnullae assertiones et circumstantiae per acta suppletoria iuridice recognoscerentur ac determinarentur; utpote quae maximam lucem propositae quaestioni afferre potissimum valeant.

Archiepiscopus Camerinen. omnia et singula, quae mens S. C. C. reservavit per litteras , 5 Martii a. c, ad apicem examinari praecepit per suae Curiae tribunal ; et dein novissima acta sic iuridice cumulata restituit eidem S. C. una cum instantissimis precibus, ut quantocius « ad pacem et tranquillitatem Oratoribus inducendam, ad ingens et miseris diuturnum scandalum removendum, uec non ad prolis legitimationem providendum, sententia emittatur. Quae quidem rationabiles causae procul dubio, urgentiores iudicantur ab animarum zelo, quo EE. VV. plenissime praeditae sunt; sed cum in iis quae Dei sunt, oportet primum Vos esse; ideo primum apertissime statuere oportet, quod in praesenti matrimonio vinculum coram Deo cum vero et interno consensu revera nunquam ligatum fuerit.

Et ad hoc mihi honorifice commissum est, ut actorum supplementa attente perpendam, ac cum prioribus actis conferant et de resultantibus referam. Cum iam in prima huius causae propositione coram EE. V V. uti Consultor Canonista deputatus votum emiserim, idcirco in praesenti nihil aliud agam, nisi firma stante opinione, quam in ipso consultivo voto tenui, ea adiungam pro veritate argumenta, quibus recensitae probationes confirmari ac defensorum animadversa explanari videntur.

Plurimum deferendum est iuratae depositioni illius, qui metum passus est, praesertim si aliae praesumptiones concurrunt, quae eidem favent. (Pignatelli et S. C. C. in Valentina *Professionis* 1773). Modo Actrix quod iurando deposuerat in actis ad interrog. 2j5, similiter, imo firmius, -confirmat in primis suppletoriis actis; nam appositae iudicis interrogationi : « Con piena mia coscienza rispondo che il matrimonio da me celebrato con Venanzio non fu punto spontaneo e libero, poiché nulla voleva io saperne di lui; lo feci sì esternamente con mio dispiacere e senza mio volere e non liberamente, ma mi indussi a ciò fare spinta dalle gravi minaccie di mio padre, che si era dichiarato più volte di volersi perfino uccidere se io non mi fossi risoluta di impalmarmi con Venanzio. Per isfuggire pertanto tali sinistri e terribili disastri e turbolenze fui indotta a fare ciò che feci ; ma ripeto senza mia volontà e libertà. Ciò ho detto già in precedenza ed oggi pienamente lo riconfermo ». Ergo iterum habetur Actricis iurata Confessio, cui plurimum deferendum est, imo secure credendum ipsam vero ac interno consensu caruisse, si tales coniecturae et adminicula simul iuncta concurrunt, ut moralem certitudinem in iudicem pariant.

In primis Evangelina sui fleti consensus causam in vi et metu a patre, ei inlato, reponit. Hic advertendum arbitror quod in primo voto dixi; « quod Actrix passa sit metus a genitore directe incussum, ut Venantium in virum duceret, ex processu non tam certo eruitur, quam apertissime elucet vim revera adfuisse ne Vincentium diligeret nec praelegeret in ordine ad matrimonium cum eodem ineundum ». Modo non tantum id confirmo, sed amplius audeo dicere ex suppletoriis actis, quod Actrix semper metum passa est directe in ordine ad matrimonium sive ad illud ineundum cum Venantio, sive non ineundum cum Vincentio ; seu melius ; adest in casu iniusta violentia principaliter et directe contra matrimonium cum Vincentio ; itemque adest secundario et directe pro matrimonio cum Venantio •et indirecte contra Vincentium.

Et revera Ioannes suam Evangelinam, filiam unicam et absque matre, importunis et frequentibus suasionibus, obiurgationibus • asperis, minis ac iniuriis divexavit, ne ipsa liberam promissionem cum Vincentio nubendi servaret, nec illum amplius omnino adamaret spe futuri connubii cum eodem. Quod haec fuerit tenax Ioannis voluntas, contra filiae propensionem usque ad infaustum matrimonium cum Venantio, etiam coecutienti clare elucescit. Ergo ex hac parte metus est certo incussus non ad extorquendum, sed ad cohibendum matrimonium cum determinata persona. Ast cohibere vel extorquere matrimonium idem valet ; nam metus cohibens extrinsice voluntatem in electione viri vel sponsae illam libertatem a iure positive requisitam tollit.

Magis magisque comprobatur. Medium principale et efficacius, quod pater Evangelinae excogitavit, fuit per fas et nefas extorquere filiae matrimonium cum Venantio, autumans hoc modo omnem viam praecludere amasio iuveni Vincentio. Cum igitur in casu nostro incutiens metum animo intendit consensum in matrimonium per hoc extorquere, sine ambagibus ipse metus validitati matrimonii maxime officit. Videlicet : sive sermo sit de Vincentio, sive de Venantio, una semper est et eadem Actrix metum patiens, atque unus semper est et idem pater vim inferens ratione matrimonii; unde cum finis ultimus et primarius patris Evangelinae in omnimoda, absoluta et exclusiva prohibitione matrimonii Evangelinae cum iuvene Vincentio sistat, hoc ipsum violentum constituit in hac re ; atqui praecipuum medium consequendi hunc finem fuit extorquere matrimonium Evangelinae cum Venantio ; ergo et hoc ipsum est violentum ; cum a natura finis etiam medii natura determinatur. Idcirco concludendum, quod finis intentus ab inferente metum in casu fuit semper matrimonium non secundum studium et voluntatem filiae, sed secundum proprium propositum et pertinaciam. Doctrina clarissimi Sánchez, quam tradit *De matrim, lib. 4, disput. 12, n. 3 et seq.* plane congruit et convenit in nostro themate. « Solus

enim metus iniuste illatus ad extorquendum Matrimonium, illud dirimit ». Nec gratis asseritur : Ipse Ioannes pater Evangelinae deponit : « Vere violenze non vi sono state, ma che spontaneamente si inducesse a prender Venanzio non lo credo. Fu una risoluzione fatta con ripugnanza, contro suo genio, contro volontà e per timori riverenziali. Vera spontaneità su tale risoluzione non vi fu certamente. Confesso ingenuamente che in mia figlia non ci fu vera libertà di sposare Venanzio; ma fu in gran parte indotta da me a fare il passo ; cercai io tutti i mezzi per scongiurare il matrimonio di Vincenzo, esternai a mia figlia che avrei meglio bramato perdere la vita che dare il consenso ad unirsi con Vincenzo ».

Tamen non omnia *ingenuamente* confitetur, uti infra ex suppletoriis actis oportet referri. Nunc autem pro rei veritate plurimum interest an Pater iuste metum incusserit Evangelinae. Iuxta modum certo iniuste, et forsan iniuste quoque ex propria culpabili negligentia ; nam ipse pater, ac sua addictissima femina Felicia per biennium adolescentem Evangelinam non custoditam nec moderatam reliquerunt, praesertim eo tempore, quo instinctus et passiones valide explicantur et fervent. Sane ; parentes utique non sunt, neque debent haberi quasi personae extraneae in negotiis matrimonialibus filiorum ; ast parentes nequeunt filios cogere aut impedire ad contrahendum matrimonium cum his vel illis: nec filii, salva ratione pietatis, charitatis, aut grati animi, tenentur obedire ratione praecepti parentum. Verumtamen non est hic quaestio de honestate, et liceitate, sed de valore consensus emissi cum omnimoda libertate, quae a iure positivo praescribitur. Indubium est, quod filii valent matrimonium inire invitis ac inconsultis parentibus ; imo de fide est hoc matrimonium esse validum; quia Sacra Synodus Tridentina *Sess. 24, cap. 1, de ref or. matr.* anathemate damnat eos, qui « falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere

posse ». Equidem Ecclesia sola hoc matrimonium, parentibus rationabiliter invitis, irritum reddere potestatem haberet, sed neminem latet Concilium Trid. hoc postulatum oratorum Regis Galliae admittere renuisse.

Evangelinae Pater, his non obstantibus, quam iustam causam vetandi matrimonium filiae cum Vincentio affert? Profecto, si vera iurando dixerit, indignam prorsus in casu et irrationabilem ; nam propriam abominationem sive odium in domum Vincentii quis audeat aestimare honestam esse causam et aequam *i* Pater fatetur « ingenuamente, mai ho veduto di buon, occhio la famiglia di Vincenzo, e ne ho avuto sempre grande antipatia ». Et: « per antipatia verso Vincenzo », coram protestate est filiae, potius mori quam vocari socerum illius. Si quas alias causas Felicia, (equidem testis omnium instructissima, ast non cohaerens sibi), protulit, ipsae statim ex sola recensita abominatone diluuntur. Praeterea Vincentius nec valde erat « di condizione disuguale » nec « di carattere non buono », ut asserit Felicia. Non agitur hic de nobilitate sanguinis, sed de familiis oppidanis licet bona ad vitam possideritibus. Et si Venantius pharmacopola inhiare poterat dotem Evangelinae, cur non poterat Vincentius? Tamen nec iste tam pauper debet supponi, cum voluntariae militiae ad annum Neapolim propriis sumptibus se addixit, cuiusque patruus est Ioseph ex amplissimo Archiepiscopi testimonio vir moribus exemplaris et divitiis affluens.

Dein nemo praesumitur maius, nisi probetur. Modo Vincentius inuritur nota « di carattere non buono », quia praesertim testis una narravit : « Ho udito poi che l'Evangelina... dopo il matrimonio civile fatto con Vincenzo si è trovata... non amata punto dal medesimo, anzi da questi assai maltrattata, e disprezzata da tutti, persino dalla nonna di lui che mai ha potuto vederla di buon occhio ». Dicterium hoc, praeter quaesitum more femineo adauctum, ad rem nil probare videtur. Unica ergo et iniusta remanet causa enuntiatum matrimonium vetandi , uti arbitror ,

nempe odium patris Puellae adversus Vincentium eiusque genus.

De cetero, filiam liberam esse, ut etiam ante vigesimum quintum annum nubat indigno sine patris consensu ; ne alias libertas matrimonii impediatur, deturque ansa fornicandi (Ioan. Lup. cit. apud Sánchez *lib. 4, disp. 23, n. 10).* Nunc, supposita indignitate, quae in casu exactis difficile probanda foret, Evangelinae pater iniuste in filiam vim tulit ; etenim post biennium ab incoepta adamatione resciverat, quod Evangelina vehementer amore capta erga Vincentium, non solum animum sed etiam corpus ultro illi tradidisset. Ipsa Actrix virginitatem amisisse confitetur ante celebrationem matrimonii cum Venantio. « Dapoichè Venanzio si introdusse entro il mio corpo, e dopo tre o quattro minuti circa si allontanò da me soddisfatto, sebbene alquanto inquieto per non avermi trovata vergine ». Ipse Venantius ante primum coniugale officium idem detexit : « Rilevai che la sposa era deflorata avendo trovato il collo dell'utero assai dilatato e rotto l'imene ». Et a quo tempore hoc factum male ? Absque dubio infra id temporis quo Evangelina exivit a Monasterio et in Monasterium secunda vice rediit. Pater id aperte innuit : « Seppi che Evangelina continuava con tutta indifferenza e mia insaputa le relazioni frequenti con Vincenzo ». « Vincenzo amoreggiava e trattava la mia figlia, a scopo di assolutamente sposarla ad ogni modo,— Evangelina corrispondeva a Vincenzo ». Testis ab intimis Felicia, cui munus erat vigilare Evangelinam, eiusque non recte facta patri ex charitate et iustitia referre, absque rubore ait : « Le relazioni di Evangelina con Vincenzo ebbero principio nell'anno 1894 e durarono, con qualche interruzione, per circa 2 anni____Le trattative e le relazioni di Evangelina con Vincenzo erano occulte » : profecto non sibi instructissimae, sed genitori negotiis praepedito. Sicque eadem officiosa testis hanc miseram relationem cum Vincentio pro motivo adduxit Evangelinae ad eligendum prae ceteris sponsum Venantium : « Io

crederei che sia meglio Venanzio, che Giuseppe, anche per la ragione che dopo la divulgazione di certe voci malevole (?) per le pratiche avute con Vincenzo, Giuseppe mai più si è presentato ». Ergo gravis culpa fuit genitori, huiusque amatissimae mulieri Feliciae, si haec biennalis consuetudo valde intima evaserit ; et ideo post factum impedire vi vel metu matrimonium idem valet ac auferre libertatem, et ansam dare fornicandi ; quod certo iniustum est.

Insuper, perspecta patris ac filiae indole, metus in casu fuit relative gravior ; nam ingenium genitoris describitur in actis uti in universim forte et tenax, et ab ipsa huius causae historia comprobatur; ingenium vero Evangelinae suavitate et docilitate fere a cunctis testibus laudibus usque extollitur. Unum est 'crnod eam dedecet; nempe firma voluntas nubendi Vincentio, invito Patre ; ac per hoc a praesignata teste Felicia dicitur mutatam esse in non bonam, in non mitem, in inobedientem. Certo Evangelina, nil remittens de sua indole, a solo Vincentio amatore praeventa, libertatem suae inclinationes tuetur, reliquis autem cuiuscumque gradus et conditionis eam in uxorem petentibus valedicendo. Quid mirum? Adolescentiae quamvis inermes ac debiles solo amore sunt ipsa morte fortiores, nec ab ipsa amore divelli a nemine patiuntur.

Exemplum praebet ipsa Evangelina, quae primam cupiditatem suam erga Vincentium numquam dimisit, aut extinguere tentavit, sed potius strenue fovit, constanterque servavit. Quamvis enim Felicia dicat eodem sensu quo suus herus, quod Evangelina reclusionem in monasterio Pollentiae sponte sua optaverit et proposuerit ; quamvis hoc idem testetur a venerabili sorore Z. uti acceptum ab ipsa Felicia; tamen contra est Evangelinae depositio, eiusque callida et opportuna intentio : « Mi trovavo in monastero *mandatavi* da mio padre come in luogo sicuro, per farmi dimenticare l'affezione per Vincenzo e per allontanarmi dalle pratiche con lui ». Incassum provisum! Soror Maria T. percontata a iudice an « La Signora Evangelina nel tempo

che si trattava Venanzio serbava ancora amore ed affetto per il Sig. Vincenzo ? » *R.* Mi costa che continuavano in Evangelina le affezioni verso il Sig. Vincenzo, e questi segretamente continuava a corrispondere». Simili interrogationi reposuit sic quaedam Adelaides : « Ritengo che Evangelina... continuasse ad avere affetto e simpatia verso il Sig. Vincenzo », et suum sensum esse verum arguit narrando quoddam factum; nempe Evangelina in aede rurali brevis recreationis causa extra monasterium photographicam imaginem Vincentii casu vidit ; et statim palluit et commota est; videlicet: « cangiò di colore ed impallidì... mi palesò di essersi sentita venir meno nel vedere il ritratto del Sig. Vincenzo ». Quid amplius de continuata dilectione inter Evangelinam et Vincentium si ipse Evangelinae pater et eius Felicia ad eorum ignominiam eam recognoscunt ? « Riguardo poi alle relazioni di Vincenzo con mia figlia » instaurata iam matrimoniali tractatione cum Venantio, « dubito fortemente ed ho convincimenti che le affezioni perdurassero ancora ». Sane, ille non dubitat, qui est convictus et tanto magis convictum se praebet genitor, quanto magis conatus est filiae propensioni ac voluntati vim inferre. Nec obstat Evangelinam laetantem ad monasterium reditum fecisse ; nam primo a saevitiis et increpationibus se abducebat, secundo quia Vincentius etiam a patria fere eodem tempore discedere oportebat militiae causa: dein quia propriae voluntatis dominium habens vitam inter venerabiles Sorores securam et quietam ducere poterat, donec a tempore consilium caperet. Ipse Evangelinae pater haec omnia fortasse intellexerit, cum ait: « In proposito aggiungo che anche Vincenzo poco dopo che condussi mia figlia in monastero, partì per Napoli per fare l'anno di volontariato ».

Et infra id tempus Evangelina « continuava ad avere tutto l'affetto verso Vincenzo, e dalla domestica di mio Padre seppi che lo stesso per ben due volte era salito a Poilenza per potermi vedere e parlare ». Ista renuntiatio facta Evangelinae ab instructissima Felicia, seclusa intentione,

fuit inopportuna, sed vera videtur. Admod. Rev. M. in secundis suppletoriis sic suam depositionem adauget: « Avrei un altro fatto da narrare in proposito, ed è questo: durante il tempo che Evangelina si trovava in Monastero qui in Pollenza un certo Vincenzo, col quale oggi si è unita civilmente è venuto a Pollenza cercando il modo di poter comunicare con Evangelina, asserendo ad un suo amico di essersi giurata eterna fede con la medesima, e che assolutamente si sarebbero sposati ad onta delle contrarietà del padre e delle opposizioni, che di continuo le si facevano ». Uno verbo, adamatio Evangelinae nunquam fuit discreta, et producta fuit ad connubium usque civile cum Vincentio. Audiatur ipse Venantius : « ci portammo a Camerino..... Rimanemmo in mia casa di Camerino interpolatamente per sei o sette giorni. In questo frattempo seppi non solo, ma constatai che Evangelina continuava le sue affezioni per Vincenzo ». Quid amplius? Ergo Evangelina interne propriam voluntatem inconcussam servavit, etsi externe vim a patre passa sit. Quod enim aliquis non diligit facile contemnit, ait Sánchez.

Superfluum puto alias rationes et coniecturas, quae supersunt in processu et suppletoriis actis, afferre, et abundantius pateat adfuisse in casu metum gravem iniuste et ab extrinseco incussum in ordine ad matrimonium Evangelinae cum Vincentio cohibendum.

Sed et directe adest vis iniusta in extorquendi) consensum matrimonii cum Venantio. Hoc sufficienter per vota Theologi et Canonistae ex factis, circumstantiis et probationibus resultat absque rationabili dubio ; nihilominus melius est abundare quam deficere.

Esto quod Maria Z. testatur : « Ho ritenuto e ritengo il matrimonio di Evangelina con Venanzio sia stato di pura riflessione di contento no certamente » ; nam illa verba « pura riflessione » congruunt cum illis Evangelinae patris: « Fu una risoluzione fatta *con ripugnanza, contro suo'genio, contro sua volontà* ». Quod idem est externe et co-

acte, non veraciter et interne. Eidem Feliciae, quae in hac causa de rebus omnibus et de quibusdam aliis instructissima eminet, matrimonium Venantii ex parte Evangelinae inexplicabile, sive arcanum quoddam, apparet. « Ritengo che Evangelina non fece il matrimonio con Venanzio con vero affetto ed amore, e si indusse a prenderlo *non mi saprei spiegare il motivo* ». Misella femina! Quod nescis modo interpretare, est illud ipsum quod intus et in cute cognoscis et intendis, aeque ac viro tuo et tibi merito imputatur; idest, uti dixisti, patris Evangelinae absoluta voluntas excludendi matrimonium cum Vincentio : « meno che non avesse sposato Vincenzo, pel quale matrimonio il Signor Giovanni era contrarissimo ». Inde violentia quoque in voluntatem Evangelinae directe inlata ad extorquendum matrimonium cum Venantio.

Et revera, acta suppletoria validas probationes a Consultoribus iam editas adiuvant in proposito.

Huic depositioni convenit depositio Iosephi C, quae exstat in primis actis suppletoriis. Iste C. diffusiore calamo tenacique memoria instructus, quidquid egerat pater in Evangelinam per singula refert. De hoc validissimo testimonio Archiepiscopus Camerinensis iuxta mandatum S. C. C. scribit litteris 23 Maii a. c. « De Iosepho C, non dubito declarare ipsum virum esse catholicum, ecclesiam et sacramenta frequentare, summae honestatis et bonorum morum exemplar in patria, divitiis affluentem, et nullum, de veracitate dubium ingerere ». ..Atqui praelaudatus testis ad tertium quaesitum concludit: « La mia impressione fu ed è stata sempre fin qui la medesima,^ ossia che questo matrimonio ha avuto luogo non spontaneamente, non liberamente, ma unicamente sotto l'impulso di forti e gravi violenze e perciò ho ritenuto, e per parte mia positivamente ritengo che questo matrimonio sia assolutamente nullo ». Et ipse scit, quia vera dicit ; nam ex hac firma certitudine motus, postquam Evangelina a maritali et paterna domo aufugerat, Ioannem patrem a violentiis tandem desistere persuasit,

eumque ad maiora mala et scandala evitanda consensum emittere pro matrimonio civili cum Vincentio consuluit, certa fide negotium infaustum componendi quamprimum coram Ecclesia. Laudabiliter consultum! Etenim sic stante Evangelinae et Vincentii consuetudine publicum fornicationis scandalum augebatur, nec ulla aderat spes verum ac liberum instaurandi consensum cum Venantio, ideoque vir prudens C. non suasit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris, quod et quandoque ex propria opinione et ex canonistae consultu eliminari posse credebat per legitimum iudicium. Quod non imrnerito et ipsa Evangelina indicare voluit contra ligamen, seu contra individuam vitae consuetudinem, quando externe tantum emisit consensum, cum deposuerit: « Alla domanda dell'incaricato predetto Sacerdote a benedire il mio matrimonio risposi affermativamente, sebbene *internamente aveva tuttaltra volontà,* nè avvertii punto al legame che io andava a contrarre___ e pensai che *avrei pot ut) in seguito esser libera egualmente per sposarmi con Vincenzo* ». Atqui consensus matrimonialis est actus voluntatis vere assentientis alteri parti circa ius in corpus, in ordine ad prolem, *perpetuum,, exclusivum,* et sacrum. Ergo.

Verumtamen in supradicto Iosephi C. testimonio quoddam factum invenitur assertum quoad substantiam veritatis, ast non precise quoad locum et tempus. Actrix ipsa factum affirmat et purificat respondendo huic iudicis quaesito : « *D.* Ricorda tra i fatti truci usatile dal suo padre quello di averle un dì messe le mani nel collo e di averla talmente stretta e contorta che ebbe a risentirne lungo tempo ? » *R.* « Ricordo questo fatto e ricordo essere questo accaduto in mia casa prima che per la seconda volta tornassi in monastero a Pollenza ». Et ita fuisse annuit memoria Sor. Adelaidis G. « Ricordo che nella seconda volta in cui venne in Monastero (Evangelina), si trovava alquanto gonfia e contorta al collo ». Hinc fama istiusmodi inlatae saevitiae inter et extra claustra invaluit indeterminate quoad

tempus. Sic Rev. Matildes G. « appresi che il padre usava delle violenze... come pure udii che aveva stretto fortemente al collo Evangelina, ma essa per essere assai prudente mai si esternò con me ». Et uti superius repetit Rev. C. Ergo testimonium Iosephi O. substantialiter verum est, imo et eadem Evangelina in tertia coram iudice comparitione veracem in omnibus esse iurando declarat; nam interrogata « se ciò che da questi era stato asserito fosse vero, ha risposto esser tutto vero ».

Praeterea sit concessum quod genitor non scripsisset filiae « che esso si sarebbe ucciso, se essa non si fosse decisa a sposare Venanzio ». Vel quod coram in os M. Angelicae T. superiorissae, « che se non si fosse sposata a Venanzio avrebbe commesso delle stravaganze ». Sed nemo inficiari potest, quod istiusmodi accusationum ipsa solertissima Felicia auctor fuerit, quae tamen de auditis admodum obliviosa apparere non erubescit: ac solum de ab ipsa relatis memor est. « Solo ricordo, e questo posso asserirlo coscienziosamente e con tutta sicurezza, cioè che dissi alla Reverenda M. Direttrice (et hoc non exacte, sed Superiorissae) e forse anche ad Evangelina, esser il Signor Giovanni talmente disgustato per le relazioni di Evangelina con Vincenzo, che ove avesse persistito nelle idee di assolutamente sposarlo egli avrebbe preferito di uccidere sua figlia e di uccidersi sopra di essa anziché ricordare tale unione ». Nonne hoc ad extorquendum matrimonio cum Venantio? Testis Felicia, Venantii nomen in suo testimonio reticet, cum aliunde Soror directrix G. refert in Actis. « Più volte ho inteso in questa Comunità, e particolarmente dalla Madre Vicaria che la domestica Nice pronunciasse queste parole, cioè che il Signor Giovanni si sarebbe indotto ad uccidersi dietro una ripulsa di sua figlia per Venanzio come pure ho udito dire che la Nice dicesse esser meglio che si sacrificasse la figlia Evangelina, che il padre di essa. A me direttamente nulla è stato narrato di tutto questo ». Directe vero Rev. Abbatissae, ut est in Actis et citatur in voto Canonistae.

Ergo nulla adest discrepantia inter depositionem Iosephi C. et depositionibus editis a sanctimonialibus in priori processu. Istae exploratae a iudice, an immediate ab oré Ioannis audierint, vel in eiusdem epistolis legerint praedictas minas, utique respondent: « Nulla ho inteso nè letto di tutto questo ». Vel « Non ricordo alcuna cosa in proposito ». Attamen affirmant et confirmant, easdem minas ab instructissima Felicia relatas et magnifica tas esse. Occurrit heic opportune dicere : quando famula loquitur, herus locutus est. De cetero, nonne pater filiam non satis firmae valetudinis in lectu decumbentem adierit, et intra cubiculum solus cum sola minas graviores et obiurgationes multas illi exprobraverit ? Nonne et se interimi aut illam interimere minaciter repetere poterat, sicut et alibi in actis coram multis dixisse perhibetur? Procul dubio lacrimae, querelae, pavores, taedia, de quibus Sanctimoniales oculate testantur vidisse et audivisse in Evangelina post accessum et colloquium patris minarum gravitatem ad extorquendum matrimonium cum Venantio non temere subaudire permittunt. En quid sub iterato iuramento dicit Evangelina: « In tale circostanza io non ebbi percosse od atti esteriori da lui, ma però mi fece molti e forti rimproveri, mi fece delle minaccie a me dispiacentissime, e tutto ciò allo scopo di indurmi a promettergli di sposare Venanzio. Uscito mio padre dalla mia camera accedette Suor Maria Angelica, Abbadessa della comunità; ed io appena la vidi proruppi in un gran pianto e raccomandai vivamente alla medesima di non farmi mai più trovar sola ».

Utinam, EE. PP., nec combustae nec dilaceratae aut reperditae fuissent litterae inter patrem et filiam, inter istos et Venantium ac Vincentium ! Nihilominus ex contestibus in actis aliquid certum pro veritate comperi potest. Et revera, Actrix in primis suppletoriis deponit varias accepisse sui genitoris minaces litteras, quibus ab eo urgebafur ad nubendum Venantio, et affirmat quod ipsa contra patris vota semper responderit, et tantummodo una vice suaviori

modo: « con termini lusinghieri ». Sed hac vice non proprio ingenio, nec proprio stilo, potius secundum exemplar a Directrice redactum. Ni fallor, Evangelina non mentitur; nam testis Directrix ad hoc exquisita, dicit : « Una volta scrissi una minuta pel suo padre relativa alla richiesta fatta dal Sig. Venanzio : lettera che feci a richiesta di Evangelina, di cui presso a poco il contenuto in genere era quale si addice ad una vera figliuola timorata di Dio, rispettosa verso il padre suo, e rivestita di sentimenti di vera educazione. Circa la vera esistenza di questa minuta non la ricordo proprio bene... Solo ripeto che della lettera scritta al padre non ricordo se abbia o no fatto io la minuta ». Miror quomodo Venerabilis Soror Directrix categorice dicat : « Una volta scrissi una minuta ecc. », et postea dubitet an revera scripsisset. Infelici memoriae occurrit testis Rev. Mater M. Amata, quae interrogata: « Ha avuto mai occasione di leggere o di vedere gli scritti dell'Evangelina? » Respondit : « Ricordo che Evangelina 'quando partì per andare ad isposare mi consegnò alcuni oggetti; e mi pregò di raccogliere tutte le cosette sue. In questa circostanza io potei leggere una o due lettere, ma di una diretta al padre mi ricordo assai bene ». Iudicis instantiae, an ipsam litteram signis et manu Evangelinae, vel alterius personae scriptam cognoverat, respondit : « Mi sembra, anzi ho certezza che fosse una minuta scritta dalla Direttrice M. Adelaide ». Et in ista exemplari littera idipsum legerat quod superius eadem M. Directrix generaliter refert, et fere concordat cum depositione Leopoldi T. Ergo Evangelina una vice suaviori modo epistolam patri misit, ast sub dictatu alieno ; et ideo ipsa protestato iudici : « Confermo solo che trascrissi il contenuto della lettera, ma non erano affetti sinceri del mio cuore, nè risoluzioni della mia volontà vera ».

Mirari quis potest, quod Religiosa talem epistolam scripsisset, cum in depositione facta in priori processu obtestatur : « Ho ritenuto che Evangelina si inducesse a sposare

Venanzio contro sua volontà, e unicamente per appagare i voleri e i desiderii del padre... Ho ritenuto sempre che fosse stato un matrimonio infelice, perchè fatto senza affezione e per forza » ; et visu observavit quod Evangelina Monasterium egrediens accessura ad matrimonium cum Venantio : « Era accorata e afflitta e mostrava di dovere piuttosto andare alla morte anziché alle nozze ». Ast nil mirum arbitror, si officio Rev. Religiosae Directricis mentem advertimus ; ipsa enim ad erudiendas pietate, litteris et Gomitate puellas praeposita, non minus ac Parochus et Confessarius, necesse habuit prudenter suadere filiis familias, ut parentum morem gerant. Et quid? An non fortasse Religiosa Directrix ad scriptionem tantae officiosae (Epistolae incitata et propulsata sit a matertera Felicia? Haec cum operam perdere vidisset suadendo Evangelinae matrimonium cum Venantio, ait: « Veduta tale renuenza io prima di partire parlai con le Monache, e specialmente colla Sign. Direttrice, raccomandandole di procurare di parlare in proposito con Evangelina, e persuaderla a distogliersi da Vincenzo, e indursi a sposare Venanzio... Raccomandai alle monache di fare avere una risposta decisiva al padre ». Maxime probabile quod Directrix oratricem pro domo sua Feliciam sit prosequuta, cum Fjvangelina in primis actis, postquam Abbatissae, eiusque Vicariae contra iniustum et irrationabile parentis propositum hortamenta fortiter sistendi in sua voluntate accepisse dixerit, subiungit : « La Maestra era tutta propensa e favorevole a consigliarmi di sposare Venanzio,., incaricata da mio padre a persuadermi di sposare Venanzio. Tutto io sapevo molto bene, e per i discorsi che il babbo faceva colla Maestra e per le continue corrispondenze epistolari che intercedevano ». Et re vera pater confessus est : « In proposito scrissi anche una lunga lettera alla Reverenda Suor Maria Adelaide esternandole tutto il mio interno:... e concludeva dicendo di cercar modo di persuadere mia figlia, affinchè si......fosse indotta a sposare Venanzio ».

Praeterque id confirmatur. Evangelina unam tantum scripsit epistolam Venantio, et hanc ipsam iuxta exemplar absque dubio redactum a Directrice, quae in secundis actis suppletoriis exponit : « Quello che ricordo con precisione è che io pregata dall'Evangelina ed udito il parere del Con-' fessore ordinario del monastero, già defunto, P. Alfonso, feci la minuta, che non più conservo, alla prima lettera di domanda fatta dal Sig. Venanzio. Non ricordo il contenuto ma detta lettera era brevissima; in specie solo ricordo che il richiedente Venanzio si fosse rivolto e posto d'intesa col padre di Evangelina ». Concordat ergo Evangelinae depositio in secundis suppletoriis. « Ricordo molto bene che le lettere da me spedite a mio padre Giovanni relative alle trattative e alla richiesta fattami da Venanzio furono due e tutte due furonmi minutate dalla Signora Adelaide Direttrice dell'Istituto in Pollenza ».

Neque dubitandum de prudentia et scientia Poenitentiarii, cuius consilium ut se deliberaret Evangelina expostulavit, quique sagacior nequit se haberi in similibus respondendo, sicuti respondisse sibi refert Actrix : « Mi rispose che ove io avessi potuto non avessi fatto questo matrimonio, ma tuttavia ove non avessi io potuto persuadere mio padre non lo avessi disgustato ». Quod ergo testis una Maria G. audivisse refert, perfracte negatur ab ipsa Evangelina. Sane, Maria G. ait: « Dico ora per conto mio che la Evangelina fu assai indifferente nel trattare 'col suo fidanzato... Aggiungo che essendo stata in proposito interpellata dalla Reverenda Madre Abbadessa, dietro i dubbi della Signora Luigia M. se era o no contenta di sposarsi con Venanzio, l'Evangelina rispose che aveva comunicato col Confessore, che al presente solo amava Venanzio, e che questo lo giurava innanzi a Dio ». Responsio haec, ut constat, fuit directa interpellationi Matris Superiorissae. Quomodo ergo ista Superiorissa potuerit affirmare : « Il Sig. Venanzio mi interpellò in proposito, ed io risposi che non aveva alcuna volontà di unirsi con lui? » Est ne verosi-

milis interpellatio facta ab Abbatissa, cum ipsa deposuerit : « Nelle visite che il Sig. Venanzio fece ad Evangelina in questo Monastero, sono in grado di potere con tutta certezza asserire che mai fu ben accolto, e ricordo bene che Evangelina mi disse queste testuali parole : *io non lo voglio* ma temo di esser costretta a sacrificarmi perchè mio padre vuole che lo prenda » ? Fortasse haec ultima verba male intellexit vel interpretavit vulgaris mulier, Venantii nutrix, et una cum alia teste in hac tractatione proxeneta. Quinimo Evangelina, subiungit Abbatissa: « si confidò schiettamente con me, e mi espose che essa non si trovava punto contenta di unirsi con Venanzio ». Unde in primis suppletoriis actis Actrix cathegorice contradicit testi Mariae et rationem reddit : « Certo che io nulla dissi di tutto questo nè potevo dirlo perchè comunicai col confessore molto tempo dopo ed in occasione della mia confessione generale che terminai la mattina stessa, in cui fatta la Comunione partii per contrarre il matrimonio ». Testimonium igitur Mariae causam Evangelinae prorsus non impedit, cum aliunde plurimae sint aliae probationes et coniecturae, quibus deficientia veri et interni consensus plene et adaequate demonstratur.

Denique talis debet esse consensus in matrimonio, qualis a iure canonico requiritur ; videlicet verus et mutuus, verbis vel aliquo signo externo de praesenti expressus, et omnino liber et immunis a metu gravi iniuste a causa libera ad hoc incusso. Modo optio, quam pater concessit Evangelinae, quemlibet eligendi sponsum paris conditionis, sed taxative et nominatim excluso Vincentio, est contra privi legiatissimam libertatem in matrimonio ineundo requisitam : « quia illa libertas non est plena, sed respectiva, quae ad matrimonii valorem minime sufficit ; omnis enim consensus quovis modo extortus, est liber respective, cum potius voluntas eligat illud matrimonium, quam pati malum comminatum ». Sánchez, *lib. IV, disp, 12, n. 20.* Et hoc adamussim in casu praesenti adimpletur ; quodque cuique

datum est passim, passim in actis illico deprehendere. Obstinate irrationalis et iniusta ex una parte auctoritatem habente, ac immobilis et firma voluntas servandi electionis libertatem ex alia parte auctoritatem subeunte, certissime non favet libero et vero matrimonio : « Cum enim, (ait Sánchez, *lib. IV, disp. VII, n.* 7), ex una parte importunitas cuiuscumque sic valde urgeat, ne dicam, vexet et opprimât, et ex altera parte reverentia personae petentis debita, pusillanimem, ac timidum, nec audentem contradicere, rogatum reddat, merito ac iure optimo utraque metuendi causa coniuncta, prudentem ac constantem coget, ipsiusque consensum extorquebit ». Praecisius huic praesenti causae quam aliae talis doctrina nescio an possit convenire. Pater enim statim cum resciverit Bvangelinam adamare Vincentium in ordine ad matrimonium, minas, saevitias, importunas preces, terrores irrationabiliter et continuate adhibuit, ita ut filiam unicam et genitrice orbatam aperte pusillanimem, nec audentem verbis contradicere reddiderit. Haec ratio cur aliquae in actis occurrunt simulationes, restrictiones mentales sive amphibologiae : imo haec et non alia magni mendacii causa existit coram in Ecclesia.

Profecto non tantum quaestio istituitur, an Evangelina consensum verbis de praesenti emiserit ; sed potius an verba prolata adaequant voluntatem, quae est facultas interna. Mendacium est locutio contra mentem et mendacium non desinit esse tale, quia locutio contra mentem claris et rotundis verbis prolata sit. Itaque semper supponi potest, Evangelinam mentitam esse, quamvis pater Hilarius et Helena M. aestiment ipsos illius consensum claris et altis verbis coram parochi vicesgerente expressum audivisse. Pulchrum tamen est videre Hilarium, testem supradictum, iudici respondentem : « Conobbi che lo sposo era lieto, allegro e contento di essersi sposato con Evangelina, ma. essa rimase sempre fredda, taciturna ed assai mesta ». Convenit ne consequentia ista cum illo « *sì* chiaro » quod illico et immediate audierat?

Non verborum sonum, sed loquentis mentem ex antecedentibus et concomitantibus attendendum, ne iudicandi temere adsit periculum ; quare eloquentissime reliqui testes consensum Evangelinae verbis expressum ex loquendi modo ac circumstantiis evidentibus mendacem esse testantur. Nec illos nominatim iterum recensere puto, ne longiori sermono repetam quod in priori voto luculentius ad rem exposui. Attamen confirmatur ex secuudis suppletoriis Evangelinam non ad instar sponsae ad nuptias processisse, sed quasi vidua ad funus. Soror M. Mathildes iurat, quod : « II- giorno innanzi dello sposalizio venuto il padre colla sua serva a prendere Evangelina per condurla con sè, Evangelina saputo l'arrivo del padre fu presa da grande convulso di pianto, e dovemmo noi penare assai per calmarla. Interrogata del perchè piangesse e tanto si contristasse rispose : - Sono infelice perchè non ho più la mia povera madre ». Lamentationes et fletus Evangelinae ob animi molestias narrat quoque Soror M. Amata: « Erano precisamente gli ultimi giorni in cui doveva sposarsi con Venanzio____Mi accorsi che si trovava molto agitata e turbata, e poco dopo proruppe in pianto dicendomi che avrebbe voluto ed avuto necessità di aprirmi tutto l'animo suo, ma non potea farlo temendo di dovermi un giorno compromettere ». Et biduo circiter ante nuptias dum eadem testis massas et dulciaria crustula pro nuptiali laetitia conficeret, initiales sponsorum litteras in eis innexuit ac Evangelinae ostendit, nempe : « Io precisamente stavo tracciando in una pasta le lettere iniziali degli sposi. In questo frattempo, stando ivi presente Evangelina, furono ad essa presentate le paste e veduto intrecciato il nome suo con quello dello sposo proruppe in un pianto, e disse un'espressione che io non ricordo ». Equidem non laetantis animi dulces lacrimae, sed tristitiae amariora signa. Quapropter congruum est cum Rev. Parocho M. et hac vice concludere, matrimonium in casu conclusum fuisse ac celebratum « de plenitudine.....potestatis»: ac ideo

una cum eodem parocho: « Ho ritenuto e ritengo che nel foro interno il matrimonio sia invalido ».

De cetero Venantius nimis ignorantia supina laborans, dotem et non virginem inhiabat, nam certo suspicio aliqua in eo exurgeret, si ad minimum ad vulgatam Evangelinae cum Vincentio intimam consuetudinem attenderet. Potius Evangelina, quae arcanum non fecerat de amissa sui corporis integritate, si ob id vexata fuisset a Venantio, festinantius eo aufugisset, quo postea de facto aufugit; nam trahit semper sua quemque voluptas. Hoc unum verum est: Venantius post secundam debiti denegationem corpus Evangelinae impudenter manibus et oculis exploravit, iudicavitque eam non esse adhuc virginem: et tamen contra assensum et inclinationem Evangelinae idem Venantius praepotenti actum coniugale complevit. Ideo maxime indulgens fuisset, si Evangelina eum aliquantulum diligeret, et continuata abominationis signa in eum non emitteret.

Ex iis, quae retuli, adeo Evangelinae aversio post matrimonium manifestatur, ut non indigeant probationibus, quibus quoad hanc partem coadiuventur. Quare perfectior et cumulatior inquisitio ab S. C. C. institui nequit, simulque puto ex animo omnia plus satis constare ut prudentissimum denique feratur iudicium.

Magni sacramenti dignitas ac sanctitas ex providentissima Ecclesiae intentione non tantum in facto esse, quam etiam in fieri tueri oportet. Modo tale huius infausti matrimonii apud incolas qualiscumque conditionis Camerini, Seppii, Pollentiae et Nuceriae invaluit iudicium, ut indignum et invalidum sine ambagibus illud retinent. Vox populi, vox Dei, ac ideo et ego iterum atque iterum perpensis attente actis primis et suppletoriis ac ponderatis obiectionibus, quas peritissimi et pereximii vinculi Defensores pro omnimoda iudicii securitate proposuere, libentiori animo ac maiori convinctione quam in primo voto concludendum aestimo: Matrimonium in themate tutissime posse declarari irritum ac nullum ob defectum plenae libertatis ac in-

terni verique consensus ex parte mulieris; ac per consequens confirmandam esse sententiam ab Ordinario Camerinen. latam.

Quibus animadversis suppositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Archiepiscopalis Camerinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO S. C. Concilii re discussa sub die 16 Augusti 1902 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

WRATISLAVIEN.

SATISFACTIONIS ONERUM MISSARUM

Die 6 Septembris 1902.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Georgius Cardinalis Kopp, Princeps Episcopus Wratislaviensis, haec humillime exponit: « Die 23 Septembris 1895 S. Congr. Concilii ad dubium Emi Archiepiscopi Coloniensis: - Utrum, quando missae fundatae transmittuntur ad Curiam Archiepiscopalem, praeter stipendia missarum transmitti etiam debeant portiones ex reditibus fundationum assignatae fabricis, ecclesiae ministris, sacristis, organistis etc. in missis can tandis vel etiam legendis aliquo modo cooperantibus, vel potius eisdem relinqui »; respondit: « portionem fabricis ecclesiarum legitime assignatam ipsis posse remanere ».

« Cum dein Rmus Episcopus Hildesiensis sub die 1 Octobris 1895 supplicasset, ut pro aedituis quoque ceterisque ministris portio posset retineri, S. Congr. Concilii die 21 Ianuarii 1896 respondit: - Pro missis *lectis* retineri posse favore ministrorum et ecclesiae inservientium eam redituum portionem, quae in limine fundationis vel alio legitimo modo

ipsis assignata fuit, independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplemento.

« Quod ultimum rescriptum etiam fundationibus Archidioecesis Colonien., quippe in qua eaedem rationes valerent, applicari posse eadem S. Congregatio sub die 8 Augusti 1896 benigne indulsit.

« Porro eaedem prorsus rationes pro fundationibus dioecesis "Wratislavien. valent *et accedit,* quod portiones ex missis fundatis tam legendis quam cantandis sacristis et praesertim organistis competentes a Regio Gubernio plerumque (ni semper) ut pars salarii dictis personis competentis numerantur, ita ut, quando parochus impeditus quominus fundationes in propria parochia persolvat, simul cum missis totum stipendium, i. e. omnes reditus respectivae fundationis transmittere deberet, portiones sacristis organistis aliisque personis assignatas iisdem ex propriis cum proprio damno retituere cogeretur.

« Hinc humillime petere audeo, ut : Parochi impediti quominus missas fundatas tam legendas quam cantandas in propria parochia persolvant, solum eam portionem reddituum ad Curiam Episcopalem transmittere debeant, quae ipsis tamquam fundationem persolventibus competit, portiones vero tam ecclesiis quam organistis, aedituis aliis personis aliquo modo cooperantibus, pauperibusque assignatas pro iisdem retinere possint ».

Ad has litteras Emi Episcopi repositum tuita S.C.C, sub die 24 Martii 1902 « videri, rescripta diei 23 Septembris 1895 Archiepiscopo Coloniensi et diei 1 Octobris eiusdem anni Episcopo Hildesiensi concessa eatenus extendi non posse ut ex reditibus fundationum detrahatur stipendium pro opere quod minime praestatur. Retinendum enim est in casu exposito stipendium persolvi debere a parochis qui forsan Missas fundationum minime celebrant eo quod abunde pinguiores habent eleemosynas ».

Emus Episcopus haec reposuit : « Porro exposui in supplici libello citato easdem prorsus rationes a Rmis Antisti-

tibus Coloniensi et Hildesiensi pro suis respectivis dioecesibus allatus valere eodem modo pro dioecesi "Wratislaviensi. Permittant quaeso Emi Patres, ut eas in succo repetam ; et quidem.

« 1° Fundatores, qui in stabiliendis legatis piis certos reditus ecclesiis assignarunt, certo certius liberalitate sua ecclesiis suis, non alienis, subvenire intenderunt. Hinc haec portio fabricis quasi ex titulo iustitiae competere videtur.

« 2° Ecclesiarum benefactores fundationibus suis etiam sustentationi ministrorum succurrere studuerunt, ita ut proventus earum partem efficiant congruae ipsis competentis, qua ipsos spoliáre aequum non videtur.

3° Exposui has portiones tum fabricis tum ecclesiarum ministris competentes Regio Gubernio notas ab ipso tamquam partem redituum ecclesiae seu tamquam partem salarii dictis personis competentis computari, ita ut parochus lege civili cogatur, ut has portiones sive fabricis sive ministris restituat, si omnes reditus fundationum, quas ipse persolvere nequit, transmittere debet. Et hoc quidem bene quoad illos parochos, de quibus S. Congregatio in litteris d. d. 24 Martii a. c. supponit, « qui forsan missas fundationum minime celebrant eo quod aliunde pinguiores habent eleemosynas ». Quod quidem non licere nemo ignorat, et iuxta taliter agentes poenas luent. Sed quid quoad illos parochos, qui quotannis 300, 400, 500 et plura sacra fundata persolvere debent ? Quid quoad illos, qui tot spiritualibus necessitatibus vivorum suorum parochianorum succurrere debent, ut ipsis pro omnibus missis fundatis persolvendis dies non suppetant ? Et credo supponi posse hanc esse mentem S. Congregationis, ut parochus primo loco necessitatibus spiritualibus vivorum parochianorum provideat, ut sci. primo loco manualia persolvat pro praegnantibus, pro aegrotis, pro moribundis, pro recenter mortuis etc. et dein missas fundatas. Et si hoc, debetne parochus eo quod caritatis ni dicam iustitiae officia erga vivos parochianos satisfaciat, detrimentum subire, quia non potest simul missas

fundatas persolvere, et nihilominus portiones ecclesiae ministris competentes ipsis ex propriis compensare debet ?

« 4° Tandem ne illud praeterire videar « non posse detrahi ex reditibus fundationum stipendium pro opere quod minime praestatur » - ecclesia, seu fabrica ecclesiae idem omnino praestat sive missa fundata persolvatur sive manualis, sci. praestat paramenta, vinum, hostiam, candelas aliaque ad missam necessaria, organista pulsat organum, sive missa fundata persolvatur, sive manualis ; item aedituus vestit parochum et parat necessaria, pueri inserviunt missae, sive fundata persolvatur sive manualis, quippe qui quotidie officio suo consueto fungi teneantur. Hinc patet, fructum fundationum non solum tamquam remunerationem servitii in fundatis missis exhibendi, sed etiam tamquam meliorationem salarii deberi aestimari, et insuper per transmissionem missarum fundatarum neque tolli opus neque imponi, si excipias solum parochum celebrantem. At si hoc, suscipientes fundationem, si semper excipias parochum seu sacerdotem persolventem, carent titulo quo mercedem recipiant, et non est, cur transmitientes, si iterum excipias parochum, qui missas persolvere debet, fructibus sibi competentibus frustrentur ».

« Haec iterum examini S. Congregationis Concilii subicienda duxi et omni qua par est reverentia et obsequio iterum petere audeo :

« I° gratiosam condonationem pro praeterito , quatenus hucusque absque indulto S. Sedis aliter gesserint parochi ;

« 2° ut pro futuro parochi impediti, quominus missas fundatas tam legendas quam cantandas per seipsos persolvant, solum eam portionem reddituum ad Curiam Episcopalem transmittere debeant, quae ipsis tamquam fundationes persolventibus competit : portiones vero tam ecclesiis quam organistis, aedituis, aliis personis aliquo modo cooperantibus, pauperibusque assignatas pro iisdem retinere possint ».

Disceptatio Synoptica

Quoad preces Emi Episcopi haec mihi, de more, advertencia videntur. - Equidem patet, quamlibet stipis distractionem in alium usum licet pium, mentis offerentium commutationem secumferre ; eodem modo quo commutatio adest cum celebratio in loco ab oblatoribus haud designato perficitur. Ne a piis élargitionibus erga Ecclesiam fideles semoverentur, ob frequentes voluntatum defunctorum commutationes, canones solemniter praeceperunt, pias fundationes vel ultimas morientium voluntates religiose servandas esse; Can. *Ultima volunt, dist. 13, q. 2;* Clement. *Quia contingit 2 de relig, domib.;* Caput *Si haeredes* et *Tua nobis, de Testam.*

Cum tamen ob effrenatis hominum cupiditates innumeris incommodis Missarum stipendia occasionem praebuerint, plures ad haec removenda ab Ecclesia sanctissimae leges ac decreta diversis temporibus lata fuerunt ; quae diligenter a Benedicto XIV *Jnstit. Eccles. 56; De Synod. Dioeces, libr. 5, cap. 9; Ee Sacr. Miss. libr. 3, cap. 21* recensetur. Item Conc. Trid. *Sess. 22 Decret, de observanda et erit. in celebrat. Miss.,* decretum *Cum multa.* Huic Concilii decreto accesserunt celebres illae S. C. Congr. declarationes seu Decreta *de celebratione Missarum* Urbani VIII auctoritate editae die 21 Iunii 1625 per Const. quae incipit: *Cum saepe contingat,* ac postea additis aliis resolutionibus ab Innocent. XII, decimo Kal. Ian. 1697 edita est Const. quae incipit: *Nuper innovata et confirmata;* et Epistola Encyclica a Bened. XIV quae incipit: *Quanta Cura,* diei 30 Iunii 1741 ; et nuper, ut alia omittamus, Decretum datum est a S. C. die 25 Maii 1893 ita conceptum: « Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus... Ad cohibendam pravam quorundam licentiam, qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutandas missarum ope utebantur... Propositis namque inter alia sequentibus dubiis :

« III. An, huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae, et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum, et bonorum operum usum vel incrementum impenditur;

« IV. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant : In peculiari conventu an. 1874 S. O. resolvit : Ad III. Affirmative. IV. Negative, nisi de consensu oblatorum.

« Sed cum postremis hisce annis constiterint salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia neglectas fuisse.... Emi Patres S. C... in duplici generali conventu officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in plenam observantiam denuo apud omnes revocare___

« Praeterea iidem Emi Patres inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XII in Const. *Cum saepe,* *alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum.

« Denique revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. C. curae singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis.... notum sollicite faciant....»

Epistola Circularis S. C. C. diei 28 Aug. 1897, ad Ordinarios Italiae directa, denuo inculcat strictam observantiam anterioris decreti, necnon decretorum (Urbaniani et

Innocentiam) iam citatorum. Allata testimonia licet de missis manualibus intelligi videantur, attamen ex rationis identitate etiam ad pias missarum fundationes referri debent.

Hisce in iure praeiactis, cum Emus Episcopus ad Pontificem confugerit, videndum est an causae adsint ut eius preces admittantur. Tales causae non apparent eo magis in themate in quo cum agatur de absolutione quoad praeteritum et de dispensatione quoad futurum, ea agendi ratio videtur opposita allatis constitutionibus, ideoque tolerari haud posse.

Etenim Rectores ecclesiarum et sacerdotes eisdem addicti, non solum habent ius celebrandi missas in respectivis ecclesiis fundatas; sed imprimis, nominatim Rectores,, habent strictam obligationem illas celebrandi aut curandi, ut per alios celebrentur, et hac conditione praseumuntur ab initio acceptae. - Missae fundatae non sunt ordinatae ad supplendum defectui missarum adventitiarum, sed hae potius acceptari possunt ad supplendum illarum defectui; ita ut si Rectores ecclesiarum illis, sive per se sive per alios, satisfacere non possint, has non licet illis acceptare, nisi sub conditione easdem tradendi aliis cum integro stipendio accepto. Clara hac in re est citata Const Innocent. XII ubi legitur : « Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis ». Et hoc consonum esse videtur fundatorum menti, tum quia in his stabiliendis legatis piis non aliter intenderunt implicite vel explicite quandam portionem ex fructibus fundationum ecclesiae fabricae assignare, nisi mediante missarum applicatione in eadem ; tum quia semper iuxta effatum, qui prior est tempore potior est iure. Igitur, cum redituum portio alicui Ecclesiae ob Missarum celebrationem assignata consideretur tamquam accessorium propter principale, si missae fundatae ob aliquam iustam cau-

sam ad alium locum transmittantur, praeter stipendia missarum (quod est principale) transmitti etiam debet portio ex fundationis fructibus fabricis seu Ecclesiae ministris assignata, quod est accessorium. Nam valet conctractus *do ut facias,* dum contrarium non constet.

Sed e converso in themate favore supplicantium animadvertendum est bonam fidem illis suffragari ut condonationem quoad praeteritum consequantur, uti passim Sacra C. Congr. indulgere solet, si pia opera absque culpa non fuerant impleta, neque superest ex quo impleri possint.

In puncto autem dispensationis quoad futurum adverdendum est Trid. Synod. *Sess. 23 cap. 6 de Ref.;* Sacra C. Conc. in *Taurinen.* 1 Martii 1877, et *Lucana* 14 Decembris 1893 nos edocere, ad voluntatis commutationem concedendam generatim sufficientes causas esse *necessitatem* vel *evidentem* Ecclesiae *utilitatem,* maxime si commutatio voluntatis fuerit temporanea; neque raro contingit ut legata pia seu missae reducantur aut suspendantur, quando prospici debeat templi reparationi aut domibus beneficiarii aliisque beneficiorum necessitatibus, ut penes S. C. Conc. In *Viterbien. 2* Martii 1765 et 1874 ; in *Leodien,* 18 Maii 1776 ; in *Syracusana* 8 Febr. 1773 et passim. Ob Ecclesiae utilitatem non reduci tantum, sed supprimi etiam missarum onera monet Amostazus *De causis piis libr. 1, cap. 14, n. 1.* Et merito quidem ; quia haec missarum legata praeter rationem suffragii, habent rationem eleemosynae et subsidii pro ecclesiae necessitatibus et ministris.

Unde, cum in casu non agatur nisi de quadam portione detrahenda, quamvis inibi Missae non celebrarentur, uti hucusque factum est, in subsidium divini cultus, ministrorum, pauperum loci, aliarumque spiritualium necessitatum ob parochorum impotentiam ea satisfaciendi, videtur adesse causa iusta ut Emi Episcopi petitioni annuatur.

Tandem iniquum videretur parochis invitis contra praxim hucusque observatam, quae plurimi facienda est uti optima mentis fundatoris interpres, (Lotter. *de re benef.*

I. 7, q. 11, n. 125; Rota *decis. 62, n. 3, part. 10.)* novum onus imponere dictam portionem solvendi, ob impotentiam celebrandi missas fundatas, sive in festis diebus in quibus pro populo sibi concredito offerri debent, sive in pauperum funeribus, aliisque solemnitatibus quae aliter cum populi scandalo forsan non celebrarentur, sive ob aliam rationabilem causam, non ex desiderio pinguioris stipendii ut patet, promanantem, sed potius ex penuria sacerdotum, et ex proprio officio.

Quare si fundatores id praevidissent aliter de sua substantia disposassent, Reiffenstuel. *De testam. n. 804,* et S. C. C. in *Sutrina, Transi.* 10 Sept. 1803. Hinc valida concedendae gratiae causa ex praesumpta oritur fundatoris voluntate.

Hisce hinc inde animadversis, Sapientiae EE. PP. deliberare remissum fuit an locus fuerit condonationi aut cuique alii provisioni.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 6 Septembris 1902, censuit respondere: *praevia sanatione quoad praeteritum, pro facultate iuxta petita, et ad mentem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

ELECTIO novae Superiorissae est lex obligans quodlibet Monasterium cuiuslibet Ordinis Religiosi, quolibet triennio.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Compostellanus ea quae sequuntur Sanctitati Vestrae exponit: In sua archidioecesi varii existunt monialium Conventus, in quibus Vocales tertio quoque triennio Abbatissam vel Priorissam eligunt, etiamsi in Constitutionibus Recollectarum S. Augustini, quarum tria numerantur monasteria, prae-

scribatur, ut Priorissa ultra decennium eligi nequeat. In Constitutionibus praefatorum Conventuum, pro nonnullis legitur: Superiorissa iterum eligi nequeat; pro aliis, vel prohibetur vel tacetur nova electio Superiorissae. Cum in Constitutione *Exposcit debitum,* 1 Ianuarii 1583 Gregorius XIII iussisset ut munus Priorissae ultra triennium perdurare nequeat et expleto triennio nullam habet in monasterio auctoritatem, et hoc sensu pluries respondisset S. Congregatio Episcoporum et Regularium, Orator nonnulla dubia proponit:

I. *Quaeritur si memoratae Constitutio et resolutiones datae fuerunt pro Ecclesia universali et observandae sint.*

II. *In casu negativo, possuntne iterum eligi Superiorissae illorum Conventuum, quorum Constitutiones vel de hac electione iacent vel permittunt novam electionem Superiorissae?*

III. *In utroque casu numeri U, et pro monasteriis in quibus expresse permittitur nova electio Superiorissae, quaeritur : pro hi dus electionis confirmatione sufficit auctoritas Ordinarii vel recurrendum erit ad S. Sedem?*

Et Deus etc

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita super praemissis dubiis respondendum censuit prout respondet:

Ad I: *Affirmative.*

Ad II: *Provisum in primo.*

Ad III: *Quatenus Constitutiones sileant, vel expresse dicant post triennium eligendam esse aliam Abatissa.m seti Superiorissam, selectionem eiusdem personae ad munus Abatíssae seu Superiorissae indigere confirmatione S. Sedis: quatenus vero Constitutiones approbatae a S. Sede post enunciatam Constitutionem Gregorii XIII, permittant huiusmodi refectionem, ser Dandum esse tenor emnextrumdem Constitutionum.*

Romae, 4 Maii 1901.

FR. H. M. CARD. GOTTI, *Praef.*

A. PANICI, *Secret.*

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

DUBIUM — An aliquando extrahi possit ante tempus ex sinu matris foetus *extra-uterinus.*

Must, ac Revme Domine,

R. D. Carolus Lecoq, Decanus Facultatis Theologiae in ista Universitate Marianopolitana, per litteras diei 12'Martii an. 1900 sequens dubium proponebat circa interpretationem resolutionum S. Officii quoad liceitatem extinctionis chirurgicae foetus immaturi: « Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere foetus ectopicos adhuc immaturos, nondum exacto sexto mense post conceptionem ? »

Curae mihi fuit fatum dubium solvendum transmittere eidem Supremo Tribunali S. Officii. Illi vero Emi ac Rmi Patres Card. Inquisitores generales, in congregatione fer. IV die 5 vertentis mensis Martii, post maturam rei discussionem, sequens emanarunt responsum : « Negative, iuxta Decretum fer. IV, 4 Maii 1898 vi cuius foetus et matris vitae quantum neri potest, serio et opportune providendum est ; quoad vero tempus, iuxta idem Decretum, Orator meminerit, nullam partus accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis quibus ex ordinarie contingentibus matris ac foetus vitae consulatur. — Praesens vero decretum expediatur per Ordinarium ».

Haec habui, quae cum Amplitudine Tua hac super re, pro meo munere, communicarem: et precor Deum, ut Te diu sospitet.

20 Martii 1902.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus

M. Card. LEDOCHOWSKI, *Praef.*

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

-i

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

SANATORIA generalis super stationibus S. Viae Crucis

Beatissime Pater,

Frater Petrus ab Arce Papae, Procurator Generalis Ordinis Minorum, praevio Sancti Pedis osculo, humillime exponit quod anno 1894 sub die 7 Aprilis Sacra Congregatio Indulgentiarum benigne sanavit omnes defectus ubique locorum incursos in erectione Viae Crucis Stationum.

Cum autem non obstantibus divulgatis opellis modum erigendi Viam Crucis respicientibus, hic illic non omnia observata fuerunt ad validitatem erectionis requisita, ne Fideles absque eorum culpa Indulgentiis Pio Exercitio adnexis priventur, humilis Orator humiliter expostulat a Sanctitate Tua, quatenus omnes Viae Crucis erectiones a die 7 Aprilis 1894 hucusque locorum ob quoscumque defectus invalide factas, benigne sanare dignetur.

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, petitam sanationem benigne «concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 27 Maii 1902.

S. CARD. CRETONI *Praef.*

F. SOGARO, Archiep. Amiden. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

VALENTINA. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Michaelae a SS.mo Sacramento fundatricis Congregationis Ancillarum SS.mi Sacramenti et Charitatis.

Quod hominum Salvator Christus Iesus in terris exhibuit ineffabile pietatis et charitatis spectaculum, Deo quidem Patri suo acceptissimum hominibusque maxime salutare, hoc idem Sponsa Christi Ecclesia eius innixa virtute et meritis, ad finem usque saeculorum felici exitu prosequitur, nuperrimis calamitosis temporibus provido consilio ad hoc praecipue selectis personis et sodalitiis perfectionem evangelicam profitentibus. Tale modo refulget illud Hispaniae decus et ornamentum Maria Michaela a SSmo Sacramento atque eius institutum Ancillarum SSmi Sacramenti et Charitatis. E nobilissima Demaisieres olim vicecomitum de Jorbalán gente ortum duxit haec Dei Famula Matriti, die 1 Ianuarii anno 1809. Pueritia pie exacta in qua optimam matrem e vivis ereptam amiserat, adhuc adolescentula omnem curam impendit in templis Dei exornandis pauperibusque sublevandis, suo paternoque aere expenso, divendito etiam pretioso quodam monili. Consociationibus praeposita spiritum suum in illas transfundebat. Confraternitatem a SSma Trinitate Matriti hodiedum florentem ipsa fundavit. Mundi illecebras saeculique ornatum contemnens, conspicuas nuptias oblatas renuit, et, de sui moderatoris consilio, virginitatis florem integrum incolumemque servandum sibi proposuit. Quamdiu morata est Parisiis ac Bruxellis cum Fratre qui ibidem hispana legatione fungebatur, nunquam a praestituto vitae genere deflexit. Precibus corporisque macerationibus Deum sibi propitium reddere satagebat, divini cultus decori prospiciebat, egenis atque infirmis opem et solatium ferebat, praestantium etiam matronarum opera conquisita. In Hispaniam reversa statim nobilium foeminarum coetui qui christianae doctrinae tradendae Matriti sedulo incumbebat, adscripta fuit; atque ipsa novas scholas puellis popularibus, praesertim famulatui addictis, ibi et alibi rogatu Episcoporum aperuit. Societati a Nostra Domina Bethlemitica pro infirmis in nosocomiis curandis nomen dedit. Puellam ob corruptos mores e paterna domo eieetam in noso-

comió S. Ioannis aegrotantem invenit, eamque anima et corpore sanatam parentibus restituit. Inde exortum sodalitium a B. M. V. perdolente nuncupatum et ex foeminis nobilitate claris compositum quo deperditae puellae a nosocomiis exeuntes et ad bonam frugem redactae, a probis honestisque familiis in famulatum reciperentur. Primum parva domus ex septem puellis, deinceps nova et amplior, aucto ad quatuordecim alumnarum numero constituta fuit. Quae quidem prout fert humanarum rerum conditio non paucis coepit affligi adversitatibus, at, favente Deo, paulatim amotis dissidiorum causis pristina pax redintegratur. Interim Michaela consilio et auctoritate suae conscientiae moderatoris suffulta, sodalitium ancillarum a SSmo Sacramento et a Charitate erigere excogitavit; illudque, cooperante Ven. Antonio Claret, et auspice aula regia, reapse instituit atque regiis iuribus communitum et publica auctoritate recognitum laeto hilarique animo conspexit. Institutum vero huiusmodi quod Matriti egerat radices, brevi post, Deo protegente, eas in alias civitates ita dilatavit, ut decem et ultra domus ab ipsa Michaela conditae fuerint cum fere sexcentis puellis ex quibus plures, progressu temporis, excelsos virtutis gradus attigerunt. Sodalitas iam constituta plerisque ornata privilegiis, quum prope erat ut solemni diplomate pontificiae laudis et approbationis cumularetur, veluti aurum in fornace, tribulationis igne probata est. Extemplo, teterrima lue Valentiae grassante, Dei Famula quae in Fidei et amoris obsequium erga Apostolicam Sedem romanum iter aggredi iam statuerat, urgente Christi charitate, nulla interposita mora, ac vitae suae prodiga, ad illam civitatem se contulit. Postridie Deiparae patrocinio implorato et Ecclesiae sacramentis refecta Archiepiscopum adit, in tanta rerum calamitate seipsam totam charitatis operibus oblatura. Statimque in coenobio quinque sodales pestifero morbo affectas materno studio curandas suscepit. Quumque paulo post ab aegrotantibus pestem et ipsa contraxisset, laetanter facto propriae vitae sacrificio, extrema sacramenta cum Apostolica benedictione recepit et religiosa vota instaurava. Aderat morienti P. Vinader Societatis Iesu, eximiae pietatis vir, aderant sorores Congregationis quibus sodalem quae sibi succederet designavit. Institutum Toletano Archiepiscopo commendatum sub tutela B. M. V. Carmelitidis posuit. Tandem, ingravescente morbo, in sororum amplexu, dum Ie-

sum et Mariam invocaba!, media fere nocte, die 24 Augusti anno 1865 animam placidissime exhalavit. Fama sanctitatis Servae Dei in vita et post obitum pluribus signis manifestata, et constans et magis in dies clara viam aperuit Rmo Dno Archiepiscopo Valentino Processum Ordinarium super eadem fama instituendi, exquisitis etiam Inquisitionibus Rogatorialibus aliarum dioecesium. Quibus omnibus ad Sacram Rituum Congregationem delatis, instante Rmo Dno Beniamino Miñana Collegii Hispani in Urbe moderatore atque huius causae Postulatore, una cum universa sodalitate Ancillarum SSmi Sacramenti et Charitatis, attentis litteris postulatoriis aliquorum Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium atque etiam collegiorum et sodalitatum utriusque sexus,, revisione scriptorum praefatae Servae Dei iam peracta, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus M. Parocchi Episcopus Portuensis et S. Rufinae et eiusdem Causae Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die, ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit : « An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis,, audito voce et scripto R. P. D Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurato examine expensis rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam eêse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 12 Augusti 1902.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefatae Venerabilis Servae Dei Mariae Michaelae a SSmo Sacramento, die decimanona, eisdem mense et anno.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret*

AQUÉN, seu Ordinis Praedicatorum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Andreae Abellon Sacerdoti eiusdem Ordinis beato nuncupato.

Andreae Abellon, gentis gallicae, sacerdotis ex Ordine Praedicatorum veneranda memoria, quae nova luce ex Apostolicae Sedis auctoritate clarificatur, hisce luctupsis temporibus, praeter quam quod sapientes et potentes saeculi confundit, haud minimum affert solatium et robur servis Dei in angustiis positis quos mundus odit quia de mundo non sunt. Illud quoque exinde sperandum est, pietatis nempe et venerationis incrementum, maxime in Gallia, erga illam sanctam mulierem cui dimissa fuerunt peccata multa quia dilexit multum, Mariam Magdalenam. Per annos enim triginta et ultra, Andreas in conventu et templo S. Maximini, dioecesis olim Aquensis, modo Foroiuliensis, ad sepulcrum ipsius sanctae poenitentis excubias egit, fidelissimus custos, evangelii praedicator, et gloriosae Magdalenae laudatur illustris iuxta divini Salvatoris oraculum: « *Amen dieo vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius* ». Natus siquidem in oppido pariter a S. Maximino nuncupato ex honestis parentibus, sub annum 1375, divinae voluntati quae eum ad religionem mature vocabat obtemperans, anno 1403 iam sacerdos professus Ordinem S. Dominici illustrabat. Inter merita insignia scientiae et pietatis, eminebat in eo catholicae religionis propagandae indefessus labor, regularis observantiae instaurandae ardens studium, praedicationis evangelicae opus assiduum. Nec sermone tantum, sed, uti erat arte pictoria peritus, sacris etiam imaginibus fidelium mentes ad caelestia erigere in deliciis habebat. Munia quae in Ordine obivit lectoris et magistri in sacra theologia, prioris et vicarii generalis in pluribus coenobiis Provinciae, illum valde commendarunt tam apud fratres suos quam maxime apud Ordinis sui supremum moderatorem Bartholomaeum Texier sanctimoniae fama celebratum. Prior regalis conventus S. Maximini effectus, sive in ipso templo S. Ma*ximini sive in specu qui sub nomine S. Balmae celeberrimus evasit, omni cura et sollicitudine adlaboravit, ut devotionem et venerationem fidelium erga S. Mariam Magdalenam foveret et diffunderet. Anno autem 1450 Aquis Sextus quo, publica calamitate grassante, a consulibus

accitus fuerat ad consolandos cives afflictos sacramque missionem instituendam, dum indefesso labore verbo Dei praedicando per plures menses instaret, beatus vir apostolicis consumptus laboribus, die prima Maii gravi morbo correptus est: quo gradatim crescente, die decimaquinta eiusdem mensis, quae fuit feria sexta, sancto fine quievit. Deus enim cuius nutu per diversa terrarum loca Sanctorum corpora disponuntur, id etiam sapientissime disposuerat, ut sacrum Andreae corpus in templo S. Mariae Magdalenae quod in illa civitate pernobile exstat, prope aram maximam ex parte Evangelii honorifice conderetur, sepulcri lapidi insculpta eius imagine radiis ornata, cum sequenti epitaphio: « Hic iacet corpus Beati Andreae Abellonii, Ordinis Sacri Praedicatorum, qui magnis claruit miraculis obiitque anno Dñi 1450 ». Interim opinio de viri Dei sanctitate et fidelium erga ipsum devotio innotuit ex frequentia cuiusvis ordinis civium ad funus primum, deinde ad sepulcrum concurrentium. Ibi-etiam erectum altare, lampades accensae, tabellae votivae, et anathemata oblata pro beneficiis, uti ferebatur, a Deo acceptis, suffragante Andrea. Quae quidem populares et devotae manifestationes ad sepulcrum, quamvis saeculo XVIII exeunte per notissimam illam aeque ac violentam rerum omnium in Gallia perturbationem, dominiciana familia expulsa, fidelibus dire vexatis, violato templo S. Mariae Magdalenae per impium *deae Rationis* cultum, interrumpí coepissent, non defuerunt tamen omnino haec et alia venerationis indicia; et cuique patebat suprarelati epitaphii exemplar inde ab anno 1703, curante P. Robert, alteri ex Ecclesiae columnis inscriptum. Compositis vero publicis rebus, etsi conditorium Abellonis per novum pavimentum veteri superpositum ab oculis omnium subduceretur, frustra reclamante ob devotionem suam et populi P. Berage qui in illo coenobio ante gallicam perturbationem vixerat; nihilominus inde ab anno 1845 obstaculis remotis sepulcrum Servi Dei Andreae pristino decori et cultui redditum fuit, auctis etiam honoribus, praesertim ex quo Fratres Praedicatores, Galliae iam restituii per clarissimum virum P. Henricum Lacordaire, conventum suum apud ecclesiam S. Maximini recuperaverant. Primis de hac re actis ad Sacram Rituum Congregationem deductis, et ab ea expensis, Cardinali Gaude Relatore, anno 1859, quum de praefati cultus possessione post annum 1789 non satis constaret, progressu tempo-

ris, ut huic defectui occurreretur, de Apostolica venia per decretum 15 Maii 1896 a Postulatore P. Vincentio Ligiez obtenta, Processiculus Ordinarius Romae confectus est. In hoc nonnulli testes instructi et idonei auditi fuerunt et nova conquisita documenta rite compulsata pro coadiuvandis probationibus super cultus possessione, praesertim intra et post gallicam perturbationem ad haec usque tempora. Quum itaque omnia in promptu essent, instante Rmo P. Andrea Frühwirth Ordinis Praedicatorum Magistro Generali una cum hodierno Causae Postulatore Rev. P. Mauro M. Kaiser, attentis litteris postulatoriis aliquorum Emorum S. R. E. Cardinalium, et plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Raphaël Pier-otti eiudem Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An constet de cultu publico ecclesiastico ab immemorabili tempore exhibito praefato Servo Dei seu de casti excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, in casu et ad effectum de quo agitur?»* Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem eiusdem Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 12 Augusti 1902.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die decimanona, eisdem mense et anno.

D. CARD. FERRATA, *S. R. C. Praef.*

L. % S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

VALENTINA. Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Michaelae a SSmo Sacramento fundatricis Congregationis Ancillarum SSmi. Sacramenti et Charitatis

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Honesto loco nasci, divitiis diffluere atque tamen, vitae deliciis posthabitis, se totum ad eos convertere, qui ex omnium hominum ordine pauperrimi sunt, vel ab humano civilique cultu prorsus abhorrent, vel morbis maxime putridis afflictantur, id praestantissimam habet laudem, quantam vix homines tribuere possunt. At celsissimo genere nasci; principem inter cives obtinere locum ; gloria maiorum, opibus, auctoritate, honoribus quibuscumque, late pollere; sed tamen, invita natura, renuentibus susceptae vitae rationibus moribusque, hanc omnium altissimam conditionem abiicere, atque simul quidquid inter homines humile magis excogitan potest ut propriam partem eligere, Ínfimos ex infima plebecula, quos civile consortium reiecit, amplecti eosdemque fovere, id omnium maxima laudum est, angelico potius quam humano celebranda praeconio. Is enim, qui talia aggreditur, propius Dei Verbo accedere videtur quod, per ineffabile caritatis consilium, humana natura suscepta, ita se ad nostram conditionem abiecit ut non solum *formam Servi* (prout ait Apostolus) *accipiens semetipsum exinaniretj* sed illud prorsus Isaiae confirmaverit: *opprobrium hominis et abiectio plebis.* — Profecto inter eos, qui divini exempli lumine collustrati, hac nostra, in quam incidimus, aetate, Crucis ignominiam strenuo animo sequuti sunt, inclyta virgo Maria Michaela a SSmo Sacramento, natione hispana, merito recensetur. Haec enim clarissima stirpe generata, fastum et saeculi vanitatem ita sprevit ut proximorum saluti se totam convertent. Neque vero ex iis modo pauperiores selegit, sed ad intimos mulierum ordines, quas mundus deperdit, deperditas aspernatur, materna caritate descendit atque iis, condito sodalitio, perfugium praebuit, quo vel periclitantes tuto sese reciperent, vel deperditae e coeno surgerent ac per poenitentiam

expurgatae, civili religioseque consortio restituerentur. Mirabile profecto redemptionis opus, quod, quum multorum virorum requireret vires, una Michaela, inter opprobria et contemptus hominum, divinae caritatis instinctu, ad exitum imperturbata perduxit !

Vitae Synopsis

Nata est Maria Michaela calendis ianuariis anno 1809 Matriti, quae est urbs Hispaniae omnium celebratissima. Parentes fuerunt Michael Florez et Bernarda López de Dicastillo Olmeda, qui generis nobilitatem, inter omnes ordines amplissimam, christianae religionis splendore illustrabant. Fervida indoles in puella statim eluxit, sed tamen ad pietatem magnopere proclivis: ex quo iam tunc prima sanctitatis indicia coniectari licebat. Parentum curis mirum in modum respondit, atque tenerae illius aetatis fere tessera caritas fuit, qua pauperes amplexa est. Verum suapte natura ab eorum coeno ac sordibus abhorrebat. Vicit tamen se ipsam atque tanta contentione suum animum flexit ut quotidie cum eis nectere moras quam maxime delectaretur. — Qui nudi erant, vestibus, quas manuum suarum laboribus fecerat, operiebat. Cibis esurientes levabat. De matris venia eorum mapalia adibat: illos domi excipere gaudebat. Fluxarum rerum despectus ita penitus animo insidebat ut numquam semet in speculo conspexerit. — Neque se molliter curabat, tum fere omnia ornamenta aufugens, quibus puellae nobili loco natae, uti fit, comparentur: tum congressibus amoenis prorsus abstinens, qui domi, patricio nobilitatis more, ad multam noctem producebantur. Assidue divina mysteria obibat. Nec satis : saepe aequales domi ultro congregare easque ad pietatem incitare solebat. Sic evangelici operis uberioribus proventibus proludens, caritatis ministerium iam inde auspicabatur.

Nondum e pueris excesserat quum matre piissima orbata est. Vitae tamen rationes ab ineunte aetate susceptas non immutavit umquam : quin etiam, quum christianae perfectionis studio exarderet in dies, se totam ad conscientiae suae moderatoris arbitrium flngendi votum emisit. Vel oblatas renuit honestas nuptias, certa virginitatis florem integrum inviolatumque ad mortem usque servare. Mundanis illecebris firmo

pectore obstitit: silentium et recessum adamavit atque assidua rerum coelestium commentatione mentem exercens, ne punctum quidem a Deo sese divelli sinebat. — Id temporis stomacho acerbissime laborare incoepit: ideoque a fratre, quem summopere diligebat, Lutaetias Parisiorum deducta est, quo amoenior coeli temperie uteretur. At coeli mutatio non eam a stomachi laboribus vindicavit, cui nihil longius erat quam ut Matritum convolaret ibique pietatis opera iam incoepta prosequeretur.

Verbis explicari vix potest quanta exinde molita sit. Paternas opes haereditate susceptas non amplius consideravit suas, sed pauperes participes effecit. Pro adiuvandis egentibus lectissimarum foeminarum sodalitium instituit, quae statis diebus eos in domiciliis inviserent. Alterum sodalitium condidit ea lege ut sodales ad templorum valvas stipem corrogarent egenarum sanctimonialium subsidio. Atque adeo, ut alias incitamento praeiret, persona pauperis induta, non raro in celebrari Matriti porticu longas egit moras manum ad stipem porrigens, qua pauperes sustentare! - Ita, quum Angelorum vitam referret, unumquemque in sui admirationem ac benevolentiam traduxerat.

Verum inter tot pietatis oblectamenta saepe accedebant curae, quae Dei Servae animum summopere exagitabant. Multum enim nobilitatis moribus semper concedendum fuit: multum dignitatis gradus exigunt ab iis, qui in celebritate vivunt atque nobilium coetu et fere regio versantur. Gens, unde Michaela ortum duxerat, tota Hispania nulli secunda erat, tum splendore maiorum, tum vero insigni vitae cultu atque amplitudine, quae generis dignitati respondet. Itaque Hispaniae regibus consuetudine semper coniunctissima fuit atque in sollemnioribus regiae aulae apparatibus non modo invitabatur, sed inter regni proceres principem obtinebat locum. — Hinc tam necessariae incidere solebant causae cur Dei Serva aulam vel theatra cum fratre statis diebus celebraret ut sine dignitatis detrimento ab iis abstinere non posset. Quamvis invita, interdum igitur necessitatibus cedere cogebatur: at spectaculorum pericula per summam industriam provida mente cavebat. Praeter quam quod id temporis singulari modo nutu et arbitrio conscientiae moderatoris pendebat, eo asperioribus flagellis corpus innocentissimum cruentabat, quo splendidiori vestium ornatu induebatur: atque eo arctius adhaerebat Deo, quo gravius noverat instare discrimen.

Interea frater ad Galliae regem missus fuerat ut hispanam legationem gereret idemque sororem Michaelam Parisios arcessivit, quae, ibi quinquennium morata, virtutum splendore in se omnium ordinum admirationem convertit. Qui ei a confessionibus erat, severiorem vitae rationem instituendam exegerat seduloque advigilabat ne mundanae illecebrae animi fervorem restinguerent. - Sic ex moderatoris praescripto vitam traducens Dei Serva, summam prudentiae laudem vel in primis adepta est, iurgia inter fratrem eiusque uxorem, diversitate ingeniorum oborta, mirum in modum componeos. Aspera quaeque tulit tum gloris indole, tum acatholici viri calumniis exagitata, qui quum rei familiari praeesset, depravatae religionis erroribus contaminants non modo eam ipse odio prosequebatur, sed in alterius invidiam acriter vocare stupebat. Potuerat Michaela tot molestias fugere, dummodo sese Matriturn reciperet. Verum, fratris caritate mansit, laeta pro Christo pati; donec, tandem aliquando calumniis detectis, maiorem in lucem eximia eius virtus prolata est. Glori autem, quamdiu aegrotavit, tanta cura, tantaque officiorum sedulitate adfuit ut illius animum ad omnem pietatem vicisset

Ceterum precibus assidue vacabat vel oculos somno per noctem frustrata. Singulo quoque die ad sacras epulas accedebat, heic devotionis studio reficiens animum, hinc recens ac integra ad virtutem celeriori gradu contendens. Nihil, quod in ea ipsa erat, praetermisit ut a mundanis blanditiis sese facile expediret, solita etiam se flagellis caedere et catenulis ferréis sibi lumbos praecingere. His rebus Dei gratiam, favoremque sic ipsa demeruit, ut olim, quum sacra sollemnia ob adventum Spiritus Sancti agerentur, novo inusitatoque fervore succenderetur. Huius vehementis caritatis impetus, quae mulieris pectus pervaserat, quum intus contineri non posset, eo Michaelam impulerat ut christiani nominis cultum augendum susciperet et qui miserrimae conditionis erant, hos illa maiori caritate complecteretur. Dei Serva auctrice, mulierum, ex omnium nobilissimo Parisiorum ordine, Sodalitium institutum est, quae , Sanctissimo Sacramento adorando diu noctuque perpetuam operam darenti: unde vix difficile dictu est quanta vis coelestium munerum in christianam rempublicam influxerit. Decore domus Dei summopere rnovebatur, ob eamque causam non modo innúmera templa, quae indigerent, sacra suppellectile instruenda

curavit, sed etiam sacella suo sumptu a fundamentis extruxit. Singula diei spatia sic deflniverat ut exercendae caritati, singula quaque hora, responderent. Iter illi ad publica valetudinària frequens; ostiatim etiam pauperes quaeritabat, quibus omni subsidiorum genere praesto esset. Olim infirmam mulierem nacta est, membris omnibus fere exustam, unde adeo teter exhalabat odor, qui quemque stomacho validissimum propulisset. Vicit tamen in vitam naturam, Michaela, diuque contra foeditum morbum stetit: quod quam gratum acceptumque fuerit Deo illud argumento est, quod mulier convaluit, obstupescente medico ab institutis christianis alieno, qui eam conclamaverat. Neque alia desunt exempla, quum plena eximiae caritatis illius fuerit vita. Iamdudum adhaerebat lecto vetula, senio et languore confecta: angustum et maleolens cubiculum scrutis horridis obrutum erat: mulier ipsa, quamvis patientissima, omni destituta subsidio. Quod ubi Dei Serva rescivit, illico ad eam convola vit: ipsique tanta adfuit cura, sic eam fovit ut brevi ad sanitatem redierit. Quibus rebus eximium humilitatis exemplum accessit. Quum enim olim Michaela induta vestibus, quae suam praenobilem conditionem decerent, per celebriores urbis vias incederei eamdemque vetulam habuisset obviam detritis panniculis opertam, sportamque gerentem manibus, eam coram amplecti deoscularique non dubitavit. - Nec vero minus de aeterna proximorum salute sollicita fuit. Iamdiu in publico valetudinario iacebat miles, cuius in peccatis contumacem animum nemo flectere potuerat. Mors imminebat. Summam sensit acerbitatem Michaela, quantam ferri vix potuisset. At, Dei ope confisa, arduam suscepit operam, susceptamque adeo feliciter ad exitum suum perduxit, ut durus miles, tanta victus lenitate poenitentiae certis editis signis, pio sanctoque fine vitam clauserit.

Profecto altae magnificaeque virtutes, quibus Dei Serva ad miraculum praefulgebat, quamvis humilitate opertae, abdi omnino non poterant: veluti si quando obductae coelo nubes solis lumini nullo modo officiunt, qui per mediam caliginem magis desideratus gentibus splendet. - Homines nobilissimi atque ornatissimi, qui Parisiis degebant, eam summopere admirabantur; inter quos Ludovicum Philippum regem, honoris causa, memoro, qui Dei Servae virtutem ac fortitudinem verbis exquisitissimis exornare gestiebat. Verum in eam temporis atroci-

tatem Michaelae incidit aetas, quum, Galliae rege e legitima sua sede exturbato, perduellionum opera, omnia tum humana tum divina iura penitus everterentur et cives cum civibus ferro inhumane décernèrent. Interrita periculis Dei Serva quotidiano sacro et coelitum pane prohiberi non tulit. Ideoque, hostibus ipsis mirantibus, ac obseptum transitum 'ultro expedientibus, singulo quoque die Michaela munitiones in aditu viarum extructas vel cum capitis discrimine superare non dubitavit, quo saepius sacro adesset et coelestes epulas regustaret. Quam fidem sic compensavit Deus ut tandem, publicis rebus compositis, duae familiae protestantica labe contaminatae, Dei Servae caritate, ad catholicam religionem traductae sint.

Iam quinquennio Parisiis exacto, divinitus provisum erat ut alibi exemplo ad virtutem Michaela praeluceret. Belgica legatio eius fratri interea obtigerat, qui Bruxellas domicilium transtulit. Dei Serva glosque eius iam illum sequebantur, quum infirma gloris valetudine iter interceptum est. Bononiam versus viam Michaela deflexit ibique aliquantum substitit ut omnia caritatis officia aegrotanti adhiberet. Verum illud temporis spatium satis superque fuit quod virtus Dei Serva in publicum ederetur. Impia de catholicis rebus opinio illas regiones iamdiu tenebat. Duo tantummodo templa extabant, ubi sacrae caeremoniae ex catholico ritu celebrarentur : quorum unum a solo vix inchoatum nondum perfici potuerat, pecuniae inopia. Id acerbissimum Michaelae accidit, quippe quae potissimam semper habuerit divinae gloriae propagandae curam. Itaque annulum (rem maximi pretii) quem, materni amoris pignus, summa religione servabat, praesenti pecunia vendidit. Sic munificentia eius templum absolutum est. - Neque caritati modus. In eo ipso deversorio, ubi Michaela morabatur, puella optimae indolis erat, famulatui addicta, in quam domina acerbius invehebatur, quod catholicam fidem profiteretur. Eius calamitate ad misericordiam commota Dei Famula, puellae patrocinium suscepit eamque, sumptu suo, pie probeque instituendam curavit.

Tot igitur virtutum instructa praesidio, Bruxellas venit, quae campus illi longe uberrimus extiterunt, in quo et dilatava spatia caritatis et multos collegit manipulos animarum. Atque in primis conscientiae moderatorem exquisivit, qui magna prudentia *ac* pietate praeditus esset: eumque piissimum ac ad omnia consilia prudentem invenit. Hic vero quum divino quo-

dam instinctu novisset quemnam quantumque thesaurum sibi custodiendum permisisset Deus, omnes suas cogitationes in ea ad perfectionem ductanda collocavit. Quaenam exinde sibi emolumenta effluxerint illud argumento sit quod, quamdiu Dei Serva Bruxellis degit, non modo precibus et corporis macerationibus assidue vacavit, sed numquam quiescere visa est, nullam infirmae valetudinis curam habere, unice de proximorum salute cogitare. Divina caritate rapta, ut laborantibus subsidium ferret, ab una ad alium domum se conferebat, mapalia teterrima, vel praeruptis gradibus imposita, superabat, ubique mira caritatis suae exempla relinquens. Et quoniam praecipua divinae gloriae propagandae cura ei erat, veluti iam antea Parisiis consueverat, templorum egestati provida sedulitate consuluit, praestantium matronarum conquisita opera ut sacras supellectiles compararen! Per summam liberalitatem communicatis subsidiis vel bonos mores populares fovit: christianas enim scholas aperuit optimamque magistras adiecit, quae curam omnem et ingenium ad puellas probe instituendas conferrent. — Inter tot divinae caritatis opera saluberrimum quidem fuit quod, erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum devotionis sensu mire affecta, sodalitatem perpetuae adorationis provexerit. Nocturnas divinae hostiae adorandae sibi constituerat horas. Ad multam noctem precibus vigilabat et siquando, ii, qui legationi praepositi erant, domum albente coelo sese reciperent, Dei Famula languido lumine illustrata, inter orandum hoc tempus transegerit. Ipsi vero rem ioco vertentes, sed tamen mirati « En (inquiebant) Michaela ad matutinos psalmos recitandos surrexit ».

Medio horum laborum cursu obtigit ut fratria, valetudine ingravesceret. Etiam Michaela nondum plane stomacho conva luerat. - Quum ad utriusque valetudinem recuperandam amoenioris coeli temperiem multum conducere medici suaderent, Bruxellis ipsa discessit, glorique itineris sese sociam adiunxit. In longa, quam suscepit, peregrinatione, Michaelae immutata parumper exterior vivendi ratio, non mutatus animus. Quot enim urbes adivit, totidem edidit documenta pietatis. Iter, quocumque pergeret, a Virgine beatissima auspicabatur, quo coram Deo et cum Deo deambularet. Nacta solitudinem et ad divinum amorem camporum amoenitate illecta, amori laxabat habenas et ad Deum ineensissimis adspirationibus sese erige-

bat. Quum nihil aliud nisi divinam gloriam in omnibus rebus spectaret, numismata sacra, imagines coelitum aere expressas, aliaque huiusmodi edere studebat in vulgus, quibus Christifidelium pietas excitaretur. Neque erga pauperes benignitatem suam remisit: magnam enim pecuniae vim in eorum commodum erogavit. Qua data urbe transibat, templa invisere, ibique diu orare gaudebat, aegre ferens siquando coelitum pane vesci non potuisset. Unde magnam gratiarum copiam hausit. Haud perperam enim pro fratria, prole carente, S. Francisci a Paula patrocinium invocavit eademque stomachi morbo, quo iamdiu afflictabatur, SS. Eucharistiae ope, mirum in modum convaluit.

At iam tempus properabat, quo Michacia in Hispaniam rediret: quae sicut eius virtutibus princeps theatrum fuit, ita maxime beneficia sensit. - Iam adeo secunda fama eius reditum praeverterat ut inter faustas amicarum voces effuso sinu exciperetur. Verum P. Carasa, qui Dei Famulae a confessionibus erat, innumera emensus pericula, quibus ipsa, pro nobilitatis ratione, obiiceretur, nihil potius habuit quam ut redeunti omnia perfectioris vitae impedimenta penitus submoverentur. Ideoque in primis eam nobilissimo matronarum coetui, qui id temporis christianae doctrinae tradendae Matriti maxime florebat, adscribendam curavit eamdemque proponendam sororibus. Invita, ex sua animi demissione, munus suscepit atque plures e sodalibus sibi primum adversarias nacta est. At brevi ea industria et caritate demandatum sibi munus implevit, sic omnes in sui admirationem traduxit ut vel ipsis, quas modo sibi adversarias experta esset, nunc, conversa mente, amantissimis potiretur. Infirmis etiam summo studio opitulata est. Erat in iis foemina, scatente lepra infecta, quae sola, sine ullo subsidio, manserat. — Dei Famula, quippe quae fervida caritate homines complectebatur universos, ita prorsus ut quos ceteri refugere aut superbius fastidire consuevissent, iis potissimum delectaretur, quamquam animus abhorrebat, omnia ei adhibere officia aggressa est. Quum olim igitur aegrotae suis manibus lectum sterneret eamque, apertis brachiis amplexata, arcte feueret, morbum inde ipsa contraxit. Non tristitiae se tradidit: minime questa est; gaudebat enim siquando, caritatis causa, obviam sese vel manifesto capitis periculo ultro offerret. Qua in re parem a Deo voluntatem accepit, quum prodigiose morbo discusso, praeter opinionem ipsa convaluit.

Verum, ut reliqua huiusmodi praetermittant, Michaelae animum ad misericordiam valde concitaverat popularium puellarum status, quae famulatui addictae, satis commode christianis praeceptis erudiri non poterant. Itaque scholas aperuit, quas singulo dominico die celebrarent, eisque totam operam impendit suam. Idque prospere atque uberrimo animarum fructu gestum est; siquidem, Episcoporum rogatu, similes famularum scholae pluribus in Dioecesibus ad Michaelae mentem institui coeptae sint.

At Dei Servae inexplebilis caritas angustis illius sodalitii finibus coerceri non poterat, sed ab illo sodalitio initium capiens brevi ad minores, atque etiam ad Ínfimos civitatis coetus, descendit. Unde tale institutum conflatum est ad hanc tempestatem mirabiliter opportunum, quo proiectae famae mulieres vel puellae periclitantes per poenitentiam coeno ac virginitatis amittendae discrimini ereptae, omnem maculam sibi inustam detergerent. - Huius instituti haec fuerunt initia. Erat Dei Serva adscripta piae societati a Nostra Domina Bethlemitica nuncupatae, infirmis in nosocomiis curandis. Officii sui causa, saepe saepius Nosocomium S. Ioannis de Deo visitabat, eamque matrona nobilis comitabatur. - Virgini innocentissimae ignara adhuc erant mala, quibus puellae pudicitiam, quae omnium rerum maximum ornamentum est, a se profligare non dubitant. Olim tamen, cum suis misericordiae muneribus perfungeretur, puellam aegrotantem in nosocomio nacta est, iamdiu ob corruptos mores paterna domo eiectam, a qua omnes casus et supremum harum mulierum finem audivit. Obstupuit Dei Serva atque inauditae calamitati illacrimata, puellam male actorum poenitentem parentibus restituit. At exinde maiora molita, Sodalitium mente concepit, quo deperditae puellae e nosocomiis exeuntes, virtute honestatae, bene moratis domibus famulatui reciperentur. In hoc opere omnium sanctissimo, mulieribus, nobilitate spectandis, usa est; quibus P. Carasa auctor accesserat. Parva, sed apta domus conducitur. Honori Virginis perdolentis ac septem gladiis transflxae, primum septem puellae hospitio recipiuntur; quibus praesens ipsa Michaela vel per noctem, tenerrimae matris ad instar, advigilabat. Res, quamvis penuria oppressa^ eo usque florebant ut vere domicilium pacis et divinae caritatis positum ibi esse videretur. Nec longa apud exteros mora eius studium erga adolescentem Sodalitatem restin-

xerat. Quotidie enim de instituti rationibus certior fieri voluit atque ut eius egestati consulere!, vel equum generosissimum alienavit. Nam quamdiu Dei Serva abfuit, semper Collegium secunda uti non potuit fortuna, praesertim quum eius collegii magisterium talibus foeminis demandatum fuerat, quae quamvis nobilissimae, tamen impares erant tanto oneri ferendo ac in contraria scissae studia aliae ab aliis secesseran!

Iam vix Michaela Matrinam reversa erat, quum subito matronae, illud obtendentes quod alumnae taediosa capita erant, desperataeque emendationis, itemque institutum inopia extrema quo citius dissolutum iri, rebus nuntium remiserunt, illico domo egressae. Sed non idcirco despondit animum Michaela aut Collegii procurationem dimisit. Unice Dei ope confisa, totum negotium in se suscepit acrius rei instans, quo alumnarum emendatio desperatior videretur : quod bene cessit. Aucto enim ad quatuordecim alumnarum numero domus amplior conducta est; quam praeterea Dei Serva sic ordinavit ac instruxit ut neque sacellum, neque supellectilem, neque demum quidquam, quod ad vitae usum pertineret, alumnae desiderarent. Atque ut inceptis quasi cumulus accederet, Moniales ex recentioribus ordinibus Collegio praefecit, natione Gallicas, quibus aptiorem regendae iuventuti neminem sese reperisse putabat. At spem fefellit eventus. Nam, veluti saepe in rebus humanis fit ut vel sanctissimae rerum, ingenio hominum, corrumpantur, invide Moniales in Dei Servam coeperunt agere, incertis dictis alumnarum inflare animos, malignum rumorem de eius arrogantia spargere. Acerbam id attulit curam Michaelae. Pressit tamen alto corde dolorem. Odium longiores progressus fecit quum Dei Famula aliquot dies domo aberat ut in solitudinem recepta piis exercitationibus vacare! Matritum redeunti ei nihil antiquius erat quam suum institutum invisere. Verum obstupuit quum sibi coram portam obtrudi vidit per vim ingressu prohibita. Viribus dolore fractis, voce ipsa faucibus interclusa, ante portam genibus occubuit. Forte oculi in iconem B. M. V. perdolentis inciderant, quae ex adverso pariete pendebat. Illius adspectu recreata, orat; eius opem appellat, qua sibi viam ad tale negotium peragendum sternat. Ne quid per iram aut inconsultius ageret, ad Toletanum Praesulem ac Pontificis Nuntium confugit. Diu cum ipsis consilium agitât: iis auctoribus, res civili potestati defertur: inde monia-

les eiectae: iustitiae partes integrae ita vero ut nihil Dei Famula de caritatis officio remisisset. —• Sic certa relictam uni sibi suisque dumtaxat humeris incumbentem molem constanter ferre, impavida instituti domum ingreditur, turbulentasque puellas, iam ad seditionem paratas, maiestate adspectus componit: deindeque, commodis exquisitioris vitae abiectis, illuc stabile domicilium transfert. Brevi, per summam prudentiam domus expurgata est ac puellae, quae Moniales in Galliam sequi vellent, demissae, ita ut omnia quieta esse viderentur.

Sed tamen ad cumulandam Famulae suae patientiam multa, Deo sic permittente, evenerunt. Fuere tum haud ita pauci iidemque nobilitate ac virtute praeclari, qui humanis rationibus metientes rem, aperte negarent collegium eo statu, nulla rerum meliorum affulgente spe, conservari ultra posse. Et quidam Michaelam temeritatis coarguebant, quae molem suis maiorem viribus (quam frustra adeo susceperant Franciscus Salesius, et Vincentius a Paulo, viri sanctissimi) sustinere pergeret, invitis quodammodo hominibus superisque. Odium acri mulierum ira alebatur, quae, ab illo opere dissociatae, insulsa dicacitate in invidiam Dei Servam apud reginam vocare gaudebant. Earum ardenti ingenio rumor quoque inflatus erat Michaelam de mentis potestate exiisse. Curio etiam, qui antea Collegii fautor studiosissimus erat, non modo omnem curam ultra dimiserat, sed olim ad institutum accessit ut divinum Sacramentum exinde transferre! quod si minime evenit coelesti Dei auxilio tribuendum fuit.

Verum Dei Famula, quae parum quidem praesidii in humana ope collocaverat, at in divina plurimum, perstabat obfìrmato ad omnes casus animo, ut non tam frangi, quam magis incitari difficultatibus videretur. Iamdiu de aliquo sacro ineundo ordine cogitaverat. At nunc magis inter orandum, subito divinae gratiae illapsu, se ad incoeptum opus sentiebat impelli atque simul ei olim maior humana vox exaudita est: *Perfiee opus, quod suscepistis hoc esse iubeo.* — Neque minus admirationis habet oblata divinitus Michaelae ipsi species, cum sibi videre visa est scalas vertice adhaerentes coelo, perque eas puellas innumeras ascensu ac descensu gradientes quum fastigio moniales, alba nigraque veste, indutae insiderent. Quae tamquam sibi indita interpretata, continuo abdicat se rebus omnibus: humiles induit pannos : caput calantica operit: sacramenti

figuram pectori imponit atque effusam Dei hominumque caritatem, quam celso erectoque animo amplexa erat, sociam sibi et comitem constituit in omni vita futuram.

Paulatim, Deo protegente, Collegium commodiori fortuna uti coepit. Vel ipsi, qui modo infensi erant, nunc mutato animo aut ad benevolentiam aut saltem ad admirationem descenderán! Alumnarum numerus ita coaluit ut proventu maior esset ac mutanda itaque sedes fuerit, quae crescentem multitudinem caperet. Quare auctoritatem eius secuta, cui animi secreta omnia aperuerat, rudimentum Sodalitii, quale sibi iamdiu adumbraverat, id ipsum ignara sibi, divino consilio perficere coepit, Ancillarum a SSmo Sacramento et a Caritate indito nomine. Brevi huic Instituto summa accessio honoris facta est. Rex ipse ac regina, quamvis multa accepissent, quae contra Collegii famam circumferebanlur, non ea crediderunt temere nec ob incertas improborum voces umquam mutarunt mentem. Atque etiam ut Instituti simul ac Collegii famam sarcirent, omnemque in posterum obtrectationi apud se aditum intercluderent, Michaelam saepe apud se esse, privatim eorum stipem largiri preces secum fundere, accedere vel discedere ex aula pro libitu, haec omnia, certa amoris significatione, voluerunt. A quibus rebus ipsa, propter summam animi demissionem, libenter abstinuisset. Cedere tamen' cogebatur, hortatu P. Claret, qui a confessionibus reginae erat et sanctitatis fama late florebat. Quippe Michaela adeo Principibus gratiosa fuit ut saepe nonnulla, quae in aula licentiora viderentur, eius virtute sublata fuerint. Regius favor magistratuum benevolentiam excita verat; inde Institutum, regiis iuribus assertis, publica etiam auctoritate recognitum est. Accedebant Toletani Archiepiscopi et Pontificii Nuntii incitamenta, laeta omnia Sodalitio comprecantium. Quibus rebus permota Dei Famula, scribendis novi Collegii legibus adiecit animum. Constitutiones vero, quas Sororibus regundis exarare incoeperat, immatura mors intercepit.

Sensit Matritum urbs, sensere remotiores etiam regiones quae beneficiorum vis in christianam civilemque rempublicam ex Instituto Dei Servae proventura esset. Hinc late excitari asceteria complura, quae a Dei Serva latis legibus responderent: hinc etiam magis de Michaelae sanctitate famam augeri. Brevi, tam altas defixasque radices Institutum egit ut ad de-

cem et ultra enumerarentur domus a Michaela conditae, quum vitae cursus ei morte interruptus est: ad sexcentum vero alumnae erant, extractae e luto vel a discrimine ereptae; quarum plurimae religiosa instituta professae, ad virtutis fastigium acri corporis maceratione perrexerunt. Felicitate quadam, nec sane fortuito obtigit ut interea Summi Pontificis privilegiis recens- Sodalitas cumularetur. Iamque prope aderat tempus quum amplissimorum hominum rogatu Pius IX solemni diplomate Congregationem probaret. Ad ea Michaela occurrentem suis votis providentiam Numinis admirata, iter Romam versus moliebatur ut, ante Apostolorum sepulcra prostrata, grati animi sui sensus Pontifici explicaret. At laetam spem succidit in ipsa ortu casus nec opinatus et maxime luctuosus, qui effusam Dei Famulae caritatem extremo, sed splendido tamen specimine,. demonstravit;

Iam lues teterrima, quam *asiaticum morbum* vocant, Valentiam urbem invaserai: cuius invalescente morbi vi, plurimi mortalium prosternebantur. Movit caritas Dei Servam incenditque sic ut magnae animae prodiga sese in medium discrimen coniicere non dubitasset. Ex aegrotantium congressu pestem et ipsa contraxit : sed laeta quod pro caritatis munere mortem contigisset oppetere, coelesti pabulo sustentata, in sororum sinu ad superos evolavit Nono Kal. Sept. anno 1865. Ut iustos aestimatores virtutis suae omnes aequales, quamdiu vixit, nacta erat, ita post mortem erga eam nullo modo deferbuit populorum studium. Ipsam vero validiorem, quam in terris, attulisse de coelo opem, augescente in dies magis Sodalitii fortuna et gloria, praeclare demonstratum est.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS

AC PRIMO

De heroica fide.

Omnino fidelis animus duabus rebus maxime cernitur, quarum una in interiori mentis adhaesione ponitur, qua mens ipsa omnia complectitur, quae a Deo tradita esse sanctissimae matris Ecclesiae auctoritas comprobant. Altera res est ut quum ita sis affectus animo ut dixi, res geras magnas illas quidem

et maxime necessarias, quibus fides interior proditur et aeterna salus comparatur. *Fides* enim *sine operibus mortua est.*

Harum duarum rerum splendorem omnem et amplitudinem Michaelae penitus insedisse animo certum est, si quidem merito ad eam illud transferri liceat: «la sua Fede era evangelica, capace di trasportare i monti d'una in altra parte e diede della medesima mostre sì manifeste, che non solamente la faceva conoscere per mezzo delle opere di virtù, nelle quali constantemente si esercitava, ma eziandio ne dava testimonianza pubblica per mezzo di parole ». Assidue Deo gratias agebat quod, fidei lumine illustrata, catholicae Ecclesiae gremio suscepta esset ac foveretur; idque de se vera cum gloria praedicabat. « Considerava come la sua maggiore felicità, l'essere figlia della Chiesa Cattolica, credendo fermamente e confessando ciò che essa crede e confessa ». Et quoniam Christus ipse summam auctoritatem Ecclesiae tribuendam esse statuit, illud Michaela assidue dictitabat: «Ancorché non ci fossero dei miracoli, nello stesso modo crederei tutte le verità che insegna la Chiesa ». Denique, « pensava, giudicava, temeva, amava ed operava secondo la Fede». Quid plura? Ut singula catholicae'fidei capita tueretur, invicto animo mortem obire cupiisset, quod quantum ad eximiam declarandam fidem valeat, nemo est qui non novit.

Verum ne haec flagrantis animi desideria parvi existimes et muliebri ardenti vertas ingenio, quod mutatur in horas, praeclaro documento extant aerumnae atque calumniae, quas in testimonium fidei libenter tulit. Si quis de eius patientia mirabatur: «tutto sopporto (inquiebat) con pazienza per la Fede di Gesù Cristo ». Iamvero christianae virtutis caput est generosa animi affectio, rerum arduarum ac difficilium patiens: cuius forma quaedam in cruce adumbratur, quam, qui Christum sequi malunt, onusto ferant humero necesse est. Michaela pro fide augenda, inter adversa, quam plurima instituta constituit atque inter tantam saeculi mollitiem fastidiumque, horrido cultu ac aspero incedere, insanorum hominum ludibria sustinere non dubitavit. « ColFabito umile di adoratrice vestita e portando per calzari delle ciocie, presentavasi nel palazzo reale, e soffriva con allegrezza, per dar testimonio dell'Evangelo di Gesù Cristo, i bisbigli, i sorrisi e le offensive arguzie dei cortigiani ». Talem autem animum, quem paratum habuit ad supplicia mor-

temque pro fide christiana perpetienda, semper, data occasione, aliis etiam adiungere studuit. Etenim « incoraggiava ed esortava tutti a morire per la fede divina ». — Qui etiam Sodalibus vota nuncupaturis simulacrum Christi cruci suffìxi (singulare insigne ordinis sui) numquam tradere voluit, nisi prius certo sciret easdem ¿paratas esse potius imminentem mortem oppetere, quam a fide Christi Servatoris nostri desciscere. Quapropter saepe sciscitari solita erat num siquando Saraceni pro fide abiicienda instarent, ipsae, in capitis discrimen adductae, trucidari maluerint, quam Christi simulacrum prodere. Atque interdum aestu fidei abrepta, uberibus sententiis commovebat animos, ad id martyrum exempla petens, qui neque blanditiis allici, neque frangi, debilitarique tulerunt, sed, spreto inani deorum numine, impavidi pro Christo mortem obierunt.

At ea quae Martyrum fidem aemulabatur, magnos etiam apostolorum animos a primula aetate muliebri pectore gessit. Adhuc enim puella, aequalibus puerulis domi congregatis fidei elementa tradebat easque ad christianae legis mysteria informabat, supra quam illa aetas ferre potuerat, Aetate vero confirmata, sive apud exteros peregrinantur, sive in Hispania manserit, curavit totis viribus coelestis doctrinae copiam in christianum populum effundere ut quam plurimi divinum nomen melius agnoscerent et agnitum sanctius colerent. Saepe eam cives in nosocomiis et publicis custodiis deprehenderunt intimas e plebe mulierculas edocentem signo crucis se munire ac saepius etiam lacrimis diffluentem siquando ehu! tales nacta foret, quae hoc venerabile signum nescirent. Tum denique tam ferventibus fidei sensibus rapi visa est ut vel in itineribus, quae per viam stratam ferro confecit, tempus, quo plerique homines legitima oblectatione sibi reiiciunt animos, ipsa in cathechesim edocendam transferret. « Nelle fermate delle stazioni della strada ferrata, come quando viaggiavano in vettura o diligenza, interrogava ed insegnava la Dottrina cristiana agli impiegati, conduttori ed inservienti; li eccitava all'amor di Dio ed al pentimento delle loro colpe; gli regalava medaglie, fogli volanti e libriccini di pietà e tutti l'ascoltavano con attenzione, l'udivano con piacere e ricevevano con umiltà i libriccini di pietà, e le medaglie, e promettevano fare tutto ciò che consigliava loro ». Qua in re summam sibi famam pepererat. Ubi primum enim in urbem Zamoram se contulit, innumeri pueri ex

ìnfima plebe venientem multis gratulationis signis excepere, qui a latere eius sese divelli numquam siverunt donec Episcopi palatium ingressa est.

Quae cum ita essent nullam movet admirationem quod in familiaribus ac privatis colloquiis semper integritas fidei emineret. Perspicuitate prorsus admirabili et suavi concinnitate verborum de rebus coelestibus disserebat; et si interdum causae inciderent necessariae cur sermo alio deflecteretur, subito ipsa unde digressa erat, regrediebatur. Hinc facile coniectari licet quonam mentis obsequio divina venerabatur mysteria. Quorum in primis SSmae Trinitatis mysterium ei in deliciis erat. Eius honori quotidie preces fundere consueverat, saepe formula Trisagii adhibita; quam a Sodalibus etiam singulo quoque die recitari voluit. Si quae calamitas immineret, SSma Trinitate invocata, ingruentia mala deprecabatur. Non modo tum crebris sermonibus, tum litteris Christifidelium erga tam divinum Mysterium singularem pietatem excitavit et fovit, sed a spectatissimis etiam foeminis ac illustribus viris mutuata opera, Sodalitatem instituit, quam SSmae Trinitatis honori dedicatam voluit. Quae vero adeo nunc floret vigetque ut nomine ac iure Archisodalitii donata sit.

Cum tanto amore ferverei in illud mysterium, quod totius catholicae religionis fere caput et fundamentum est, naturali itinere erat consecuturum ut ea mysteria, quae Christum respiciunt, facili pronaque mente complecteretur. Ideoque nomine Iesu summopere delectabatur. Nec modo illud saepe invocabat, perinde ac si ex eo summam dulcedinem degustaret, sed etiam eius honori festivum diem, maxima qua poterat solemnitate, peragendum curabat. Praesertim vero Iesu Christi cruciatus moestitiae sensu miserabatur: eos mente saepe recolere, de iis habere ad sodales sermonem solebat quum interim ore excandesceret nec lacrymis temperaret. Ut assidue redemptionis pretium ob oculos versaretur, neque ex mortalium mente divini amoris memoria excideret, Christi cruci suffìxi simulacra quam plurimis in locis ponere studebat. Si quando vero pium exercitium, quam Viam Crucis vocant, perficere aggrediebatur, tanta contentio corporis animique erat ut Christum praesentem sibi videndum obtulisse dixeris. Vox faucibus torpebat, lacrymae profluebant, precum libellum sodali proximae tradere cogebatur, quae pium exercitium ad exitum perduceret.

Erga Eucharisticum Sacramentum ferventissimis religionis sensibus ferebatur: atque etiam (ut ita dicam) omnium suavissimae deliciae hoc illi Sacramentum fuere. In ipso enim posuerat *gli amori dell'anima sua.* Quibus modis haec inexplebilis fides sese portendere, longum ac difficile dictu est. Ad aram ibat ac redibat assidue: nulla vis eam seiungere poterat. Maxima tunc animi et corporis ad Tabernaculum contentio erat: maius gaudium, maiores deliciae, quo propius ad Christum accederet. Genibus flexa vel alta sub nocte horas integras non movebatur loco: extra sensus rapta, Angelo similis esse videbatur. « Rimaneva lì, come assorta in estasi, immobile e con si profondo raccoglimento, che non pareva trovarsi in questo mondo ». Si vero solemnes ad quadraginta horas supplicationes haberentur, vestes ipsae celeres cordis impetus male occulebant, qui intus contineri non poterant. Tunc crebrae, brevesque sententiae e fidei quasi pharetra depromptae sese prodebant: «Ohimè, Amor mio! Oh! potessi star sempre come una vittima dinnanzi a Voi! » Ad pedes saepe per hebdomadam Dei Ministri provoluta, animae quascumque maculas contraheret, sollicite tergebat neque ullo pacto patiebatur coelesti pane quotidie prohiberi. « Comunicavasi tutti i giorni col fervore di un Serafino, e quando soffriva di emicrania si alzava per ricevere il Signore e di poi tornava a letto ». Vel in itineribus, quae suscepit, ab hac pia consuetudine nunquam recessit. Dies festos, qui SSmo Sacramento excolendo haberentur, longa prece antevertebat. « Il giorno del Giovedì Santo (testes referunt) e del Sacro Cuore di Gesù, si infiammava d'una maniera straordinaria: le si accendeva il volto con un color rosso così pronunziato, che attirava la nostra attenzione ». Quando vero corpus Domini Nostri Iesu Christi solemni pompa circumferebatur, tunc spectaculo commota, exsilire, extra se rapi, insanire prorsus prae gaudio videbatur : « sembrava impazzita dalla contentezza ed allegria ». Ita cum aures illud penitus callerent *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore tangueo,* flores manibus dabat plenis, dum Sacramentum circumferebatur et bene olentibus aquis aerem late circum complebat.

Ceterum, omnem datam occasionem arripuit ut SSmi Sacramenti cultum augeret. Omnia, quae pretiosa habuit, vendidit atque argenteam thecam emit, qua salutaris hostia populo adoranda proponitur. Summopere ei cordi fuit ut supplicatio-

nes publicae ante Sacramentum Augustum ad horas quadraginta quo saepius celebrarentur in templis. Quid multa? Instituti sui causa nonnisi ex aestu caritatis repetenda est, qua SSifium Sacramentum prosequebatur; ei perpetuo adorando primas leges tulit; Sodalitii insigne Sacramenti imaginem esse voluit; easdemque Sodales- mulo alio nomine quam Ancillas SSmi Sacramenti appellari iussit. Adeo parietibus cuiuscumque religiosae domus hanc sententiam incidendam curaverat: « Lodato sia il SSmo Sacramento », qua salutatione sodales mutuo se consalutare etiam edixit: neque epistolas unquam misit quin latere epistolaris charta Sacramenti referret imaginem. Tum denique si quis a me petat cur a *Sacramento* Dei Serva vocari voluerit, ipsam loquentem inducam : « lo aveva adottato acciocché risuonasse continuamente nelle sue orecchie e le servisse di stimolo per più amarlo».

Hinc manabat obsequium quo tempia venerabatur. Mira profecto hanc in rem de ipsa narrantur. Enimvero quanta modestia in templis oraret iam supra patefactus est locus. Illud ei in memoria penitus insidebat ibi Deum praesentem magis hominum exigere venerationem; quapropter vel externo corporis habitu adorantes angelos orando imitari contendit. Erant multi qui, in eius admirationem traducti, clamabant: «pareun Cherubino » « soltanto il vederla ispira rispetto e venerazione ». Nec satis. Eosdem obsequii sensus, quibus tempia Dei Serva excolebat, ut alii etiam foverent sedulam dabat operam. Ideoque Sorores (nisi iusta de causa) sedere in templo acerrime vetuit: vel minimum rumorem reprehendit: ut exterior habitus tum Sororum, tum alumnarum loci dignitati responderet, summopere vigilabat. Qua in re inexorabilis erat: ad unam lustrabat dum se in templum conferebant. Saepe etiam exemplis utebatur, ut Moniales ad cultum templorum excitaret, neque raro, si quando causae inciderent necessariae, obiurgationi pepercit. Quae praecepta quam penitus animis suis mentibusque mandassent Sorores, ex eo coniectari licet quod Sodalitii templa summo nitore prae ceteris commendantur.

Domesticum sacellum adeo curavit, ut id gemmarum nitorem referre videretur. Ante principem aram lampadem perpetuo igne alendam collocaverat ex argento atque cordis ad instar confectam, quae vividae fidei perpetuo vigilantis veluti signum ostenderet. Nihil, quamvis pretiosissimum, dignum

quod Sacellum ornaret, unquam putavit. « Voleva che tutto quanto ciò che doveva trovarsi in contatto con la divina Maestà, come i Tabernacoli, Pisside, calici e corporali, fossero la cosa più ricca, delicata e preziosa che potesse esserci ». Dies cedat si omnes industrias commemorare velim, quibus ea omnia parabat, quae sacro faciundo inservirent. Panem ac vinum, divinorum verborum vi, in Christi corpus et sanguinem convertenda, lectissima omnium rerum esse volebat. Ad hostias conficiendas apta instrumenta erant, separatim ac religiose servata. Lintea sacra suis manibus intexebat per summam reverentiam e colo filis deductis. Vel illud provida mente caverai ut sacrarii custos nonnisi certis quibusdam crepidulis usa, altare ascenderei. Moleste ferebat si quis lintea in templis haud munda ad rem sacram adhiberet; atque ut id in posterum averteret, eadem in Asceterio ablui iussit, quaecumque essent, mercede remissa. « Se io potessi prendermi cura di tutte le Chiese (haec verba eius) lo farei con molto piacere».

Profecto quidquid erat in se industriae, operae, curae, diligentiae atque adeo pecuniae, id totum ad templa, inopia laborantia, convertit. Litterae praeclarissimorum hominum testimonio extant effusae pietatis, qua supellectiles sacras in suo Sodalitio conficiendas instituit. Curiae innumerae casulis, talaribus ac albis sacerdotum vestibus, stolis, aliisque rebus, quibus ante egebant, instructae sunt. Atque illud etiam singularis exempli accessit quod in decore divinae Domus provehendo, quidquid pretiosioris habuit, profundere non dubitavit. Denique, ut paucis complectar, divini cultus studio adeo incendi sensit ut optata sibi omnia bene contingere putaverit, siquando domesticum sacellum suis manibus verrere posset.

Quia vero *Deo credit, qui Sanctis suis credit, in quibus loquitur Deus,* summa veneratione coelites prosequuta est. Primum autem augustissimam Dei Parentem pio cultu honoravit, quam ut ipsam sibi pro filia adscriberet, post genitricis mortem, enixe rogavit. Exinde non modo Virgini beatissimae omne obsequii genus detulit, sed totam se ad Eius voluntatem nutumque convertit. Quod labis nescia concepta esset summopere gaudebat : eam perdolentem precibus solabatur atque ut digne Eius dolores excoleret, Sodalitium instituit, cui septem primum lectissimas foeminas praefecit, totidemque ibi puellas hospitio excepit. Atque etiam illo titulo maxime omnium dele-

ctabatur Beatam Virginem vocare «Nostra Signora degli Abbandonati », ac Institutum ipsum sub eius voluit esse tutela. Nullum umquam iter suscepit, nisi prius Mariae augustissimae nomen invocasset: nullum locum adiit quin templa, eius honori dicata, non invisisset. Si quid operis incipiebat, id nomine Mariae auspicabatur. Quae ex animi sententia cedebant, omnia prorsus Virgini benefìcientissimae referebat accepta. — Eam saepe in die iaculatoriis precibus invocabat : eius honori salutationes marianas decurrebat, ieiunia agebat, corpus acerrime afflictabat.

Neque umquam Dei Serva quievit ut ubique Virginis cultus excitantur. Non modo enim eam ab alumnis atque a Sodalibus invocari voluit ad singula diei spatia, sed, consulto occasione quaesita, Eius explicabat mysteria atque in materna Virginis bonitate perfugium petendum esse docebat. Dies festi vero, qui Mariae augustae Dei Parenti sacri dicatique haberentur, gratissima ipsi recordatione succurrebant: ideoque insolito apparatu celebrabat. Graviter contra afficiebatur et magnam lacrymarum vim perfundebat si quando impias in eam voces iactassent aut si quid minus honoris adhibuissent. — Inter alios coelites, beatum Iosephum, castissimum Virginis sponsum, implorare praecipua pietate et fidenti animo insuevit: eademque validissimum S. Francisci a Paula praesidium experta est, quem *domestici thesauri custodem* a Sodalibus invocari iussit. — S. Ignatium, societatis Iesu parentem eximie coluit: itemque sanctam Theresiam, Mariam Magdalenam, Ritam a Cassia et Franciscum Salesium, cuius imaginem, morum suavitate, in se referre studebat. Summam etiam reverentiam Angelis tutelaribus adhibuit, quorum patrocinium pro rerum difficultatibus imploratum, sibi suisque praesentissimum sensit. Denique, cum longum sit omnia persequi ad unum, coelites omnes, sibi veluti totidem singulares patronos adsciverat, illud pro certo habens coelitum gloriam ad Dei gloriam penitus redundare.

Quoniam vero inter fidei capita, ea etiam credenda sunt, quibus docemur teterrimum ac obscurissimum carcerem esse, ubi perpetuo et inexplebili igne improborum animae simul cum immundis spiritibus torquentur, contra daemonum conatus Dei Serva assidue sese lustrali aqua muniit. Sive staret, sive peregrinantur, eam semper, tamquam victoriae pignus, adhibuit atque piissima consuetudine véhicula et homines, impio ore in

Deum sacrilegos, aspergere lustrali aqua consuevit. — Praeterea est purgatorius ignis, quo piorum animae ad definitum tempus cruciatae expiantur. Summa pietate in eas Michaela commota, tum suas tum aliorum preces adhibuit, ut eis quo citius aeternae patriae pateret accessus, inquam nihil coinquinatum ingreditur.

Eodem lumine et ardore fidei, quo animum Deo ac coelitibus omnibus Dei Serva adiecit, etiam militantem Ecclesiam amplexa est. Itaque Romani Pontificis placita vel cuiuscumque in Ecclesia auctoritate pollentis quasi divinae vocis oracula excipiebat. Sacerdotum manus, genibus flexa, osculabatur, in eis Christi vim et quasi numen adorans. Episcopos tamquam Dei interpretes, qui eius nomine divinam legem homines edocent, Michaela venerata est: atque eorum obsequium ab aliis quoque exegit acerrime illos exprobrans, qui non prompto animo Episcoporum iussis obtemperarent. Ipsa vero vel in iis rebus, quae magis ingenio suo adversarentur, simplici animo, inexploratis causis semper obediit, puerorum ritu, qui ab ore parentum pendent atque se prorsus ad eorum nutum effingunt. Tum denique, quum Romanum Pontificem totius orbis moderatorem ac patrem veneraretur, sacrilegae vi ingemuit ex civili earum provinciarum dominatu ipsum Pontificem exturbanti, in quibus divinae Sapientiae consilium Romanos Antistites iampridem collocaverat. Renuit exinde regiam aulam celebrare atque omnem consuetudinem cum regina disiunxit, quae usurpatas Apostolicae Sedis possessiones, reipublicae causa, ratas habere non dubitaverat.

De heroica Spe.

Ex fide spes, tamquam aqua e fonte, fluit; atque eo certior sublimiorque spes, quo eminentior ac magis inconcussa fides. Dilaberetur enim ex animis de beata immortalitate fiducia, nisi certa iis de Dei promissione foret adnexa suasio.

De Michaela Dei Serva constat eximiam habuisse spem. A divina enim misericordia praesertim ac sanguine Christi, unde aeterna salus hominibus parta est, orbe de servitute redempto, immortalis vitae praemia mereri ac consequi sese palam profitebatur. Quia vero quo acrior sensus est, eo facilius aliorum commovet animos, inertes accendit et in omnem par-

tem convertit, hinc omnium fiduciam eloquio suo excitabat Dei Serva ut omnem salutis rationem in unius Dei bonitate atque clementia reponerent. Si quae ex sodalibus erant tentationum fluctibus agitatae, eis subito suadebat ut in precationis portum confugerent: ac Christi simulacrum, quod semper in laeva vestitus manica gestare consueverunt, manibus attererent atque omni spe in eius benignitate collocata, illud pro certo haberent fore ut ex hiantibus Satanae faucibus liberarentur. Plurimum etiam ex Virginis patrocinio sperandum esse iubebat atque vel in rebus, quae ad cultum vitae rationemque pertinent, ut Sorores ad Deum confugerent summopere hortabatur. Si grave negotium obirent atque consilia deessent, ad Deum eas mittebat ut genibus flexae in sacello necessarium lumen acciperent. Quae omnia quantum valeant ad virtutis excellentiam declarandam nemo est qui non novit.

Qui divitias Christi perspexit, eius animus a terrenis omnibus abstrahitur. Hic prae illis omnia contemnit; huic facultates, honores, opes sordescunt; penitus menti insidet praeclara Pauli vox: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Talem animi celsitudinem Dei Famula ostendit, quae aeternae gloriae sitim neque cogitatione explere, neque sermone poterat. Divitias, nobilissimum gentis locum, honores, tum denique omnia pro Christo impavida sprevit. Vel ex altissima nobilitatis sede ultro descendit ut sese immisceret foeminis luto inquinatis eisque ad ascensum virtutis manus arnicas porrigeret. Christi vestigiis institit, ideoque a primula aetate non suam sed Dei gloriam spectavit. Atque ubi primum illud intellexit «che di già Gesù Cristo aveva tracciata la-forma e la miglior maniera di procurare la gloria del Padre celeste, soltanto per questi desiderii abbandonò i favori e le comodità della fortuna e, prendendo la croce di Gesù Cristo, non cercò mai più altro che soffrire e patire nel mondo ».

Verum neque convicia, neque animi angores, neque calamitates exoptanti Dei Servae animae defuerunt. Id in Instituto suo condendo maxime innotuit. — Quod puellas e sordibus ac coeno sublevaret atque Satanae faucibus eriperet, easdem virtuti coeloque transcribens, hoc ei maximam tum hominum, tum Averni concitavit invidiam. Haud raro enim factum est ut amasii, Dei Servae opera, vetitis amoribus frustrati, virus furentis acerbitatis suae in eam effunderent, quae, saepe in capitis dis-

crimen adducta, Virginis invocato patrocinio, evasit incolumis praesenti ope. Accedebant, quae acerbissima putantur, regiae aulae ludibria; fastidiosa alumnarum capita, quae interdum rebellione secesserunt: monialium odium et machinationes, quas Instituto adolescenti praefecerat. Adiungebantur mulierum irae, quae incepti operis supremum diem quo citius venturum esse canebant, atque ab ea omnino discedere voluerunt: praeiudicatae bonorum opiniones, qui Dei Famulam pervicacitatis nota arguere non cessabant. Curas auxerant paupertatis angustiae, omnium rerum labor et fere necessitas, quae cuiuscumque hominis fortissimi despondissent animum, non vero Dei Servae. Haec enim suae spei veluti arce munita, frangi aut deiici umquam de suo statu non tulit. Quae Deo unice conflsa susceperat, ad exitum nullo perturbata eventu perduxit. Quo difficilior res eo promptior animus, cohtentio maior. Licet omnia mala ingruerent, speratam palmam non patiebatur sibi in manibus eripi. Plus semper pati cupiebat. Omnino enim voluit se dignam diva Theresia praebere, « che da fanciulla sospirava per la palma del martino e che con la grazia di Dio, si trovava disposta a spargere il suo sangue, non solo in difesa della Chiesa, ma pure per la più piccola delle sue cerimonie». Quin etiam paupérrima, contumeliose illusa, repudiata a suis, veriorem Iesu retulit speciem, qui nec tantum voluit habere locum, quo caput reclinaret.

Saepe in humanis illud fit ut extrema fortia occupet arroganza ac sui ipsius nimis fidens opinio. Huius vitii expers omnino Dei Serva fuit, quae nihil umquam a se, a Deo autem omnia ac unice expectabat. Saepe hisce vocibus clamabat ad Iesum: « Quantunque sono una grande peccatrice, confido nel vostro sangue». Profecto illud sibi persuasum erat Deum omnis bonitatis auctorem ac fontem esse; hominum vero uti opera ad eorum, consequendam salutem. Exinde Dei Serva probe intellexit « che tanto per la salvezza delle altre anime, come per quella della sua propria, era assolutamente necessaria la cooperazione dei propri meriti, allo scopo d'assicurare vieppiù la speranza di salvezza, mediante quelli di Nostro Signor Gesù Cristo». Cum memor esset Deum, natura sua, ipsa per se beatissima, nullius rei indigentem esse atque cum perpetuo auribus resonarent verba Davidis aientis: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,* dicebat nihil creatum hominem

(seguitur)

valere nisi divina gratia nitatur, ideoque summopere hominibus adlaborandum esse ut pro virili parte Christi meritis responderent. Itemque addebat ut adiutores essent homines oportere ac administri Dei gratiae in eo tenendo cursu quo pervenitur ad coelum. « *Chi senza di noi ci creò, non può salvarci senza noi*». Praeclaram quidem vocem, dignam ut marmoreis monumentis incideretur! Itaque nullum subsidium neglexit, quo ad aeternam salutem accederet. Et primum ad precationem, tamquam ad unam omnium optimam et indigentiae nostrae interpretem, confugit. Orabat assidue atque oculos saepe ad coelum convertens, suspiriis et lacrymis patriam suam inhiabat. Deindeque vero poenitentiam plurimi fecit, unde motus ille timoris consequitur, quo animus, suppliciorum acerbitate et Dei maiestate sibi prae oculis proposita, a peccatis penitus revocatur. «Per tutti i mezzi di orazione e di penitenze e col vincere sé stessa, domandava e lavorava per la sua eterna salute, non scoraggiandosi innanzi alle difficoltà e molestie, perchè era convinta del detto di S. Paolo « *tutto posso in Quello che mi conforta* ». Sic filiorum timore, non autem servili ad Deum accessit, quae spes omnium suavissima est.

Haec cum ita essent, nihil admirationis habet quod eximiae huic spei saepe prosperi respondebant eventus. « Ripetute volte nelle sue strettezze fu soccorsa per mezzi inattesi ». Vix Matriti Sodalitium institutum erat, quum omnia ad vitae necessaria deesse coeperunt. Ne cibus quidem suppetebat, quo alumnae sustentarentur. Oravit Dei Serva ac opportuno tempore inopina subsidia recepit. Olim porro nummus unus reliquus erat. Pauperi stipem quaeritant] vel illum unum ulla sine dubitatione dedit. Querebatur quaedam sodalis, nimiam hanc liberalitatem exprobrans. At paulo post suis oculis vidit quanta liberalitate Deus spem certam Servorum suorum rependat. Sed exemplis sit modus, quum plenae exemplorum sint iudiciales tabulae. Hoc unum adimplere Michaela sategit, quod Christus ipse mandaverat: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis.* Merito quidem tantam vim et copiam coelestium munerum regno Dei contineri aiebat ut illud omnia complectatur, quae ad corpoream ac animi vitam tuendam sint necessaria. Numquam nos deserit Deus, dummodo Deum nos ipsi non deseramus: quia Deus omnium hominum idemque omnium misericordiarum pater est. Haec

mente volutabat Dei Serva, haec dictis et opere confirma vit: spes eius igitur omnibus numeris absoluta fuit.

De heroica Caritate in Deum.

Caritas, ex Apostoli sententia, omnium virtutum longissime princeps est. Non modo enim per ipsam homines, quamquam infinito naturae intervallo a Deo seiuncti, arctioris amicitiae vinculis Deo ipsi cohaerent, sed etiam, post hanc mortalem peregrinationem, haec eadem virtus homines deducit et comitatur in coelis suique ardoris flammam ibi puriori igne et maioribus viribus auget.

Hoc celsissimo caritatis munere, cuius altera pars diligentiam spectat in divinis praeceptis obeundis, altera vero in coniunctione cum Deo consistit, perfectissime Michaela functa est. — Re vera avide omnem temporis opportunitatem arripuit, qua tum divinis, tum ecclesiasticis legibus pareret. Toto pectore enim eo incumbebat ut servaret « con la maggiore religiosità tutti ed ognuno dei comandamenti di Dio e della santa Madre Chiesa ». Quod si forte rumor ad aures pervenerat alicubi divina praecepta sperni, non modo, quum posset, id aperte damnabat ac delinquentes debita mulctabat poena, sed ipsa ut illatum divinae gloriae detrimentum sarciret, magnam vim lacrymarum perfundens, flagris corpus innocentissimum cruentaba! Et quoniam illud caritatis officia postulabant ut quas leges instituto suo condendo tulisset, ipsa ed exemplum teneret, Sodalitii sui leges nullum parem habuerunt cultorem. Ideoque sodales ex eius exemplo vitam suam instituere solebant, atque quum ipsa, disciplinae vindex, tenacissime advigilaret ne abusus irreperent, res omnes divina caritate et perfectioris vitae studio late florebant.

Humanam agendi rationem cuiusque mens animusque movet atque ex diversa animorum affectione, tamquam ex radice arboris fructus, bona aut mala procedunt opera. Michaelae, quae id plane cognoverat, haec assidua voluntas ac sententia fuit ut consilia, cogitationes, mens, animus, tum denique omnia, recta forent atque assidue Deum spectarent, ex quo iuste perfecteque se ageret. « Era tale la sua purità d'intenzione che fino le cose più insignificanti le faceva per un motivo soprannaturale ». Atque quod magis arduum perfectumque esset, id, certa placere Deo, aggredi ac forti animo persequi omnino con-

stituit. Quibus cautionibus adhibitis, vel minimae saepe res eam magno afficiebant timore ne ipsi causa forent cur passim Deum offenderet. Quapropter « *respiravano le sue opere una perfezione straordinaria* e col suo esempio ed istruzione infondeva il desiderio di far tutte le cose soltanto per compiacere il Signore ». Hinc ne mireris quod, tanta alacritate adhibita, integrum inviolatumque innocentiae candorem ad obitum usque servant.

Neque tamen divino timore caritas divina restinguitur : altera ab altero invicem mutuata subsidium, perfectior ac curnulatior splendei, veluti aurum igne probatum vividiore luce corusca! — Michaela tam fervido amore in Deum rapi sentiebat ut non modo diuturna cogitatione intimum caritatis sensum explere non posset, sed animum ad amandum latiorem amplioremque sibi dari cupiebat. « Si lamentava di avere un cuore troppo piccolo e diceva che desiderava averlo più grande per amare più Nostro Signore... Sospirava con qualche difficoltà, quando parlava delle cose divine... il suo petto era piccolo per contenere un cuore che era grande verso l'amore divino ». Ignis ardentissimus quo intus flagrabat, foras sese prodebat; quapropter vel exiguas vestes omni tempore anni sat habuit atque adeo « nell'inverno si lagnava di aver troppo caldo e.... voleva come ingrandire il corpo dell'abito, perchè pareva che non potesse contenere qualche cosa, che aveva in petto ». Inde necessario consequens erat ut caritatis aestum precibus exhalaret, quibus, tamquam sagittis ab arcu emissis, sese animus coniiciebat in Deum. « I sospiri, giaculatorie, lacrime e l'infiammato colore del suo viso dimostravano il gran fervore dell' anima durante la preghiera ». Diu genibus flexis, in coelum intentis oculis, orabat immota atque mirabantur omnes quod tamdiu, veluti sensibus abrepta, in orando defixa perstaret. Diu noctuque, ante oculos Christi praesens obversabatur imago, a qua neque mundanae illecebrae, neque aulae rumores, neque in sodalitio condendo exantlati labores, neque angustiae eam distrahere potuerunt. « Pareva che i disgusti e le sofferenze fossero... ali che l'avvicinavano sempre più a Dio. Mai decadeva il suo fervore e quanto più soffriva, più ore d'orazione faceva ». Ut rem paucis concludam, nescio quid coelestis dulcedinis in ipsa erat, atque sodales in eius admirationem raptae, tantum precandi habitum imitari aggressae, aequare desperabant.

Porro a vero non aberraret siquis dixerit Michaelam inter orandum solidam traduxisse vitam. Fundendi preces nullum intempestivum tempus. Primam lucem, ut sacris interesset, solertissime antevertebat; meridio ipso eam orantem deprehendebant sodales: decedentem diem precibus salutabat, quas altam in noctem producere consueverat. Neque itinera, quibus, uti plerumque fit, ceteri de solivagae statu vitae deducuntur, eam minime ab orandi recessu avocabant. Ex omni enim loco causam sumebat cur ad Deum erigeretur animus atque certa quaedam, quae sibi constituerat intra diem precandi spatia, itinere numquam omisit. Et quoniam precationes nostrae eo plus valent ac magis Dei gratiam conciliant, quo mens, sensibus abrepta, arctius Deo ipsi adhaeret, diu persaepe divina beneficia studiose cogitabat et precum formulis, quae labiis funduntur, precationes mente conceptas addebat. Sic vero sustollebantur preces eius, *sicut incensimi in conspectu Dei.* Et quia (ex divi Augustini sententia) *ascendit precatio et descendit Dei miseratio: licet alta sit terra, altum coelum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam,* tantam Michaelae preces iucundissimam utilitatem habebant, tantam vim ut manifeste coelestium donorum amplitudinem et sibi et aliis consequeretur. Ideoque, quavis premente necessitate, plurimum ei oranti fidebant sodales, quae palam testatae sunt: «intorno al frutto che poteva ritrarre dall'orazione.... visibilmente la si vedeva avanzare nel cammino della perfezione e sì sicure eravamo della efficacia della medesima, che, nella necessità, quando la vedevamo entrare nella Cappella, eravamo pienamente convinte che si rimedierebbe alla necessità o si sarebbe allontanato il pericolo ».

Ardentissimo orandi studio consentaneum est fervidum obsequium in christianae fidei mysteria, quae omnia Michaela summa alacritate excoluit. Profecto cur Deum amemus potissima causa est quia ab ipso creati sumus; sed tamen illud opus redimendi hominem sic eminet ut beneficientissimus Deus parensque noster, per summam in nos benignitatem, amoris causam hoc beneficio cumulatam illustrant: *Videte qualem caritatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus.* Hoc redemptionis pondus, quo spiritum sanctum accepimus et Dei gratia dignati sumus, saepe meditabatur Dei Serva, et quum imaginem Christi cruci suffixi respiceret, illud satis erat ut ad

lacrimas moveretur. Ea amoris vis est ut si quem diligimus is afficiatur angustiis, suos casus conqueramur cum ipso. Saepe igitur Michaela, Christi cruciatibus tacta, sermonem de illis cum sodalibus serebat, atque uti ipsae testantur « la considerazione delle pene, che N. S. Gesù Cristo soffrì per noi, l'affliggeva in maniera tale che versava delle lacrime, che ci edificavano ». Pio exercitio, quod Viam Crucis vocant, Christum Dominum per Calvarium montem comitari delectabatur. At saepe prae dolore vox faucibus haerebat et perinde ac si eius cruciatuum vim ipsa sentiret, sensuum facultate defici videbatur. — Precationum certas quasdam formulas, quinque Vulnerum honori conceperat, easque rite probatas non modo cum sodalibus quotidie recitabat, sed in lucem editas in vulgum propagandas curavit. — Atque ex eius caritate in Christum cruci suffixum, pius ille mos repetendos est, quo Michaelae alumnae imaginem Christi ipsius in manica gestare solent. Tum denique quo propius Christo accederet, eumque pressius imitaretur, patiendi quamvis allatam occasionem cupida arripuit. Flagris cruentari maxime delectabatur, eo pro viribus intendens ut omnes aliquid pro Christo ferrent. Ideoque sodalium animos his verbis excitabat: « Che l'amore si prova nel soffrire per l'oggetto amato ». Et quum illud penitus menti insiderei eum qui passus est, Deum esse creatorem, pro iis, quos ipse condidit, Dominum pro servis, per quem angeli, homines, coeli facti sunt, ex quo omnia moventur, haec emensa «Ahimè! Figlie mie, {inquiebat), non abbiamo ancora sudato sangue per N. S. Gesù Cristo ! Che cosa mai facciamo per esso? Nulla o ben poco facciamo! »

Ineffabile caritatis pignus, quod Christus dedit nobis rediturus ad Patrem, Eucharistia profecto continetur. Et quia per ipsum mirum in modum arctioris caritatis vinculis cum Deo coniungimur, mirari non debes quod omnes qui sanctitatis fastigium attigerunt, huius cibi famelici, cupide, crebro et ardenti studio ad eam mensam divinam accesserint. Id etiam praestitit Michaela, quae quum iam inde a teneris annis talis panis dulcedinem avide degustasset, omnes vitae dies avidius regustare voluit. « Si comunicò tutti i giorni senza mai mancarne uno ». Neque angoribus, neque infirmae valetudini, neque itineri, neque effusis imbribus umquam cessit ut angelorum pane animam sustentaret. Interdum capitis doloribus acerbissime tor-

quebatur vel, alio morbo afflictata, lectulo adhaerebat: laeta tamen surgebat ut coelesti dape recrearetur.

Ceterum quis aptis verbis referat caritatis sensus, animi amplexus, effusam suavitatem, coelestem oblectationem, quibus in¡ divino Sacramenti mysterio contemplando fruebatur? « La devozione al Santissimo Sacramento era come un'estasi per l'anima (sua)». Et quidquid mirae festivitatis, elegantiae et gratiae lingua hominis verbis habet, idem omne usurpabat ut caritatem suam in Sacramentum ederet. Itaque sic ipsum vocabat *« l'amore dei miei amori - mio amato - lo sposo dell'anima mia... - mia consolazione »*. Leniendi laboris gratia, inter quotidianum opus « esalava frequenti ed amorosi sospiri, giaculatorie e lodi ». Si quando itinerans ante aliquod templum transiret, per effusam laetitiam « lì sta la Chiesa! » inquiebat « lì sta il Santissimo! lì sta il mio Amato! » Ad instar magnetis lapidis erat, qui indomita vi ferrum ad se allicit atque trahit. — Saepe itinera, via ferréis axibus strata, aggrediebatur. Tum exoptata coelestis convivii pastio tam acriter eam urgebat ut, si sola Michaela cum altera ex sodalibus erat, caritas canticis suavissimo erumperet. Sonum, vocis trepidatione, illidebat. Pectus anhelum; os succensum clare significabat caritatis flammam sese intus contineri non posse. « Ancor mi sembra vedere il suo sembiante acceso e quella sua agitazione del petto, che pareva non poter contenere tanto amore e ancor risuona nel mio udito l'entusiasmo con cui delirante diceva: - *Cantiamo... cantiamo»*. Tunc vero fervido amori laxatis habenis saepe hoc suavissimo cantu aures comitantis sodalis mulcebat:

« Lodiamo il Signore
Che dopo tanto tormento
Rimase nel Sacramento
Come vittima di amore ».

Profecto quisque parumper oculos in eam intenderet, facile intelligebat quanto amore erga Sacramentum flagrare! Nam verbis, ore, toto corporis habitu latens caritatis incendium prodibat. Solidas diei partes ante Tabernaculum transigebat summa animi atque corporis contentione, perinde ac si advolare voluisset: quando denique exinde redibat, tanto ardore splendebat ut qui aderant, admiratione capti, ab ea peterent quid ipsa sentiret: « Che meraviglia c'è (inquiebat) poiché esco dalla

cantina, che mi trovi inebriata dal vino del divino amore? » Saepe coelesti dape refecta, vox non mortale sonans erat, vultus quasi in coelitum formam versus. Porro non hominum, sed angelorum vitam id temporis agebat. Vivebat enim, in ea Christus atque animi laetitia prorsus** ex ore erumpere videbatur. Siquid meditari incoeperat, institutam commentationem Sacramenti cogitatione claudebat. Hinc, qui a confessionibus erat, tantam industriam admiratus, dicere consueverat : « quam solerti animo es, quae omnia in Sacramento invenis ! ». Quum publicae Sacramenti adorationi interesset, oculis in sacram hostiam defixis, sopitis sensibus, in divina prorsus abrepta erat, perinde ac si obiecta coelesti oculis specie bearetur. Quid multa? Sacerdos, qui Michaelae sacram Eucharistiam impertiretur, dígitos quam celerrime retrahebat, ne ardentis oris spiritu adderentur.

Veluti saepe fit ut homines, quavis Spremente necessitate, ad amicos confugiant suumque angorem apud eos lèvent, Dei Serva, imminente calamitate aut rerum urgente penuria, Sacramentum adibat ad petendum praesidium. Auspice Sacramento, postulata omnia se impetrasse praedicabat. Nec raro evenit ut, summis oppressa difficultatibus, quum diutius Deus subsidium remorari videretur, prope Tabernaculum accederet ac suaviter his verbis Sacramentum compellant: *Domine, cur me non audis?* Tunc vero quaevis impendens calamitas repellebatur atque omnem gratiam Michaela exprimebat a Deo. Verum tales fiduciae et caritatis sensus in sodalibus etiam ingerere omni ope adlaboravit dicens omnem spem suam Sacramento contineri atque nihil esse, quod quum a Sacramento petatur, non impetreràus. Et quoniam perfectae caritati illud maxime consentaneum est ut quam plurimi Deo amatores concilientur, profecto a Michaelae caritate omnes illi apostolici labores repetendi sunt, quibus sodales ceterosque ad Sacramentum pie adorandum illexit. Quippe succendendae caritatis vias omnes et novit et prosequuta est : hinc in sodalium congressu creber et dulcis ad Sacramentum sermo redire; hinc monita ut ipsae, etiam exteriori habitu oris compositae, ad ipsum accederent; hinc sollicitae curae ut publica Sacramenti adoratio rite fieret ac solemnia ob corpus D. N. divinitus datum, effusa laetitia ac celebri agerentur pompa : hinc denique vota et summa virium contentio ut Sacramento adorando sodales omnes vires con-

ferrent. Dicebat: « che un cuore solo era poco per amarlo; dovevamo aver mille cuori per adorarlo ed amarlo... che avanti a Gesù Sacramentato si trova la pace, l'allegrezza e la consolazione... con la sua presenza abbiamo tutto ».

At erga Sacramentum caritas ad miraculum profecto in Sodalitio eluxit, quod eius honori, supplicationibus perpetuis per vices habendis, instituit; sodalesque in illud collegium cooptandas nullo alio nomine quam *Cultrices* vel potius *Ancillae* SS. Sacramento adorando vocari iussit. Atque aptis verbis explicare contendebat quid haec nomina valerent, quae hisce verbis munera continerentur, atque divinitus datum esse aiebat ut Sacramento adorando designatae forent. Ut accepti beneficii gratia ac memoria perpetuo animis insiderei, non modo sibi ipsa a Sacramento nomen derivare voluit, sed etiam pium illum morem invexit ut sodales Sacramenti imaginem super vestem ad pectus gestarent atque illud etiam edixit ut hac salutatione invicem salutarentur: *Lodato sia il Santissimo Sacramento* atque: *Sempre sia benedetto e lodato.* Aditus quoque domorum, parietes, vel domesticos libros accepti et expensi, Chartas, omnia denique, vel nomen vel imaginem tanti Sacramenti proferre iussit, ut omnia amoris sensus declararen! Porro noverat quot homines, beneficii immemores ac impias in Sacramentum iactantes voces, eius venerandum numen sacrilego ausu violaient. Summo dolore fracta, Dei maiestatem sacrilegis factis laesam, expiatoriis operibus pro virili parte sarsit. Itaque non modo illud instituit ut quotidie sodales piaculares ederent preces, sed etiam certum statumque praefinivit diem (feriam cuiusque hebdomadis quintam) quem ipsae maiori pietate excolerent eumque *Diem amoris* vocavit. Voluit enim ut omnia eo die Tabernacula, quotquot sol videt, mente lustrantes, illatas repararent iniurias. Atque utilibus ad id praeceptis sodales imbuere non destitit, quo efficaciores piaculares precationes evaderent. Haec eadem animo destinata consilia eo Michaelam impulerant ut alia ex eadem mente instituerentur piarum Matronarum Sodalitates, ex quibus statim uberrimi fructus in civile consortium redundarunt. Quae cum ita sint, merito ad Dei Servam illud S. Bonaventurae transferri potest: *sic unus cum Deo spiritus fieri videbatur per liquefactionem duleissimi amoris.*

Post Deum autem, ut pronum erat, Coelites omnes ac o-

mnium maxime divinam Parentem effusa caritate dilexit. De hac iam fuse supra diximus : nunc breviter recolere iuvat Ancillam Dei, ab ineunte aetate, quovis obsequii genere Mariam colere àssuevisse eamque Matris nomine compellare. Ideoque, quum aestuantis caritatis impetus pectore remorari non posset, saepe, occasione ultro quaesita, audiebatur « parlare con molto entusiasmo della SSma Vergine e di S. Giuseppe » quorum patrocinium praesentissimum esse omnibus dictitabat.

Verum tum divinus, tum humanus amor quamvis in ceteris longissime disteni, in hoc tamen magnopere consentiunt, quod gloriam et amicorum nomen ubique praedicent eosque coli ab omnibus velint. Hac ipsa divina caritate permota Michaela gloriam Dei eiusque divinum nomen ubique gentium pro viribus propagare contendit. Quod Isaias dixerat: *pelles tabernaeulorum tuorum extende, filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent,* id Dei Serva confirmavit. Divinae enim gloriae impensissimo studio ea innumera sodalitia referenda sunt, quae ad exitum inter tot angores ac rerum obstacula, imperturbata perduxit. - « Si vedeva come alla luce meridiana che non cercava altro che la gloria di Dio ». Omnes ad amorem Dei excitabat atque fere divino mentis instinctu illud docebat tutius esse mori, quam Deum offendere : ex quo vero fervidum oriebatur studium, quod dum vixit, peccata praepedire et Dei amorem augere contendit. Neque modo divinum Nomen, sed etiam divini cultus splendorem provexit. Parietes templorum, pavimentum, ornamenta, minimae quaeque res, quae cultum divinum spectarent, nitore lucebant. Quid plura? frumentum ipsa sua manu ingerere cupiebat, quo hostiae fierent. « Se potessi possedere un campo (inquiebat) lo seminerei e coltiverei io stessa, cercando il miglior grano per averne la miglior farina e fare le ostie, in cui deve stare tutto un Dio ». Neminem igitur in caritate parem habuit Dei Serva, cuius anima « era un vulcano di fuoco acceso nell'amor divino ».

De heroica Caritate in proximum.

Ex cantate in Deum caritas in proximos recto itinere dimanat. Quapropter quoniam Dei amore Michaela ardenlissime flagravit, etiam cum proximis suis per caritatem coniuncta est. Quae caritas omnibus absoluta numeris fuit. Quamdiu enim Dei Serva vixit, tamdiu hominibus benefecit; neque temporis

aut locorum intervallis aut personarum conditione impediebatur. Ad instar bonitatis divinae, quae miseria omnium, eadem omnibus gremium pandit liberalitatis suae, caritas Michaelae refulsit, qua omne hominum genus complexa, omnium maiorum cohorti remedium afferre studuit. Quo vero perfectius amoris munere perfungeretur, illud sibi constituit proximorum bono integram vitam devovere. Nec satis: omnibus Sodalitiis, quae rem subsidiariam administrandam pauperibus spectarent aut animorum saluti consulerent, libentissime nomen dedit eo consilio ut lacrimas tergerei et subsidia ferret.

Verum hominum amor duabus praecipue partibus continetur; quarum una ad corpora, altera ad animos pertinet. In utraque re Michaela praestantissimam sese exhibuit. — Iam adhuc tenerrima erat aetate, quum mirum in modum ad pauperes sublevandos impelli sensit: quid tunc egerit, qua effusa caritate eos foveret iam supra dictum est, quum de eius vita narravimus. — Confirmata aetate, paterna bona, haereditate suscepta, vendidit atque omne pecuniae pondus pauperibus dedit. Sodalitio condito, hanc sibi iucundissimam partem Matriti elegerat ut ipsa quotidie suis manibus alimenta largiretur ad ianuam a pauperibus fere obsessam. Iis autem, qui verecundia impediti erant quominus stipem quaererent, cibum ollis impositum domum deferri iubebat. Neque vero deteriorem ciborum partem pauperibus umquam distribuit; quin etiam intentis oculis advigilabat ut salubriorem acciperent, vel exprobrationibus in coquinarias sodales adhibitis, si res postulassent. Mulieribus ab fiorente vitae statu in calamitosissimum dilapsis, subsidia quot calendis per pecuniam mittebat. Interdum etiam puellas, cibo carentes, per aliquot dies alendas domi hospitio suscepit. Neque modo cibos, sed etiam vestes dedit. Maioribus adhuc caritatis stimulis acta, adeo sibi necessaria ad vitam sustentandam demebat ut illis subministrare! Haud raro etiam evenit ut subucula, ex pauperum amore, deposita, quum altera reliqua non esset, integrum diem ipsa lectulo adhaerere cogeretur. Summum vero caritatis fastigium tum ipsum attigit quum omnibus facultatibus destituta vicatim domos perlustrare non dubitavit ut, stipe corrogata, proximorum necessitatibus subvenire! Quae omnia quantum ad virtutis excellentiam declarandam valeant nemo est qui non novit.

In nosocomiis omnem fere vitam consumere visa est; quin

etiam domos omnes nocte sera, primo dilucido, medio die, ubi aegroti erant, alacris adire consuevit. Neque pepercit curis; singulos in valetudinariis invisebat lectulos, omnibus sui copiam faciebat. Viliora officia quae alii effugerent, ipsa elegerat sibi. Pavimenta verrere, lectulos sternere, aegrotos purgare, hisce muneribus summopere delectabatur. Insigniores foeminas, quae christianae sapientiae praeceptis illustratae, caritate omnium maxime floruerunt, Michaela acerrime imitata est ac earum imaginem referre contendit. Non modo enim qui contagiosi erant sanieque scatentes umquam non fastidivit, sed effusiori sinu eos complexa est. Iam quum in exordiis orationis nostrae res gestas Dei Servae brevi vitae commentario persequuti sumus, multa protulimus exempla, quibus mulieres ulceribus exesae teterrimum inhalabant odorem. Quum ceteri omnes abhorrèrent ab iis, ipsa sola non unum diem, sed solidos menses illis per alacrem caritatem adfuit, omnibus remediis adhibitis. Ex quo etiam lepram contraxit, a qua vero divinitus sanata est. Etenim Michaela cum iis diutius optatiusque nectebat moras, quum in ipsis melius, squalore, Iesu intueretur imaginem. Tum denique divinam ipsam caritatem, qua dum vixit, succensa erat, splendido exitu, inter lue affectus, absolutissime explevit.

Etiam ad militares ordines caritate sua Michaela descendit. In transmarinis regionibus bellum ardebat. Quum magno locorum intervallo seiuncta saucis militibus praesens auxilium ferre nequiret, effusam medicaminum copiam subsidio misit. Praeterea etiam in eos, qui e mentis potestate exiverant, religiosa liberalitate praestitit. At praecipue publicas custodias mulierum coercendis criminibus invisere gaudebat atque nonnullas ex iis, capitis poena damnatas, poenitentia male factorum excitata, ad extremum usque supplicium ductavit. Cuius caritatis sensibus quum Dei Serva excitantur, nemo mirari debet quod ab ipsis Episcopis ipsa veluti caritatis exemplar imitandum proponeretur. Quo enim quisque infirmioribus et egentioribus alacrius operam praestat, eo propius Christo accedere ille videtur: quia Christi illud est: *quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimiSj mihi fecistis.*

Eadem amoris munera, quibus in proximos foras perfuncta est, intra coenobiorum septa in sodales infirmas solertissime adhibuit. Tempus, quod ei vacabat, ad earum lectulos transi-

gebat: certas etiam sibi constituerat horas, quibus suis manibus medicamina exhiberet. De ea testes enarranti « quant'erano in casa le malattie, di cui si soffriva, in tutte la Madre.... non lasciava un istante di assistere le sofferenti e ciò anche quando trattavasi di infermità contagiose ». Non modo igitur eis omnia ministeria praebuit, at « si costituiva *infermiera perenne* delle medesime ». Si quando pestifero morbo afflictatae essent, illud curabat ut ab alteris separarentur atque iis intrepida aderat. — Extremo agone agentibus spiritum,- imminentis exitus sudorem abstergebat, haud eas relinquens donec Deo animam efflassent. Atque etiam corpus vita functum funereis vestibus indutum ipsa suis manibus feretro religiosissime componebat. Vere matris dulcissimae ad instar fuit, quae aequa caritate pueros suos amplexa, vel mortem pro iis obire non dubitat.

Sed quia potiora hominis bona sunt, quae gloriae aeternae consecutione continentur, ad ea praecipue ferebatur animus eademque assidua contentione quaesivit. Profecto sic corporibus medendis operam dabat ut maiorem daret animabus. — Atque illud tamquam praecipuum munus omni diligentia curabat ut quisque ad immensam Dei erga nos bonitatem amandam excitaretur ac divino quodam ardore incensus, ad summum illud bonum raperetur, in quo solida et vera felicitas consistit. Et quo id facilius impetrarci, inscitos carcere aut nosocomiis detentos doctrinae praeceptis erudire adlaboravit, omnia omnibus effecta ut omnes lucrifaceret Christo. Porro in nosocomiis, ab uno ad alterum properabat lectulum ut infirmos salutaribus monitis ac coelestium rerum commentatione excolere! Corporis afflictationes, morbos, mortem ipsam pro Deo aequo animo ferre suaviter edocebat, sententiam Apostoli in seipsa observans, qui dixit se graecis et barbaris sapientibus et insipientibus debitorem esse ut videlicet intelligerent omnes monita sua pietatis ad cuiusque sensum accommodari oportere. Quapropter innumeri, qui depositae spei homines erant, Michaelae adhortationibus pristina mente recepta, vitam in posterum ad christianas leges exegerunt.

De immensa Dei Servae caritate tertium testem loquentem audiamus: « la sua carità e lo zelo non avevano limiti quando si trattava della conversione di qualche anima traviata ». Saepe ut hominum saluti prospiceret in vitae discrimen adducta est, quibus eam eripuit Deus praesenti ope. Peccantium animos im-

pensissime commendabat ut in bonam frugem reverterentur. Illud etiam voluit ut a Sodalibus quovis horae sonitu ea mente angelica salutatio recitaretur atque ad rem funderentur preces coram salutari hostia publice adoranda proposita. Nec satis: pro peccantibus ut piacularem victimam sese Deo offerre non dubitabat: ideoque aliorum culpas sui corporis poena luebat. Atque quo magis propitium exitum assequeretur, etiam Sodalium preces et expiationis opera adhibere consueverat. Quod quam gratum acceptumque esset Deo, saepe felix rerum probavit eventus.

At quod eminet inter caritatis opera, quae Dei Serva perfecit, profecto Institutum est, ab ipsa conditum, quod a caritate appellari iussit ac puellis ut e coeno surgerent aut periculis sese eriperent, prorsus destinatum voluit. Mirabile quidem opus quod antea pauci, innumeris deterriti obstaculis, vix cogitarant, atque Dei Serva inter hominum obtrectationes, per summam animi celsitudinem ad exitum una perduxit! Earum aeternae saluti prospicere, iisdemque tamen subsidia vitae praebere ut quamvis peccandi occasionem a se avertant, atque simul eo contendere ut dein apud familias honestissimas locentur in famulatum, illud est quod Sodalitium a Dei Serva conditum maxime spectat. Qua in re quantum caritatis contineatur munus omnes profecto norunt. Cuius ferventissimi amoris summum gradum attingere Michaela visa est, quum, ex Boni Pastoris exemplo, non expectavit ut proiecti pudoris foeminae devexa aetate aut senio confectae auxilium ab ipsa peterent, sed eas ipsa in nosocomiis iuventa florentes ultro quaesivit, eisque domum aperuit suam. — Quas per viam nacta foret, adibat easque suaviter compellabat « Figlia mia » inquiebat « abbandona la vita che meni e se non hai altri mezzi per mangiare e vestire, io te li somministrerò: vieni con me alla casa mia e quivi starai raccolta e bene assistila: io sarò tua madre». Flexo in vesperam die, quum huiusmodi foeminae in forum confluerent ut incautos iuvenes aucuparentur ac corruptelarum illecebris irretirent, ipsa quoque domo exire non dubitabat, cum iis congredi ut thesauros virtutis aperiret ac traderet. Nec satis habuit donec suam eas secum duceret domum.

Domi vero receptas tum corporis, tum animi purgabat sordibus: «da sé stessa lavava e rassettava le giovani, che dal fondo degli Ospedali e dalle case di perdizione andavano ai

suoi asili... ed era instancabile in nettare la miseria, pulendo e lavando essa stessa le piaghe e la testa delle dette giovani ». Quibus caritatis sensibus captae, facilius ad imperia fleetebantur. Ipsa vero industriis variis variae puellarum aetati consuluit: numerum earum tenebat; callebat ingenium : singulis singula exercitia praescribens, apta quamque institutione ad virtutem informans. Nova certe virtus cernebatur in ea: «in un modo il più ingegnoso e il più affettuoso... poneva in opera non già la sua pazienza ch'era molta, ma sibbene tutti i suoi cinque sensi per guadagnarsi le volontà delle medesime e incamminarle al santo fine, che si proponeva ». Ne disciplinam fastidirent raro eas poena mulctavit; voluit contra ut ex Sororum exemplo atque ex tacita errorum consideratione peterent morum emendationem. Si interdum tumultum ederent, strenui ducis ad instar, non collato pede strictisque gladiis ferebatur in hostem. Dulcis erat ac mitis. At rebus compositis, iraque restincta, fortis animo obiurgabat, aptis consiliis animos excitando: hinc ipsae suos exultantes emolliri impetus, Dei Servae adspectu: mansuescere eius verbis: eius disciplina corrigi; perfici, prope modum immutare naturam.

Haud verbis persequi possumus quanta animi contentione ad earum aeternam salutem niteretur. Praeclarum est enim illud Apostoli: *omnis scriptura divinitus inspirata, utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Itaque Dei Serva, tamquam parvula facta in medio sororum suarum et tamquam nutrix fovens pueros suos, in primis curabat Dei praeceptis, quae christiana sapientia continentur, earum animos imbuere. Intentis oculis vigilabat ut rite sacramenta obirent, sacris quotidie interessent, mariales preces Rosario decurrerent. Voluit etiam ut singulo quoque anno potioris vitae studio per statos dies sub pietatis magistro secederent. Et quoniam manuum labor ad virtutem animum assuescit, eas domesticis operibus exercuit. Quum vero bacchanalia agebantur, ne praeteritae vitae desiderio tangerentur, hilarem in modum, integro tamen pietatis officio, geniales dies traducere permittebat. Profecto innumerabilia sunt mala, quae peccatum invexit in homines. Violatur enim integritas animae, quam Christo desponsam esse scimus. *Siquis templum Dei violaverit disperdei illum Deus; ira et indignatto, tribulatio et angustia in*

omnem animam operantis malum. Itaque ut illas cum Deo conciliarem Michaela acerrimam ipsa pro iis poenitentiam agebat atque iram Dei precibus diu noctuque deprecabatur.

Ipsa volenti nihil difficile esse videbatur. Quum gratia apud omnes floreret, illud ab iis, qui rempublicam gererent, impe^ tra vit ut nonnullae mulieres, quae ignominiae labe notatae in publicis custodiis detinebantur, irrogatam poenam in Collegiis suis luerent easque omni pietatis cultu instituebat. Quid multa? Si res postulassent, divino instinctu impulsa, vel lupanaria penetrare non dubitavit ut puellarum animas daemonis faucibus extorquere! Ac saepe ne excusationis causam ex inopia obtenderent, etiam operas eorum acu pingendo conduxit ut honestae vitae subsidia praesto essent. Nonnullae olim fuere, quae diu in Michaelae collegio moratae, postea vero inconsulto libertatis desiderio tactae, inde exire voluissent. Tanto impar dolori Michaela, voce fere faucibus interclusa « Signore che sarà di questa giovane (diceva ella) se se ne va? Oh non voglio vada fuorviata di bel nuovo: non voglio che il Demonio si diverta un'altra volta con essa! No, no; rimarrà qui; mi costi, quel che mi costi: prima è la sua salvezza che qualunque cosa ». Sic vero nullis parcebat impensis, omnia movebat ut sede ac domicilio, quae ipsa parasset, prae ceteris delectarentur.

Dies cedat si omnia ad unum caritatis opera in medium proferrem, quibus regnum Dei Michaela prolatavit et multos retulit manipulos animarum. Inter tot mulieres, quas e luto ad virtutem sustulit, quaedam fuit cui, dote constituta, vel magistrum dedit latinae linguae discendae, ut Carmelitidum institutum proflteretur. Alias puellae perditae famae, quae eximia oris specie erant et multos amatores irretiverant, pretiosas vestes cum corporis afllictationibus ex Dei Servae consilio, commutarunt. Etenim ut maiora averterentur mala, quae venustiores essent, ad eas praecipue animum intendebat. Fuit olim vir perditissimus, qui insano amore captus, puellam parentibus orbatam per vim apud foeminas collocaverat infamiae maculis onustas, quo facilius in suam potestatem redigerei. Ubi illud Dei Serva rescivit, statim infandam domum cum sodale adivit. Mulieres venientem tot tantisque probris exceperunt ut sodalis animo defecisset. At Michaela inconcussam inter adversa retinuit animi firmitatem, neque inde djscessit donec puellam sibi

restitutam habuit. Item puella quaedam, quae in Collegio apud Dei Servam degebat, pecuniam olim, antequam in Instituto reciperetur, hero suo abstulerat. Male facti poenitentia permota,, angebatur ipsa neque confessionis sacramentum obire audebat. Michaela, quae id deprehenderat, de sua pecunia hero satisfecit ac tranquillo animo puellam iussit esse. Alia etiam puella fuit, quae pudicitia amissa, ad Dei Servam propter poenitentiam confugerat. Phtisi affecta, lente consumebatur. Michaela omnia officia caritatis praestitit donec eius spiritum, aeternae salutis secura, recepit. Hos flosculos delegi, ut primis labiis delibarentur ; plura, brevitatis causa, persequi omitto. Illud unum enim certum est caritatis munere ad unguem Dei Servam fuisse perfunctam atque, ut ita dicam, ex Christi ipsius exemplo, alterum redemptionis opus pro suis viribus perfecisse.

At vero longe omnium praestantissimum officium, quod caritatis cumulatissimum esse scimus, in quo maxime nos exercere oportet, illud est ut inimicos toto animo diligamus. Hoc etiam Apostolus monet his verbis: *Si esuriverit inimicus tuus ciba illum; si sitit, potum da illi.* Dixerat enim Christus;. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Talibus Michaela imbuta praeceptis, omnia quaecumque ad mansuetudinem, lenitatem, aliasque id generis virtutes pertinent, erga proximos officia enixe perfecteque coluit. Quos magis diligebat, hi inimici erant, ac etsi pessime haberetur ab iis, semper tamen veniam non modo tribuebat, sed ad eorum pedes genibus flexa, perinde ac si probrosissima esset omnium foemina, veniam ipsa efflagitabat. Iniuriis lacessita, iniuriantium tacebat nomina, ne exinde detrimentum caperent. Eos etiam excusatos voluit, quod versarentur in errore neque scirent quid agerent. Ac quo propius accederet Iesu, male habentibus non modo veniam, sed et cumulatiora beneficia et gratiam impertivit. Quid amplius desideres? Quum omnes calumnias sibi instructas facile obtrudere ac refundere posset, nullam umquam sui attulit excusationem. Nam iniuriae, quae aliorum tristitiam excitare solent, Michaelam ineundam potius hilaremque efficere videbantur ita ut iure ad illam Divi Gregorii sententia transferri posset: *ferre contumelias et odentem diligere, Martyrium in occulta cogitatione est.*

Caritate denique, qua aestuabat, etiam templa, quae inopia laborabant, prolixo sinu fovit. Lintea, vestes, quae sacris

faciundis forent idoneae, supellectilem omnem largiri gaudebat. Nec modo suis manibus huiusmodi res conficere consueverat, sed alacris inquirebat quaenam templa maiori premerentur inopia. Hinc exemplo eodem litteras ad plurimos sacerdotes scripsit, « affine di conoscere le maggiori necessità dei templi del Signore; persino le sue gioie ella destinò per far costruire un bell'ostensorio per la Cappella di Madrid ». — Sane *quasi omnium mater vioebat omnibus, deerat nemini, eœpanso omnibus gremio pietatis. De quacumque tribulatione clamaretur ad eam, propriam reputabat.*

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

ET PRIMUM

De heroica Prudentia.

Ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio sic bene recteque vivendi ars est prudentia, qua rerum expetendarum fugiendanamque scientia continetur. Hinc fit ut prudentia cernatur in delectu bonorum et maiorum, quo ad aeternam nostram nitamur salutem.

Dei Serva ad Deum semper, tamquam supremum bonorum finem, properato gressu contendit. Ab ineunte aetate in timore Domini constanter manere sibi proposuit atque omnia subsidia tenere, quae huic consilio perficiendo conducerent. « Con tale scopo orava incessantemente : faceva tutti gli anni esercizi spirituali, due giorni di ritiro ogni mese.... l'esercizio della buona morte ». Quo magis divino timore excitaretur, ante oculos assidue eius peccata obversabatur; quumque sese in recessum reciperet ut coelestium rerum commentatione animum recrearet, hac mente id peragebat « per conoscere Iddio e conoscere se stessa » quod cuiusque optimi omnium saluberrimum consilium est. Tunc vero tam acriter mortis ac imminentis divini iudicii eam urgebat imago ut iacentem numi deprehenderes « alla supina, come se fosse morta e circondata da quattro candele accese... mentre un'altra consorella le leggeva l'Esercizio o la Preghiera della morte ». Sic veluti anniversariis pugnarum simulacris et adsiduis militum exercitatio-

nibus rem bellicam duces procurant, ita cogitatione mortis artem bene monendi, quae supremum homini consilium esse debet, prudentissime Michaela discebat. Et quoniam mors vitae compendium est, quae si fuerit bonis referta operibus, dulcissima rerum mors ipsa obtingere solet, idcirco caritatis operibus iugiter exerceri voluit. — Profecto ea, quae ingenio hominum efficiuntur, magis perfecta magisque cumulata fiunt, quo diutius atque maturius cogitata sint animo. Michaela, quamvis egregiae ac praeclarae indolis esset, tamen praefervido utebatur ingenio, quod nisi repressisset, exultantis animi motibus in inconsulta raperetur. Pro viribus cunctis igitur in id incubuit ut naturam suam prorsus cohiberet ac ita necteret ut inclinata ad malum proclivitas, ad virtutis habitum suscipiendum penitus verteretur. Idque assidua contentione est assecuta; ita enim sese mutaverat ut videretur « una bambina la più dolce e umile », sed tamen numquam in agendo praeceps et, quamquam inditae naturae notam retinebat, sapientissime semper sese egit in omnibus. « Era di carattere vivo, pronto e molto espansivo, ma allo stesso tempo era riflessivo ed agiva sempre con molta saviezza, ponderando tutto bene ».

A rebus gerendis abducunt saepe animum rumores atque praesertim mulierum lingua in inconsulta trahitur verba. Hoc vidit, hoc pro virili parte cavit Dei Serva : ideoque semper fuit « attenta nell'uso della parola. Quando parlava era per insegnare qualche cosa buona e di profitto ». Etenim sciebat loquacitatis vitatione et reliqua peccata fugi et esse magnam cautionem mendacii. Idque magis admirationem movet atque multo maiori laude ut celebretur dignum est, quia Michaela suae mentis cogitationes eloquenter explicant atque naturam omnium versaret, quos alloqueretur. Silentium vero non obtentu sagacitatis aut 'versutiae servabat, at vero ut prudentiae partibus inserviret, certa omnes sensus arctissime cohibere ne animo detrimentum afferrent. Praeterea sapientis est tempus recte ducere, in aliquod bonum semper transferre, ita vivere perinde ac si illico monendum esset. Verum Dei Serva temporis parcissima fuit atque saepe hoc usurpabat tritum sermone proverbium: «l'oziosità (è) la Madre di tutti i vizi e l'ora disoccupata piena di tentazioni ». Singula horae momenta lucro vertere studebat. Siqui eam ad salutationem adirent, neque ipsa huic officio sese eripere posset, ne frustra tereret tempus, filum

-e colo deducere aut flores fìngere in'congressu solebat. Cum visitationes diutius portraherentur, integro humanitatis et urbanitatis officio atque tot operum causa ad excusationem obtenta, veniam a congressibus abeundi petebat. - Siquando tempus vacaret, culinam exercebat, pavimenta verrebat, advigilabat ut omnia domi ex sui animi sententia procederent. In iis vero, quae aeternae vitae consecutionem respicerent, vel minimum temporis momentum aucupabatur ut ferventer precibus et coelestibus rebus operam daret. Varia igitur diei spatia atque noctis sic praefiniverat ut rebus agendis maxime responderent.

Ad hanc, quam ipsa constanter tenuit agendi rationem, Sodales instituere atque erudire Dei Serva summopere cordi habuit easque monebat dicens « che molte persone, per mancanza di metodo nella distribuzione del tempo, arrivano sempre tardi... e perdono dei preziosi momenti, di cui dovranno dare conto al Signore ». Quanta mala ex otio in homines redundent diu explicabat ideoque in legibus condendo Sodalitio latis, eo maxime spectavit ut singula quaque tum diei, tum noctis hora, adsiduis occupationibus detinerentur. Ne vel minimum quidem temporis momentum otiose traducerent, adeo itinere sacras supellectiles conficere iubebantur aut fila de telis deducere, quae aegrotantium vulneribus curandis in valetudinariis apta forent. — Quae, uti iam supra diximus, sic ipsa exemplo probavit ut mirarentur Sodales, quod mulier innumeris distenta curis, omnia ad unguem perfecerit, perinde ac si cuique rei perficiendae integrum mtendisset animum.

Praeclarum illud est, quod in sacris litteris fertur Tobias ille filio suo tradidisse: *Omni tempore benedie Deum et pete •ab eo ut omnes vias tuas dirigat et omnia consilia tua in ipso permaneant.* Dei Serva nihil unquam agendum suscepit quin prius Deum ipsa diu precibus consuluisset. « Non faceva nessun passo senza prima consultarsi principalmente con Dio per mezzo dell'orazione e con la pratica degli esercizi spirituali e non si risolveva ad operare finché non si fosse persuasa per -questi mezzi o per i consigli dei suoi direttori spirituali, quale si fosse la volontà di Dio ». Neque prosperum rerum exitum eo consilio exorabat ut exinde, stulta opinione sui, vanam datae mentis oblectationem hauriret. Nihil enim unquam agere certa fuit quod non esset cum divina gloria coniunctum. Si-

quid vero summi ponderis agendum erat, quod multum consilii atque cogitationis requireret, illud edicebat ut in omnibus-Sodalitii domibus divina hostia publicae adorationi proposita, novendiales instituerentur preces. Quae omnia quam grata Dea essent, ex eo coniectari poterat quod res prorsus ex animi sententia cedebant.

Iam diximus Sacerdotes, tamquam Dei interpretes, venerari Michaelam consuevisse. Pronum erat ut quum ipsi homines sint, qui morum gravitate, doctrina et prudentia ceteris praestent, ad eorum consilia confugeret iuxta illud: *consilium a sapiente perquire.* Ex illorum numero, qui magis doctrina et sanctitate florerent, animi sui modaratores eligebat ac praecipue P. Claret e Societate Iesu adhibuit, qui insigni sanctitatis fama apud omnes valebat. Totam igitur vitae suae rationem, tum in iis quae ad animum, tum quae ad corpus pertinerent, eius arbitrio ac ductu composuit. Neque modo illius consiliis in eo obsequuta est, quod magis studiis ac voluntati suae indulgerei, at maxime a quibus exequendis abhorrebat animus,, ea admodum consilia perfecit. Sunt qui pietatis opera et corporis afflictationes sponte susceptas ex suo arbitrio componant. Michaela etiam in pietatis operibus moderatorum regebatur consiliis, quae tamquam Dei iussa sibi divinitus indita reputaba! Quae Sodalitium condendum spectabant, multa profecto egebant consultatione. Haec omnia lente*et aliorum ope consilioque vocato perpendit nec quidquam umquam aggressa est, nisi debita Praesidum intercedente venia.

Talem prudentiam, qua in sui ipsius regimine ad exemplum praestitit, in aliorum etiam animis moderandis magnopere aequales demirati sunt. — Iamvero suo nutu hominum voluntates regere, easque torquere quo luebat, hanc artem callebat potissimum Dei Serva, quum animos ad ea etiam, a quibus abhorrèrent, facile necteret ac inclinaret. Sodalitio praefuit? « era rigorosissima nell'osservanza dei precetti divini e vigilava molto acciocché non si offendesse Dio nostro Signore». Acerrime institit ut disciplinae amor late floreret. Atque in primis, sodalibus auctrix fuit ut conscientiae moderatores prudentissime eligerentur, quorum ductu, perfectioris vitae studium in dies augerent. Ipsa vero, quantum in ea situm erat, vel noctu assidue vigilabat ne abusus inter sodales vel alumnas irreperent. Sciebat enim sibi apud Deum esse dependendum, quod

pro iis spoponderat : idque palam profitebatur. Si obiurgationes inciderent necessariae, haud virgae caritatis parcebat: debita enim poena delinquentes muleta vit. At quum penitus illud menti demandasset - *irascimini et nolite peccare* - etsi in corripiendo vim quamdam ostenderet, ad obiurgationes irata numquam accessit, sed « *trattava tutte con amore di Madre.* Nessun atto d'ira; all'incontro... (era) d'un tratto affabile e cortese; le sue parole ben pesate; i suoi atteggiamenti ben misurati ». Ardorem quemdam bellicum (ut ita dicam) oculis praeferebat; tamen obtutu ac gravitate vultus, magisquam expressa obiurgatione, effrenas alumnas continebat. Quid? si causae fuerant cur acrius, integro tamen caritatis officio, animadvertisset, veniam illico petebat vel pedes Sodalium osculata. Adeo de vitiis suis per Sorores moneri voluit ut omnibus exemplo praeire!

Eorum, qui Sodalitiis regendis praesunt, prudentiae maxima laus est quum omnes aequo persequuti fuerint amore, ne dissensus fiant. Id perfectissime praestitit Dei Serva, quod nisi tenuisset, multa exinde redundassent mala, quia alumnae vario utebantur ingenio ac exultantia (ne fastidiosa dicam) capita erant. Minime tamen impediebatur quominus industriis variis variae alumnarum aetati consideret. Ipsa enim non praecogitatis ante educandi rationibus usa est; sed numerum earum tenebat, investigabat ingenium, cuiusque callebat naturam. Profecto matris suavissimae retulit imaginem. Etenim « si adattava a tutte le età, a tutti i caratteri, alle abitudini di ciascuna, persino ai... gusti e capricci, parche non fossero contrarii al buon ordine, al retto ed alla santa regola ». Hinc facile omnium sibi amorem conciliaverat: « le si obbediva come ad una regina e la si trattava con confidenza, come se* fosse un'eguale » ; quod prudentiae non ultima laus est, quia haec virtus *timore ac amore* contineatur.

Quae cum ita se haberent, veluti egregium prudentiae exemplar praedicabatur, atque frequentissimi confluebant ex omni ordine homines ut Michaelae consilium in rebus animam spectantibus acciperent. Hispaniarum Regina saepe eam consuluit atque iterum iterumque apud se retinere voluit. Verbis eius acceptis recreabatur, erectoque animo ad munia obeunda sese parabat. Nec tantum Regina, sed omnes, qui in aula pietatem excolerent, eius prudentiae consulta exposcebant. Praesules

etiam, qui magis dignitate ac sapientia praestaret, plurimi Michaelae faciebant consilia et omnes, prospero rerum eventu, consiliorum excellentiam senserunt. Hinc iure meritoque eius prudentia quasi divinitus data, non naturae praesidiis comparata, celebrabatur. Porro ex coelesti instinctu talis prudentia repetenda erat, quae ab omni versutia abhorruit. Veritatis cultrix, fraudis inimica, aperta in omnibus erat ita ut probe illud Christi Dei Servae aptari possit, serpentis prudentiam, columbae simplicitatem prorsus fuisse assequutam.

De heroica Iustitia.

Quae animi affectio suum cuique tribuit, eam iustitiam appellant. Omnium virtutum veluti compendium est, ex quo uno boni viri dicuntur. Eidem enim adiuncta sunt erga Deum religio, erga parentes pietas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia, in benefaciendo liberalitas, in subditos comitas, quaeque sunt generis eiusdem.

Erga Deum primum omnia officia Michaela religiosissime implevit. A teneris annis usque ad obitum a malo abhorruit. Sacra mysteria saepe saepius obibat et a mundano strepitu aliena, commentatione rerum coelestium et precibus, Deo, mira dulcedine, iungebatur. Divina ac ecclesiastica praecepta tenacissime servavit: in quo ad miraculum eluxit. Eam regularis observantiae rationem tenuit, quam omnes laudibus probarent, ideoque sodales ex eius exemplo vitam suam instituere suadebant. Quae communiter peragenda erant, ipsa omnium solertissima implebat. Interdum vero si quando, gravissimi ponderis negotiis impedita, ad communes preces aut ad mensam diutius remoraretur adventum, genibus flexa osculabatur solum, ne sodales exemplo eius offenderentur. Ut paucis praecidam, exemplar refulsit in omnibus: « era un perfetto modello di osservanza religiosa e la meraviglia di tutte ».

Saepe recolens animo quanta sit Dei bonitas ac liberalitas in genus humanum, hinc occasionem nanciscebatur cur accepta beneficia grata memoria et verbis officiosissimis prosequeretur. « Manifestava la sua gratitudine verso Dio, ringraziandolo costantemente dei favori che le concedeva e pregando ardentemente i suoi amici che ringraziassero pure il Signore per questo motivo ». Hinc Dei gloriam unice quaerere pro viribus

connisa est atque omnem vel minimam mendam a se removere, quae iustitiae partibus adversaretur; hinc, memor illius: *zelus domus tuae comedit me,* numquam praetermittere ut templis suus honos constaret; hinc obsequium manare, quo omnes coelites, praecipue augustissimam Dei Parentem, est prosequuta.

Etiam in iis iustitiae partibus, quae Ecclesiam eiusque augustissimum Praesidem spectant nec non ceteros omnes, qui dignitate praestant, Michaela, uti pronum erat, observantissima fuit. Catholicae Ecclesiae se filiam obedientissimam et esse et nominari honori et gaudio vertebat. Luctuosi dies, qui Sedi Apostolicae per hanc turbulentissimam aetatem illuxerunt, magno dolore animum Dei Servae affecerant. Quando vero Summum Romanum Pontificem e legitima sede sua, in qua centrum unitatis divina Providentia collocaret, sacrilego ausu exturbari vidit, impar dolori ferendo fuit. Cum Hispaniarum regina, quae hominum gratia ducta, huic violationi, qua nihil unquam sol vidit indignius, assenserat, omnem familiarem consuetudinem (integro tamen caritatis officio) disrupit. Praeterea eosdem obsequii sensus erga omnes Praesules fovit, Eorum consiliis benignas praebebat aures eaque perficere semper ad unguem studebat, dicens « numquam fieri posse ut, hanc viam ingressa, falleretur ». Denique sacerdotes omnes, tamquam Dei administros impensissimo coluit; quod idem a sodalibus ac alumnis acerrima exegit. Et quoniam Divino Evangelio sapientissime comparatum est illud : *reddite Caesari, quod est Caesaris,* ne civilibus quidem legibus auctoritatem unquam resignavit. Qui rem publicam gerebant, debita reverentia coluit: iussa eorum, etsi minus benigne placitis faverent suis, excipiebat, in spem tamen erecta fore ut Deus aliunde ei faciliorem sterneret viam.

Munia Instituto regendo adiecta religiosissime explevit. Alacri animo advigilabat ut sodales perfecte Collegii leges tenerent, servarentque, ne a pristina eiusdem Instituti disciplina desciscerent. Saepe clam e rimulis quoque fenestrarum intentis oculis alumnas intuebatur; tum etiam vestem mentita, noctu, domus ambitus circumibat. Inter sodales ex improviso ac inopinato veniebat. Quam ob causam *Regula viva* ab omnibus vocabatur. Neque pro rerum adiunctis, virgae parcebat. Vel minimum regulae defectum acriter insectata est. Haec enim

constans sibi voluntas fuit ut alumnae ac sodales omni ex parte perfectae forent ac omnium virtutum participes.

Verum perdifficilis iustitiae pars, quae eos qui praesunt maxime decet, vindicatio est. *Vigor iustitiae semper fermdus sit,* hoc divi Bernardi praeceptum. Tamen Dei Serva in obiurgando praefervidam cohibuit indolem atque auream illam mediocritàtem tenuit, quae, ex Tullii sententia, inter nimium et parum consistit. Ideoque quamvis errantes graviter obiurgaret, minime unquam indulsit irae. Tum sodalium, tum alumnarum rationes aequa lance libravit, nullamque alteri sua gratia praetulit. « Tutte le sue figlie, come pure le collegiali, trattò sempre con uguaglianza senza propendere alle une più che alle altre». Quin etiam, tessera, qua Dei Servae Sodalitium ab aliis distinguebatur, haec praecipue erat quod alumnas omnes aequo iure tractaret. Si quas praeferebat, hae pauperiores ac inferiores erant. Quum penitus eius menti illud adhaereret « nimia iustitia incurrit peccatum, temperata iustitia facit perfectos, » praemia ac poenas pro meritis unicuique tribuit; « premiava con gentilezza le buone opere di quelle che si portavano bene ». Acriter reprehendebat « le discole, fino a mandarle via, se non si correggevano».

Tali iustitiae laude florebat; frustra igitur peteres an proximos suos laeserit, vel de eorum bona fama detraxerit. Alienos defectus materna caritate texifc, de iis numquam loquuta; quempiam coram se verbum aliquod contra alios effutire non passa. Malebat enim institutum claudi, quam alieno honori obtrectari. — Ut sibi ac studiis suis indulgerei, nemini unquam damnum inferri tulit. Eo praecipue agendo spectabat ut iustitiae partes integrae forent, quamvis id quod agendum erat, optimum esse videretur. « Nihil enim (aiebat) quod cum iustitia coniunctum non sit, Deo placere potest, cuius providentissima consilia iustitia et aequitate continentur ». Benefacientibus gratum animum datis donis et scriptis declarabat. Benigna erga omnes erat, praesertim cum iis, quibus se iniuriam fecisse putaret.

Porro non quid iustum, sed quid maxime iustum esset quaerebat : « indirizzava sempre le sue azioni per fare ciò che credeva essere più giusto ed equitativo ». Vel domum, quam a Rege dono acceperat, ubi commodam sedem alumnarum suarum collocaret, renuit. Noverat enim, ex tabulis, eam testatoris mentem fuisse ut aliud institutum huic domui destinare-

tur. — Quid plura? mortem potiorem habebat quam vel minime a iustitiae munere discedere. Ergo Dei Serva perfectissima fuit atque iustitiam avide sitiisse prorsus dicendum est.

De heroica Temperantia.

Moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus, quae potissima temperantiae munera sunt, tam sedulam Dei Serva operam dedit ut ad miraculum in hac etiam virtute Michaelam eluxisse certum sit. Quod Apostolus ille de se praedicaverat; *castigo corpus meum et in servitutem redigo,* id omni studio consequi enixa est. Ideoque ut actiones omnes ratio in potestate sua ac veluti in ditione teneret, contra corpus bellum acerrimum indixit idemque flagris acerbissimis cruentavit. Verum aptis verbis significare quaenam quantaque cruciatuum instrumenta Dei Servae supputèrent, opus haud facile est; innumera enim atque cuiusque generis erant, siquidem « discipline di tre o quattro specie, sette o otto cilizii di diverse forme: un'immagine del Santissimo, ossia un ostensorio o custodia, con piccoli spilli, che collocava sopra il suo pelto ». Quod si plura desideres, en primo flagrum accedit catenae ad instar « dalla quale pendevano varii fili di ferro rintorti e da questi una specie di stellette di ferro anch'esse con punte aguzze somiglianti a quelle degli speroni » : dein alterum, quod cucuUionis speciem referens, humeris adhiberetur, cui seta e asperrimae insertae erant.

Neque dicas haec omnia Dei Servae supervacanea fuisse ac fere supellectilem obtentu pietatis expositam. Etenim, dum vixit, abdita prorsus servavit; quantum vero iisdem sit usa, documento sanguis exxat, quem saepissime flagris excitatum, emisit. Profecto statis diebus, quum sub noctem in templum cum sodalibus congrederetur, ut ex Instituti legibus, corporis macerationi sibi quaeque operam darent, tam acriter sese Michaela cruentabat ut exilíente sanguine non modo pavimentum, sed et parietes et viciniores sodales aspergerentur. Verum tam graves ictus ipsa impingebat sibi, tantaque cum vi, ut testes referant: « dava paura lo stare vicino; ne restavo terrorizzata ». Alias alumnae inopinate eius cubiculum ingressae, ipsam immaniter sese caedentem deprehenderunt, pavimentum sanguine inquinatum, vestes fundentes sanguinem. Flagris crura quoque Dei Serva cingebat, quorum signum cerea imprimebatur in

carne. Interdum rudi subucula ac thorace strictissimo lumbos obligabat eo dolore ut lacrimae invitae exprimerentur ex oculis. Sexta quoque feria ut Christi cruciatus recoleret, adauctis viribus, duriorem ac severiorem vitae rationem obibat. Quid multa? Saepe quamdam puellam, quae candida sinceritate erat, iubebat forcipe digitos pedis caedere, unguesque per vim extrahiere. Obduruerat animus ad dolorem : ne ullum quidem questum edebat. Mirata puella petiit ab ea an malum sentiret. *Minime* (Dei Serva inquiebat); *immo detector; rem itera, quaeso.* Interdum etiam terga ac latera eius vestiaria scopula setis áspera, puella perfricabat. Ipsa immota perstabat ita vero ut diutino Metu prius puella, quam Michaela, quamvis corrosis carnibus, defatigaretur. Porro non verbis rem amplificavit testis, quae dixit: «soltanto una creatura, che vive in Dio e per Dio, è capace di mortificare il suo corpo nel modo severo e doloroso con cui lo fece Madre Sacramento ».

Cum tanta asperitate corpus tractaret, facile potuit Dei Serva gulae irritamenta refundere adeo vero ut non modo sobria praeter modum, sèd etiam abstinentissima haberetur. — Etenim ab exquisitis epulis abhorrens, numquam iis vescebatur. Viii ac rudi leguminum cibo usa est: eaque, si quid paulo gustatui suaviora porrecta forent, sale corrumpebat. Vel morbo vexata, cibos deteriores quaesivit. Siquando exquisitiores epulae essent allatae, ad infirmas sodales mittebat. — Nihil umquam extra mensam sumpsit. Tam parcum et tenuem cibum adhibuit ut, mirantibus omnibus, ad mortem depellendam potiusquam ad vitam alendam sufficeret. A vino et inebriantibus potionibus, Ioannis Baptistae insistens vestigiis, prorsus abstinuit: siceram interdum bibit gustatui suo repugnantem. Ieiunium ecclesiastica lege praescriptum non modo semper rigidissime statis diebus servavit, sed singulo die ieiunio operam dedit. Itinere quoque idem arctissime tenuit. Quae omnia cruciatuum genera, moderatore Patre Claret, numquam remisit, sed etiam magis in dies adauxit

Corpus laboribus et cruciatibus attritum, abstinentia extenuatum, somno etiam eripuit. Tres vel quatuor tantum horas somno indulgebat, eique incommodo supra quam cuique credibile est. Humi enim recumbebat lectulo praeruptis viminibus contexto, quem ne postremis quidem vitae diebus mutavit. Ita plane somnus eam fallere non poterat, memorem illius *vigilate*

et *orate;* siquidem maiorem noctis partem vigilando et orando traduceret. Denique frigoris ea lorumque pati en tissima erat: neutram in tempestatem movebatur; tum rigente hyeme, tum fervente sole, easdem semper vestes induere voluit.

Veluti iam fuse diximus, mirum in modum linguam coercuit, recessus et silentii amantissima; nonnisi paucis ac necessariis verbis utebatur: inanes sermones odebat, verba priusquam loqueretur, diuturna cogitatione perpendens. Silentium a sodalibus quoque servandum curavit atque piam illam consuetudinem invexit ut certis quibusdam diebus (nempe feria V et VI) ne verbum quidem per diem ederetur, cruceque charthacea os obsignari iussit. Tum denique ne animus vanis imaginibus irretiretur, severe oculos custodivit vel in terram demittens vel sustollens in coelum.

Et quoniam clementia temperantiae pars est, non rectos animi impetus firma et moderata dominatione continuit. Iam diximus a natura acri sensu praeditam esse, ideoque maxime irritabilem extitisse. Verum ita semper sui compos fuit, ita animi motus repressit, ut numquam ad iracundiam dilaberetur. Summa virium contentione mitissima omnium facta erat. Plane eam principem virtutem est assequuta, atque illum vitae quasi quemdam ornatum et modestiam, omnemque sedationem perturbationum animi et rerum modum, quem Tullius in libris suis magnopere laudat.

De heroica Paupertate.

Facile fortasse est aut certe non difficile, omni spe sublata, divitiarum amore non deperire: at copia rerum, quae quasi igniculis animum perfodiant, abundare, iisque nihil moveri, atque etiam ex altissimo nobilitatis loco descendere, divitias, honores repudiare, contemnere, id praestantis animi est propius Christo accedentis, qui verbo exemploque suo paupertatem enixe commendavit. Ex quo die Michaela paupertatis votum nuncupavit, nihil umquam sibi reliquum esse voluit quod suum putaret, atque ut idem Sodales agerent toto pectore contendit. Exinde paupertatem celso erectoque animo amplexata, ad extremum usque spiritum, tamquam matrem dulcissimam coluit, atque omnium rerum suarum tamquam reginam dominari iussit. Honores, mundanum fastum sprevit; sumptuosas et nobiles vestes cum humili pannosoque amictu commutavit vel eo con-

tenta ut inter se ac sodales rerum omnium, vestium etiam, communitas esset. Et quamvis suapte natura a sordibus abhorreret, male olentem vestem interdum gestare non dubitavit, exempla illorum sequuta, qui magis hac virtute floruerunt.

Hinc pronum erat ut paupertatis amor in ceteris -etiam emineret rebus. Quam rigida Dei Serva fuerit in vescendo ex iis, quae supra diximus, facile patet. Cubiculum ipsum verum paupertatis domicilium erat. Congruebat cum eo supellex miserrima; pauperrimus lectulus sarmentis contextus: tabula, sedes, tum denique omnia, quamvis necessariam munditiem praeseferret, huius virtutis certissimum documentum erant. Cum ex Christi exemplo vitam instituisset suam, hac in re cura atque mens Dei Servae versabatur tota ut ad perfectam paupertatem, eo duce, perveniret; idque cumulatissime assequuta est.

Profecto quoniam Christum omnibus destitutum opibus prae oculis semper habebat, pauperes summopere dilexit 'eosque materna caritate fovit. Cum iis longas nectere moras, eos christianae sapientiae praeceptis imbuere, erigere, solari non modo numquam erubuit, sed potissimam muneris sui partem esse duxit. Atque in hoc quidem ad exemplum prae ceteris eluxit, quia ad illud pauperum genus nova quasi caritate descendit, a quibus plerique, natura, abhorrere solent. Deperditis enim puellis, quae opprobrium hominum et abiectio sunt plebis, ut eas ad virtutem traueret, sese immiscere non dubitavit: atque ut iis auxilium ferret, pauperem se fecit oblatisque opibus tutum praebuit hospitium. Huiusmodi non invitos paupertatis cultores ut stultos quidem per ora hominum traducit huius aetatis sapientia ; at contra, Dei verbo, digni habiti sunt, qui ad supernam gloriam contenderent. *Beati* enim rursus *pauperes* appellantur; *sapientia autem huius mundi stultitia est apud Deum.*

De heroica Castitate.

Similes angelis homines castitate efficiuntur ideoque oportet ut pudicitiam et continentiam omni studio colant atque integros sese servent « ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem, in timore Dei ». Violato enim corpore, quod templum Spiritus Sancti est, Spiritus ipse eiicitur atque ii diris deprecationibus devoventur. — In primis autem constat castitatis virtutem in eorum hominum genere magis

elucere, qui pulcherrimum illud ac plane divinum virginitatis propositum sancte religioseque tenent. Profecto hanc praecipuam habet laudem Dei Serva, quippe quae iam a teneris annis virginitatis suae Deo vovendae desiderio flagrare! Ut eam integram inviolatamque servaret, non modo semper modestissima fuit et Angelorum pane sese reficiebat, sed vel honestas oblatas nuptias repudiavit, certa aliquod religiosum Institutum inter sacras virgines profiteri. Ubi vero divinae vocis illapsu ad Sodalitium condendum impelli sensit, maioribus praesidiis animum mentemque, Deo protegente, comparare voluit. Porro cum fornicationis Spiritu, qui acerrime omnium furit debacchaturque per orbem, certamen conserendum erat: ideoque, ne impar viribus in aciem descenderet, castitatis armis sese instruxit.

Angelus integritate fuit, divo Aloysio aequanda, quem eximia pietate coluit. Oculos, quibus maxime animus ad libidinem inflammatur, abstinentísimos habuit: otium, quo homines quum hebescant, in impudicitiae scelus praecipites labuntur, peius angue vita vit: ventri, qui expletus et saturatus libidinem parit, bellum intulit: linguam, quae verborum obscenitate, quasi face quadam subiecta, vehementer ad inverecunda incendit homines, silentio edomuit, et nihil umquam indecorum ex eius excidit ore: aures etiam ne quid impurum a profano auditu haurirent, prorsus obtudit, quamvis Michaela ipso adspectu inhonesta proferendi occasionem omnem adimere! Tum denique sensus omnes et mentis facultates assidua custodia et vigilantia continui! Quidquid huic virtuti vel longissime adversari potuerat, manifesto odio prosequuta est, omnemque ipsa diligentiam adhibuit ut Sodales castitate prae caeteris ad exemplum splenderet. Et quoniam ad impudicitiae vim opprimendam maxime valent tum frequens confessionis et Eucharistiae usus, tum assiduae ac piae quidem ad Deum preces cum ieiunio coniunctae, hisce omnibus subsidiis non modo usa est ipsa, sed ut sodales etiam eadem adhiberent, curavit. Ne mireris igitur quod cuiusvis impudicitiae impulsus expers fuerit; nec aduri libidinis igne, neque ulla urgeri tangique carnis titillatione senserit. Porro verbis, ore, gestu, totoque habitu corporis miram gravitatem et verecundiam praesetulit: «Tutti i suoi atti tramandavano il più splendente candore; nella sua compostezza, nel modo di guardare, andare e parlare era un ter-

sissimo specchio, nel quale si contemplava tutta la comunità ». Conditionem supergressa humanae naturae, adhuc vivens ad coelum, (ut ita dicam) evecta est ut Angelorum ordini adscriberetur.

Quae quum ita se habeant, Michaelae manibus date lilia plenis, quae tam singulari fortique exemplo castitatis excelluit, atque in tenebricoso hoc terrae barathro nobis retulit splendorem et amplitudinem coeli. *Sola* enim *castitas,* ut est apud divum Bernardum, *in hoc mortalitatis loco et tempore, statum quemdam immortalitatis repraesentat.*

De heroica Obedientia.

Praeclarum obedientiae exemplum Christus cultoribus suis praebuit, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Verumtamen ex hoc ille omne decus sibi gloriamque derivavit. Id enim potissima causa fuit cur Deus exaltaverit illum et dederit nomen quod est super omne nomen. Profecto Michaela, qui Iesu Christi vestigiis iam usque a teneris annis insistere coepit, obedientiae munere perfectissime perfuncta est. Adolescentula facilem se voluntati parentum exhibuit. Parentibus orbata, se totam ad fratris arbitrium finxit, eumque ubique secuta est. Fratriae etiam iussa fecit, eique omni diligentia adfuit.

Sodalitio condito, acrius in dies huic virtuti assequendae studuit. Quoniam ipsa, ex prudentum virorum auctoritate, Instituto regendo leges tulerat, consequebatur ut talis esset unde sodales exempla peterent. Id mirum in modum praestitit. Tanta enim sedulitate et constantia Sodalitii disciplinae obsequuta est ut eximi ab ea, quavis intercedente causa, non solum umquam noluerit, sed etiam vel in minimis rebus observantissima semper fuerit. « Era schiava dell'osservanza delle Regole ». Nam conditas domos claudi malebat, quam obedientiae officium violari: atque omni ope contendit ut sodales mentibus illud mandaret in obedientia et caritate Sodalitatem suam prorsus consistere; iisque sublatis totum aedificium e fundamentis suis convelli. Verum quia industrius amor virtutis est, atque innumeras sese exercendi artes invenit, obediendi etiam obligationem Dei Serva reperit, licet imperium obtineret. Saepe enim opinionem suam Sodales rogavit eamque libenter sequuta est.

Praeterea singulari veneratione Romanum Pontificem prosequebatur eique ex animi sententia obediendum esse docebat, quippe qui Christi ipsius in terris personam gerat. Praesulibus omnibus, Sacerdotibus eosdem detulit obsequii sensus, atque ab eorum nutibus prorsus pendere voluit. Et quoniam «qui sibi dux esse vult, spreto duce proprio, non iam indiget daemone tentante, quia factus est sibi ipse daemon», qui ei a confessionibus erat, praesertim P. Claret, in omni necessitate adibat, eiusque dicto stabat, quin difficultate, ulla, ne mortis quidem periculo, moveretur. Etenim ab eo iussa omne, sine querela accipi, quidquid sibi porrigeretur, matutinam potionem faba mexicana paratam absorbuit, quamvis haud saluberrimam sibi et veneno infectam sentiret. Lecto decumbere coacta est, sed paucis post diebus convaluit. Laeta tamen fuit, quod rite obedientiae munus obiverit. Meditabatur enim Dei Serva animoque alte retinebat illud: *Melior est obedientia quam victimae.*

De heroica Humilitate.

Humilitatis virtus, ignorata quidem ethnicis fuit, qui quum fastum in omnibus rebus ostentare certarent, nomine ipso humilitatis caruerunt. Sola igitur christianorum humilitas est exemplo et verbis Christi probata, in qua totius sapientiae ac perfectionis veluti fundamentum consistit.

Quid sibi humilitas velit, quo spectet in aperto est: humh les enim Deo, a quo derivantur omnia, referunt quaecumque aut natura acquisita aut parta labore possideant. Michaela humilitate sic actiones suas temperavit ut omnia ab ea veluti formam et speciem haberent. Nihil se ipsa contemptibilius arbitrabatur. Sceleratissimam omnium, quos terra sustinet, se nuncupabat, dignam quidem quae flammis aeterni ignis absumeretur. Quidquid boni operis egisset, etiam Sodalitatem, ex qua fructus uberrimi animarum collecti sunt, Deo referebat acceptum. Praeteritum tempus deflebat, eo quod Deo vocanti, non uti par erat, respondisset neque maiori diligentia animarum salutem procurasset. Honorem Dei, non suum in omnibus rebus quaesivit, seque rude instrumentum divinae bonitatis vocabat, ad omne munus obeundum ineptam. Indolem ac imperitiam suam obesse dicebat ne inceptum Sodalitatis opus perficeretur.

Multa quidem obsequii et amoris pignora acceperat et summa erat apud omnes existimatione. *Non* tamen *ambulava in magnis et in mirabilibus super se.* Laudem veluti anguem vitavit et quanto maiori hominum existimatione floreret, eo magis abdi et deprimi omnino studebat. — Prudenter ac humiliter et nonnisi rogata de rebus suis loquebatur et subito addebat: « che Dio N. S. correggeva i suoi spropositi e trasformava in bene il male, a cui potevano dare occasione le disposizioni che ordinava pel buon andamento della Gasa ». Siquid vero in eius laudem quis imprudenter exprömeret, erubescebat et dolore affecta laudes veluti sibi non debitas reiiciebat. Haec monita eius sunt: « daemonem laudibus uti, quorum sono capti animi, ad saeculi magis quam ad Christi leges cogitationes actionesque suas conforment». Itemque: « siquis laudes hominum affectât, huic in eo ipso mercedem suam persolvi: nihil reliquum esse quod a Deo expectare possit ». Ad aulam regiam quasi famula accedebat et quamvis gratiosa apud reginam ac regem esset et multum auctoritate valeret, in hoc numquam ventosae gloriae aura concita, sibi stolide blandita est. -- Semper veluti humilitatis exemplar enituit, ex quo maiorem sibi in dies admirationem et benevolentiam conciliavi!

Profecto nihil in mundo est, nisi fluxum, caducum, fugax, inane, in mortem praeceps. Id penitus Dei Serva noverat neque umquam animum suum humanis rebus irretiri tulit. Mundana oblectamenta, quae mulierum mentes delectant, fortiter sprevit, eaque vocabat « sciocchezze del mondo ». Pretiosas vestes, quas honorariae a regia aula matronae induere solent, cum rudi Sodalitii sui veste mutavit, dicens: «che valeva più l'essere sguattera nella Casa di Dio, che Signora o persona alta in Palazzo ». Atque olim quum deperditam puellam ad poenitentiam excitasset et in eo esset ut ornamentis suis eam spoliaret « a che servono queste pompe e vanità (inquiebat) se non a perdere l'anima tua? Abbandona il mondo ingannatore e vedrai quanto sarai felice ». — Et quia tam demisse de se sentiebat, intimum omnium semper locum quaesivit sibi. Obscuram cellam elegerat, angustam, humili supellectile instructam, in qua incommodissime habitare! Et quae munia abiectissima erant, eadem obire summopere delectabatur. Pavimenta verrere, scutulas mundare, coquinae inservire, foricas adeo purgare, aliaque huius generis officia, quibus magis magisque de-

primeretur animus, haec omnia veluti praecipuam muneris sui partem vindicaverat sibi.

At in quo praeclarior atque splendidior humilitas Dei Servae praefulsit illud erat, quod Sodalitium a se institutum ita semper rexerit perinde ac si infima sodalium esset. Sibi umquam tantum non sumpsit ut crederei se Sodalitatem condidisse, eamque verbis gloriosius praedicare! Ineptam ad quodvis munus obeundum sese prorsus existimans, opera Sodalium laudabat deque sua morte loquuta « non farò vuoto (inquiebat) per niente affatto poiché Maria di Gesù farà tutto meglio di me ». Atque tum ipsum quum Valentiam asiatica lue moritura peteret, iis qui a suscepto consilio deterrebant « conto trenta figlie (inquit) che valgono più di me: se muoio non farò nessun vuoto ». Neque auram auctoritatis ostentavit umquam. Quamvis nobili genere nata, ad inferiores, veluti ad aequales descendit, alumnisque tanta cantate semper adfuit ut soror ipsa dulcissima videretur. Veniam flexo genu ab .iis petebat, quas vel in minimis se offendisse autumabat atque omnium opinionibus in iis, quibus libera agendis ratio foret, indulgebat. De mendis suis a sodalibus moneri voluit: corporis afflictationes, quas collegii alumnae pro malefactis suis agere renuissent, ipsa ultro peragebat.. Quod si praestantiora humilitatis documenta petas, solemnioribus diebus, escas ipsa coquebat, ac sodalibus et alumnis ad mensam ministrare, famulae ad instar, gestiebat. Feria quinta vero lugubris hebdomadis, duodecim alumnarum pedes suis manibus lavare ac osculari, singulo quoque anno, per pium morem consuevit. Humiliimum quidem opus, immo opus Christi, quod ad virtutem excitandam summopere praestat. - Ceterum, ut brevibus verbis reliqua persequar, inter pauperes libentius quam inter divites versabatur. - Quasi inops consilii, moderatorum consiliis se subiiciebat ut divinae voluntati melius studerei. Et si forte in minimis, quae Institutum respicerent, diversa ab iis sensisset, in genua provoluta veniam petere non dubitabat. Hinc illi admirati inquiebant; « questa Signora nonostante la vivacità del suo carattere, si umilia come nessun altro farebbe ».

Hisce constitutis, pronum erat ut sanctissima virgo Michaela, dum adhuc vivebat, ab omnibus cum laude praedicaretur ». Superbum enim sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria».

De donis supernaturalibus.

Mirabilis Deus in his, qui eum sancte pieque colunt! divinae enim naturae quodammodo participes fiunt atque supernis donis instruuntur ut aliorum saluti prospiciant. Talibus donis etsi, propter summam animi Remissionem sese omni arte occulere studuisset, mirum in modum Michaela divinitus ornata fuit, ideoque sermone et opere extitit potentissima.

Occulta enim, quae humanae mentis acie investigari non possunt, Dei Servae penitus explorata ac aperta erant. Saepe a sodalibus ac alumnis magno locorum intervallo seiuncta, perinde ac si praesens esset, earum mendas vidit reprehenditque, stupentibus ipsis. Sic sacrilegam aliquot puellarum confessionem detexit easque ad sacramentum rite obeundum remisit. - Ingentem pecuniae vim vir quidam amiserat, qui via strata ferro iter confidebat. Eum anxium solata est, affirmans pro certo pecuniam repertum iri. Paulo post ignotus quidam ei pecuniam tradidit statimque e conspectu evanuit. - Venit ad eam aliquando puella, quam antea numquam viderat, ut officii causa, Dei Servae manum oscularetur. Hanc cunctis nequiorem esse, prouti res erat, subito perspexit. Sic etiam agnovit aquam non lustralem pro aqua rite piata in sacro quodam vasculo positam esse eamque mutari iussit. Angebatur secum ipsa Antistita Valentinae domus quum, pecuniae angustiis pressa in eo esset ut quasdam alumnas eiiceret: rem tamen nulli aperuerat. At eo ipso temporis momento ex inopinato Dei Serva per epistolam eam monuit ne ullam ex alumnis dimitteret, suppetere pecunia. Alias quum olim Sodales omnes in domestico sacello orarent, ex improviso Dei Serva (quae inter eas versabatur) incendium, quod alteram domus partem absumere incoeperat, e longe novit.

Multa etiam, quae tenebris temporis futuri latebant, manifesta prospexit, quae exitu suo non camerun! Degebat in Sodalitio quaedam sodalis, cui insignes virtutes merito optimam apud omnes existimationem conciliaverant. Praevidit tamen Dei Serva, ipsam Institutum olim fore relicturam, idque eventu suo confirmatum est. - Cuiusdam viri honesta puella amore capta, cum eo matrimonio coniungi optabat. Rem Dei Servae aperuit, quae de futuro ineundo matrimonio ac simul de aerumnis perpetiendis puellam praemonuit. - Interiori animi an-

xietate afficiebatur quaedam Sodalis, quae quum Instituto nomen suum dedisset, domi sororem reliquerat tenera adhuc aetate, matre orbatam. Curam sodalis Dei Serva deprehendit eamque bono tranquilloque animo iussit esse. Etenim praedixit sororem etiam aliquando in eodem instituto ac ipsa, sanctimonialem futuram. Sic res se habuit.

Nec satis. - Sanationis etiam dono pollebat. Videndi facultatem Henricus Diaz-Canedo amiserat, quam, omnibus subsidiis adhibitis, recuperare non potuit. Preces Dei Serva fudit et ille sanatus est. Vel elementa rerum Michaela poene in sua habuit potestate. Manresam versus iter curru susceperat ut ibi S. Ignatii, criptam illam celebratissimam ex pio animi desiderio inviseret. Ei nobilis quaedam foemina comitem sese adiunxerat. Effusa imbres tonitribus et fulgure interceperat iter. At Dei Serva tum ipsum quum magis hiems fureret, serenum coelum praenunciat. Quod inopinate ac ex improviso factum est. - Praeterea prorsus divinitus Dei providentia ei adfuit praesenti ope. Non semel enim marsupium, quod dono acceperat, quum acrius inopia urgeret, Dei Serva argento refertum invenit. - Et quoniam Eucharistici Sacramenti tam eximia cultrix extitit, digna profecto erat ut certissima amoris signa a Christo ipso acciperet. Saepe saepius quum ante divinum Sacramentum oraret, Tabernaculi ostium sponte atque coram recludi vidit. Mirum! qui aderant sese oculis falli putabant; at, re perspecta, terque quaterque prodigium divinitus factum deprehenderunt. — Olim ante Christi cruci suffìxi imaginem ferventer orabat : ecce inter preces imago ipsa oculos claudit et reserat.

Non sivit Deus ut fidelissima Serva eius, cui dederat aliorum fata praenoscere, obitum suum, qui imminebat, ignoraret. Asiatica lue affecta sodalibus adstantibus hora vigesima quarta sese ex hac vita migraturam fore praedixit: idque admodum eventus probavit. Prospiciens autem ea quae, post mortem suam eventura essent, diserte praenunciavit et Sodalitii diffusionem et multarum Sodalium ingressum, quae insigni, qua praeditae forent virtute, institutum illustrarent.

De fama sanctitatis in vita.

Gloria semper ad virtutem adiungitur ideoque iustos virtutum suarum aestimatores omnes fere aequales Michaela, dum vixit, nacta est. Iam ab incunabulis sanctitatis fastigium, quo

ipsa evecta foret, matri quodam modo praeluxerat. Dicere enim consueverat: «Non so quali sono i progetti della Providenza di Dio circa Michelina (così la chiamava) o a che l'avrà destinata, imperocché non vedo che commetta un sol peccato veniale. Sempre sta occupata in opere di pietà, sia verso Dio,, sia verso il prossimo. Ho molto da imparare da Lei; è il mio vero togli-pene ».

Praematurae laudes exitu confirmatae sunt. Omnes enim veluti mulierem sanctam in honore illam habuerunt atque passim hac compellatione designabant. Si dignitate suffragantium sanctimonia tantae mulieris foret aestimanda, vix aliquem puto reperiri potuisse, qui Michaelam in hac honoris laude antecellere! Omnes, iique viri gravissimi e Societate Iesu, qui Dei Servae a confessionibus erant, sanctitati eius plurimum semper tribuerunt. P. Cumplido illud eidem edixerat ut gratias coelestiaque dona, quibus praedita esset, atque afflictationes corporis, quibus ultra devexaretur, minutim describeret: quod ipsa, quamquam propter animi demissionem invita, fecit. Sacerdos quidam virtute praeclarus, quem olim Bruxellis Dei Famula conscientiae suae moderatorem adhibuerat, sanctam eam praedicare consueverat. Quod idem sensit Sacerdos alter, qui Parisiis eius confessiones exceperat. « Oh essa è una santa » (inquiebat), atque eius res gestas narrare gestiebat. Quod idem P. Carasa sensit et praedicavit, quamvis in laudando parcissimus. At maxime omnium P. Claret auctoritas valet, cuius causa de coelitum honoribus eidem asserendis iam apud Hispanos agitatur. Is tanti Micbaelam fecit ut omnes animi angores, quibus afflictabatur, Dei Servae aperire consuevisset indeque avide consilium petere. Nec satis: ad eam consulendam clientes suos mittebat, ex quo ipsi fructus uberrimos retulerunt. Itemque quum probe novisset quanta emolumenta in regiam aulam ex Michaelis consuetudine redundare possent, eamdem iussit, accitu reginae, aulam celebrare, in qua summopere excolebatur: quod ipsa, ex obedientia, peregit. Regina vero tam alte de Michaela sentiebat ut saepe dixerit nihil arduum esse quod sibi, praecibus Dei Servae, non felix faustumque succederet. Quapropter, aliquo premente metu, semper eam lateri suo adesse voluit, ex quo quieta tranquillaque mente consisteret. Quotidie regio carpento Dei Servam ad se vehi iubebat, quae in magis abditis aulae conclavibus una simul ma-

ríales salutationes precatoriis globulis decurrebat et sacrorum librorum dulcedinem degustabat. De prospero Sodalitii exitu regina laetabatur illudque fovit atque *Rosarium,* quo Dei Serva, quamdiu vixit usa fuerat, impetratum utique religiose gestavit.

Praeterea de Michaelae insigni sanctitate optime senserunt Cardinales Patres, Praesules innumeri, aliique praeclarissimi viri. Quorum in numero ante omnes eminent Card. Cuesta Sancti Iacopi Archiepiscopus, Iuseo Episcopus Salamantinus, Arciniega Mondoniensis, Lluch Fortunatae Insulae, Crespo Toletanus, qui omnes « ebbero elevato concetto » virtutum eius. Abulensis Praesul Servam Dei S. Theresiae simillimam esse praedicabat, atque nepotibus suis aiebat: « *Voi siete giovani; la vedrete sugli altari».* Neque eam in negotiis gravissimis, quae Dioecesim respicerent, consulere dubitabat: «perchè aveva prove evidenti della santità di vita e tratto intimo della medesima col Signore ». Eam vocabat « *la Sua Cirenea* ». Quid multa? Adeo arcanorum conscientiae suae participem ipsam fecit atque consilia eius tanquam divinitus indita sequebatur. - His omnibus addere possum Emum Orbe Cardinalem Patrem ac Archiepiscopum Toletanum; itemque Antistitem Traianopolitanum, Card. Barrio, Archiepiscopum Granatensem aliosque plurimos ex omni ordine cives, qui in iudicialibus tabulis numerantur. Ne longius digrediar, spectatissimi viri transeunti Dei Famulae per viam vel genua flectebant eiusque manus coram oscul aban tur. Hinc factum est ut omes eius Instituto opem ferrent, quod inter adversa crescerei.

Quum sanctitatis fama splendor virtutis sit, non meis et calamistris fìctam, sed assidua excellentique virtutis exercitatione Dei Servae famam partam fuisse dixerimus, quae tam longe lateque patuit. Uti mulier divinitus data in miserorum salutem habebatur. Sodales, quae perpetuae testes eius virtutum fuerunt, dicebant: « Oh che Santa abbiamo fra noi! » In omnibus, quae agebat et cogitabat, eo praesertim spectabat ut gloria Deo aeternaque hominibus salus compararetur. Ideoque merito censebant omnes « che le sue virtù non erano finte, ma reali, che giammai commise un solo peccato veniale ». Adeo sorores, quae in sodalitio magis virtute praestabant, eius integerrimam vitam atque altissimum virtutis fastigium admiratae, quod assiduis afflictationibus, adepta fuerat, clare prospiciebat illam in coelitum albo adscriptum iri. Quapropter ex

omni genere viri, necessitatibus pressi, eius precibus enixe sese commendabant, quia plurimum apud Deum gratia valere ipsam arbitrabantur. « I Reali di Spagna, i Prelati della Chiesa, rispettabili Titoli di Castiglia, sacerdoti esemplarissimi ed altre molte persone, quando si vedevano in qualche imbarazzo le scrivevano o la visitavano, riferendole le loro necessità temporali e spirituali, e pregandola, che intercedesse presso la Divina Maestà ed ottenesse loro il soccorso di cui abbisognavano ».

Quae sanctitatis opinio non tempori cessit, non locis. Constans et aucta in dies. Nemo unquam eidem est adversatus^ Quicumque Dei Servam noverant, virtutes ac sanctitatem ipsius praedicabant. Quin etiam, coelestes honores eidem omnes ex animi sententia adprecantur atque magnam spem fovent fore ut ille felix faustusque dies, quo citius ^illucescat. Sancta tum in Coenobiorum septis, tum extra, Dei Serva habebatur. Testis quidam affirmavit: «Non ho veduto giammai che nè Vescovi, nè Sacerdoti, nè religiose, nè persona alcuna, fossero trattati, nè considerati con tanta venerazione e rispetto come fu venerata e trattata la Serva di Dio ». Ut paucis rem persequar, omnes Hispaniarum fines eius laudum voci respondebat: « erasi sparsa in tutta la Spagna la fama del suo nome ». Etenim *erat corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis, gloria, honoris et signum fortitudinis.*

De pretioso obitu.

« Ultima semper expectanda dies homini est, dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet ». Haec praeclara poetae vox! Nemo igitur non potest non beatissimus esse qui pro aliorum salute vitam profundens, infractus malis honesta morte defungitur. Iam annus 1865 infaustus Valentinis civibus illuxerat. Augusto mense vertente, teterrima lues, quem asiaticum morbum appellant, acriter saeviebat urbe. Defessis corporibus non ulla dabatur requies. Perturbata animi mens in moerore ac metu iacebat : supercilium triste : furiosus vultus : inexsplebili siti exsiccatae fauces, nervi distenti. Tacito timore mussabant medici atque multa passim prosternabantur corpora, incomitatis funeribus. - Hisce commota malis Dei Serva non amplius morari duxit, atque ad Sodales convolare statuit ubi primum nuncium accepit inter eas Valentinae domi

serpere morbum. Dies XI Kal. Sept. 1865 erat: sacra hostia adoranda proposita, 'Michaela e Sacello ibat ac redibat anxia ac insolito rubore suffusis genis. Splendebant oculi, risus suavior quam antea ore eminebat. A sacerdote, qui in collegio a sacris faciundis erat, flexis genibus benedictionem petierat. Praesentium filiarum amore retenta quasi dubia an discederet ire ac subsistere eadem voluisset. At denique, omni abrupta mora, quoniam Dei voluntatem exploraverat et res Sodalitii rite composuerat, P. daret auctore, fertur impavida suscepisse iter. Atqui sciebat pericula parata sibi: non aliter tamen tenerrimis Sodalium acceptis datisque osculis, dimovit obstantes arnicas, quam si ad nuptias exoptatas diu, properaret.

Iter, quod precibus auspicata erat, inter orandum assidue confecit. Praeclarum virum, quem noverat, nacta est per viam eique a suscepto itinere dehortanti, mortem se non timere respondit. Siti exarescebat : verum caelestis panis famelica, stimulis restitit, donec, quum Valentiam pervenisset, se sacris epulis reiecit, diu morata in gratiarum actione. Illico adventu suo iacentes sodalium animos excitat, solis ad instar, qui effusam imbrium intemperiem suspendit et agros, aquis obrutos oppletosque, patefacto coelo recreare solet. Postridie, ferventissimis Deiparae adhibitis precibus et rite sacramentis obitis, Archiepiscopum sa luta tum adivit eique in tanta rerum calamitate officia sua offerre non dubitavit. Exinde alacri domum redeunti admissum quoddam ab alumna sacrilegum crimen refertur. Ne aegrotantem collegii praesulem examinaret, repressit alto corde dolorem; at quum tantae acerbitates vim sustinere non posset, in sacellum sese recepit, ibique dolori laxatis habenis, lacrimis se totam dedit. Tunc has voces singultibus intercisas iactare audita èst: « Hanno infisso un pugnale nel Cuore di Gesù! Se io avessi saputo, che in casa mia dovevano oltraggiarlo in tal modo, non l'avrei fondata mai ».

Sed iam lues coenobium invaserai Quinque erant sodales affectae, quas omnes Dei Serva, materna caritate, curatrix fovit. IX Kal. Septembres quum inclinaret meridies, ex aegrotantium habitu pestilens lues eam corripuit. Vix lectulum iniit, certam mortis horam praevidit, atque Catharinae sodali, quae aderat: « iussa, cubitum descendi (inquit). Nunc vero nihil patior: paulo post acerbissime devexabor : media autem appetente nocte omnis doloris expers evadam ». Revera paulo postquam vis

morbida erupit, spes omnis recuperandae salutis succisa. Nulla medicaminum ratio a medicis certa dabatur: urgebant Aliae, et ipsa imminentem exitum siccis oculis prospiciebat. Aderat rnorienti P. Vinader e Societate Iesu, vir insignis pietatis. Quamquam eo ipso mane ad coelestem mensam accesserat, angelico viatorum pane decidentem animam sustentare summopere exoptabat. Ideoque, admissa omnia anteactae vitae confessa, sacerdoti nuncianti mox divinum sacramentum fore suscepturam gaudio anhelans « Ella, Padre, (inquit) mi apre il cielo, poiché non può immaginare l'allegrezza, che proverò nel ricevere il SSmo Sagramento in forma di Viatico ». Sorori autem, quae conclave ad tantum sacramentum rite excipiendum, paraverat ac Michaelam de hoc ipsa alloquebatur. « Grazie, Dio mio ! (inquit) Oh che gran favore! » Ubi vero vomitus aliquantisper remisit, inter effusissimam animi oblectationem sacro Eucharistiae viatico munita est. Corporis augebantur cruciatus quantum vix ferri possent; siti exardebant aridae fauces: accedebant nervorum contractiones et gelidus tremor occupabat artus. At dolores, quamvis acerbissimi, nullum umquam questum ex eius ore extorquere potuerunt. In divina prorsus voluntate quiescebat: omnia Dei arbitrio permiserat. Quamdiu aegrotavit, tamdiu ab orando non destitit. Vix caelesti pabulo refecta, hanc precem fudit:

« Gesù è somma bontà
Lui sa ciò, che mi conviene;
Si faccia la sua volontà,
Che sommessa qui mi tiene ».

Semper cum Deo coniunctissima fuit atque ad Eum saepe saepius iaculatoriis precibus erigebatur. Nomina dulcissima Iesu et Mariae invocare delectabatur, illud unum petens ut adauctis doloribus vel patiens animus adderetur.

Porro non mortem oppetere, sed bonum optatissimum expectare videbatur. Paradisum inhiabat assidue, oculis ad caelum conversis, aquilae ad instar, quae immobilis adversum intuetur solem. Vere tranquillitas mentis ex ore elucebat et morientis cellam virtutis scholam et domicilium gaudii iam factam esse crederes. Quapropter summopere commoti, qui aderant, inter lacrimas sanctam mori dolebant. — Vixdum supremam magis magisque adpetere horam sensit, opta vit sacro oleo in-

ungi, multaque edens signa pietatis eo sacramento fuit illinita cum precibus, quas Sacerdos funderet, certa voce responderet. Petiit etiam benedictione lustrari, quae in ipso mortis vestigio, ex benignitate Ecclesiae concedi solet, eamque venerabunda recepit. — Vota quae nuncuparat, instaurare voluit; atque tum ipsum haec extrema morientis desideria fuerunt ut designata Sodalis, quae, sese demortua, summum Instituti obtinuisset imperium, Toletano Praesuli commendaretur ac Sodalitium ipsum in clientelam B. Mariae Virginis Karmelitidis susciperetur. Interea paulatim corporis atterebantur vires : mentis vero semper compos fuit et Iesum et Deiparam eo debiliori invocabat prece, donec, mediam fere sub noctem, oculis quasi ad somnum compositis, animam Deo placidissime efflavit. - P. Vinader, qui aderat, *en* (inquit) *sic iusti moriuntur.*

Ubi mortis nuncium pervagari coepit, quamvis animi metu saevientis morbi perciti essent, civitas, ne dicam, Hispania veluti e suis sedibus commoveri visa est. Fiebant Sodales et alumnae matre dulcissima orbatae, certa spe erectae ut caelis recepta volens propitia rebus adolescentis Instituti prospiceret. Questus edebant pauperes, qui ad coenobii .ianuam turmatim confluxerant, et liberalissimam parentem obiisse plorabant. Qui eam irriserant, quasi in insaniam prolapsam, adeo nunc eius laudes pleno ore praedicabant. Rex ipse, regina, principes, spectatissimi viri, qui, honoris causa, in aula famulabantur, sacrorum Antistites, omnes denique, qui eam noverant, eius desiderio tacti, virtutes et insignem obitum celebrabant. Adeo ephemerides, cum pretiosum Dei Servae obitum vulgarent, sanctitatem eius publico laudabant praeconio. Certatim vestium Michaelae quaerebantur reliquiae atque omnes fines, qua longe excurrit Hispania, mulierem sanctissimam mortuam esse hac voce resonabant.

Demortuae corpus, quamvis ex omni ordine cives confiuxissent, morbi debacchantis causa, publice non expositum est. Mira tamen prodigia evenere. Post octo horas flexibile adhuc erat: ita compositum perinde ac si placide quiesceret. Sodales certam spem foventes fore ut tandem aliquando, adiuvante Deo, coelitum honores rite Michaelae assererentur, singulari loco corpus idem condi curarunt.

(sequitur)

LITTERAE APOSTOLICAE Ss.mi D. N. Leonis divina providentia Papae XIII quibus consilium instituitur studiis sacrae Scripturae provehendis

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vigilantiae studiique memores, quo *depositum fidei* Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, litteras encyclicas *Providentissimus Deus* anno 1893 dedimus, quibus complura de studiis Scripturae sacrae data opera complectebamur. Postulabat enim excellens rei magnitudo atque utilitas, ut istarum disciplinarum rationibus optime, quoad esset in potestate Nostra, consuleremus, praesertim cum horum temporum eruditio progrediens quaestionibus quotidie novis, aliquandoque etiam temerariis, aditum ianuamque patefaciat. Itaque universitatem catholicorum, maxime qui sacri essent ordinis, commonefacimus quae cuiusque pro facultate sua partes in hac caussa forent; accurateque persequuti sumus qua ratione et via haec ipsa studia provehi congruenter temporibus oporteret. Neque in irritum huiusmodi, documenta Nostra cecidere. Iucunda memoratu sunt quae subinde sacrorum Antistites aliique praestantes doctrina viri magno numero obsequii sui testimonia deferre ad Nos maturaverint; cum et earum rerum, quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque efferrent, et diligenter se mandata effecturas confirmarent. Nec minus grate ea recordamur, quae in hoc genere catholici homines re deinceps praestitere, excitata passim horum studiorum alacritate. — Verumtamen insidëre vel potius ingravescere caussas videmus easdem, quamobrem eas Nos Litteras dandas censuimus. Necesse est igitur illa ipsa iam impensius urgeri praescripta: id quod Venerabilium Fratrum Episcoporum diligentiae etiam atque etiam volumus commendatum.

Sed quo facilius uberiusque res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim cum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma, maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apo-

stolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de caussis placet, certum quoddam Consilium sive, uti loquuntur, *Commissionem* gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius Consilii praecipuam sedem esse addecet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi: ut quae Urbs magistra et custos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praeceptio influat. Viri autem ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, haec proprie habebunt suae navitati proposita.

Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi : quin imo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnalo existere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos , linguarum veterum orientalium scientia , aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem aerem curam diligentiamque adhibeant. Idque praesertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permi-

sisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, eum pro vero sensu sacrae Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari » (1); eam esse divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint. — Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte'heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu .est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus.

Tertio loco, in eam studiorum horum partem quae proprie est de exponendis Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ac de iis quidem testimoniis, quorum sensus aut per sacros auctores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convincendum esse, eam interpretationem solam ad sanae hermeneuticae leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla extiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probant, sequi luerique sententiam: quibus tamen in locis cognitum est ana-

(1) Conc. Vatic. sess. III, cap. II, ***De revel.***

logiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere. Iamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos; neve inter disputandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis non licebit ex variis multorum studiis magnos expectare huius disciplinae progressus. — Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, praecipuas inter doctores catholicos rite et pro dignitate moderari quaestiones; ad easque finiendas qua lumen iudicii sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicae Sedi declarandi quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum iudicio relinquendum sit.

Quod igitur christianae veritati conservandae bene vertat studiis Scripturae sanctae promovendis ad eas leges, quae supra statutae sunt, Consilium sive *Commissionem* in hac alma Urbe per has litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus auctoritate Nostra deligendis: iisque in communionem studiorum laborumque mens est adiungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, alios ex alia gente, viros quorum a doctrina sacra, praesertim biblica, sit commendatio. Consilii autem erit et statis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulentibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quae dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse. Quaecumque vero res consultae communiter fuerint, de iis rebus referri ad Summum Pontificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit. — Atque ut communibus iuvandis laboribus supellex opportuna suppetat, iam nunc certam Bibliothecae Nostrae Vaticanae ei rei addicimus partem ; ibique digerendam mox curabimus codicum voluminumque de re Biblica collectam ex omni aetate copiam, quae Consilii viris in promptu sit. In quorum instructum ornatumque praesidiorum valde optandum est locupletiores catholici Nobis suppetias veniant vel utilibus mittendis libris ; atque ita peropportuno genere officii Deo, Scripturarum Auctori, itemque Ecclesiae navare operam velint.

Ceterum confidimus fore, ut his coeptis Nostris, utpote quae christianae fidei incolumitatem sempiternamque animarum salutem recta spectent, divina benignitas abunde faveat; eiusque munere, Apostolicae Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui sacris Litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.

Quae vero in hac caussa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 30 Octobris anno 1902, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

A. Card. MACCHI.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DECRETUM

DE CHORALI DISCIPLINA IN URBE

Postremis hisce temporibus, quod valde dolendum est, in ecclesiis collegiatis Urbis, atque adeo in ipsis patriarchalibus basilicis, chorale servitium paullatim elanguit; ita ut, deficiente in divini officii recitatione et ritibus obeundis congruo capitularium numero, sacrae functiones non raro sine ea dignitate et splendore peragantur, quem divinus cultus, maxime in Urbe catholici nominis principe, exposcit.

Id non una ex causa factum, sed potissime ex mutata conditione temporum; unde novae variaeque in dies pro Ecclesia et animarum bono necessitates extiterunt; hinc sacerdotes in multis rebus distracti, exemptiones choralis servitii multiplicatae, atque etiam quandoque, praepostera adhibita interpretatione, plus aequo extensae.

Huic occurrens malo SSrïius D. N. Leo PP. XIII, cum, pro ea quam gerit Romanae ecclesiae prae omnibus aliis paternam

atque apostolicam sollicitudinem, velit divini cultus iura integre in Urbe servari, simulque publicis aliis privatisque necessitatibus quantum fas est satisfieri, inhaerendo vestigiis Decessorum suorum, ac praesertim Pii IV, Innocentii XII et Pii VII sequentia statuit ac decernit:

1. Die 24 proximi mensis Decembris, in pervigilio Natalis D. N. I. C, ad primas vesperas omnia et singula indulta choralia, sive in favorem personae, sive institutorum et piorum operum causa, sive quorumdam munerum ratione, quomodolibet et quocunque titulo concessa, privilegiis quibuslibet non obstantibus, cessabunt, nullius proinde valoris futura, et nemini amplius suffragatum.

2. Ad exemptiones a choro in posterum assequendas qui legitimam causam habebunt, preces ad S. Concilii Congregationem adhibeant; quam SSmus D. N. ad has expediendas gratias unice et exclusive deputat, adeo ut indulta aliter, quolibet modo, etiam vivae vocis oraculo, impetrata, nullius valoris ceu obreptitia et subreptitia aestimari oporteat.

3. Quoties autem S. Concilii Congregatio pro concedendis indultis capituli votum requiret, illud per secreta suffragia exprimendum exigat.

4. Cum ex Motu proprio « *Cum sicut accepimus* », a Pio IV P.M., XII kal. Decemb. a. 1560 edito, omnes et singuli reditus ad capitula tam patriarchalium basilicarum, quam aliarum quarumcumque ecclesiarum Urbis spectantes, in quotidianas distributiones dividendi sint, canonicae sanctiones hac de re vigentes et a S. Concilii Congregatione saepius ac praesertim in *Valvensi* 24 Novembris 1838 confirmatae, integre et adamussim etiam in Urbe serventur. Idcirco, quacumque contraria consuetudine, quae forte inoleverit, sublata et abolita, in posterum universi fructus ad memorata capitula spectantes in quotidianas distributiones pro diebus- et horis erunt ex integro partiendo

Quare absens sine legitima causa eos omnes fructus amittet, et si quos forte perceperit, ad restitutionem tenebitur, salvis tamen particularibus constitutionibus, ex quibus maior poena irrogetur.

Absens autem ex legitima causa, si ex infirmitate aliove iusto titulo, debito modo ac forma recognito, tamquam praesens in choro pro lucrandis distributionibus reputetur, quoti-

dianas distributiones ex toto percipiet: si vero iuxta iuris censuram praesens in choro non habeatur, duas partes, quae locum praebendae obtinent, utique acquiret, tertiam tamen amittet

5. Ad hanc ultimam classem absentium pertinent adiutores Sacrarum Congregationum, qui ut huic muneri vacent absentiae indultum assequuti sint. Ideoque hi duas partes quotidianarum distributionum lucrabuntur, pro diebus et horis dumtaxat, quibus suorum officiorum causa a choro aberant; tertiam vero amittent, prout S. Concilii Congregatio expresse statuit in causa *Dubia indultorum* die 6 Maii 1820 *ad III. Dubium,* et confirmavit, re denuo discussa, die 25 Maii 1822. Quas resolutiones SSmus D. N. ad plenam observantiam revocat, et quatenus opus sit, renovat et confirmat, singulorum, ad quos spectat, conscientia arcte hac de re onerata.

6. Distributiones extraordinarias, quae *inter praesentes* vulgo dici solent, nemo ex absentibus unquam percipiet, quolibet privilegio et indulto in contrarium cessante, prout cautum est sub *num. i* praesentis decreti, salvis tamen diversis piorum fundatorum praescriptionibus.

7. Indulta quae aestivo tempore valetudinis curandae gratia concedi solent, unius mensis spatio continebuntur, salvo tamen antiquo Lateranensis basilicae privilegio.

8. Privilegium Lauretanae peregrinationis pro capitulis eo fruentibus ad dies octo reducitur; peregrinationis autem Hierosolymitanae ad tres menses.

Denique in iis omnibus de quibus praesens decretum non cavet, Sanctitas Sua vult et mandat, ut sacrosancti Tridentini Concilii praescripta et S. Concilii Congregationis resolutiones ad choralem disciplinam regendam editae, ad unguem ab omnibus ex conscientia serventur.

Et haec omnia praesenti ipsius S. Congregationis decreto publicari, atque inviolate custodiri iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex S. C. Concilii die 17 Septembris 1902.

f VINCENTIUS CARD. EPISC PRAENESTINUS, *Praef.*

f BENIAMINUS Archiep. Nazianzenus, *Secretarius.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

CANARIEN.

INDEMNITATIS

Die 16 Maii 1902.

COMPENDIUM FACTI. Ut consideretur educationi et instructioni puellarum in civitate *Las Palmas* (in insulis Canariis) mense Novembris 1891 decrevit Episcopus Canariensis erectionem Collegii Sororum, quae appellantur Filiae Christi Regis, nuper in eam civitatem appuisarum et cum domo principe in urbe Granatensi. Anno 1893-94, praevia Apostolica licentia, mutuum infructiferum in libellis 89,000 contractum est partim ex piis fundis ad dioecesim et mensam Episcopalem Canariensem spectantibus, et partim ex peculio privato Episcopi, et sic domus pro novo collegio fuit comparata. Haec chirographaria obligatio peracto publico Instrumento suscepta fuit a duobus sororibus eiusdem novi instituti ceu personis privatis et saecularibus.

Episcopus Canadensis refert quod super dicto Instituto et alia duo debita gravant contracta pariter praevio Apostolico Indulto, unum in libellis 111,471, pro restauranda et amplianda fabrica Collegii, quae summa desumpta fuit pariter ex fundis piis dioecesis, et alterum in libellis 48,690 mutuatis ab Episcopo ex suo privato peculio filiabus Christi Regis ab earum adventu in insulas Canarias usque ad Instituti mutationem.

An. 1895 praefatae Sorores una excepta, annuente Episcopo Canariensi, regulam Tertii Ordinis S. Dominici amplexatae sunt et die 15 Iunii eiusdem anni Episcopus earum professionem recepit. Hoc valde displicuit Superiorissae Generali et Fundatori Congregationis Filiarum Christi Regis, tum quia transitus ad aliam Regulam evenerat absque Superiorissae et Fundatoris consensu, tum quia domus Collegii cum ad-

nexis et connexis sive cum omni supellectili sive sacra sive profana adhuc ab iisdem Sororibus retinebatur. De hoc rerum statu proinde graves querelae motae sunt contra Episcopum Canariensem apud S. Congregationem Episcoporum et Regul. quae die 15 Aprilis 1899 sequens edidit decretum: — *Sorores Instituti Christi Regis quae domum eiusdem Instituti in dioecesi Canariensi sitam incolebant, et iam regulam Tertii Ordinis S. Dominici professae sunt, ad evitanda scandala relinquendas esse in bona fide; domum vero Instituto restituendam esse: verum si dimisso debito, quo Superiorissa Instituti erga Episcopum Canariensem obstringitur, res ad aequalitatem reducitur in hac resolutione contractus illam acquiescere posse. Caetera vero damna, nisi aliter reparata sint, compensanda esse ea ratione quam in praesenti statu rerum iustitia simul et prudentia docebunt.* —

A data resolutione appellationem interposuit Episcopus Canariensis haec subiiciens dubia:— 1. *An tuto Episcopus siquidem debitum domus valorem adaequet eam retinere possit quousque debitum non solvatur. 2. An possit Episcopus prudens temporis spatium Superiorissae Instituti ad hoc debitum solvendum statuere, ita ut illo elapso et debito non soluto omne Superiorissae in domum ius exiinctum esse censeatur.* Quae dubia sequenti decreto dimissa sunt: — *Cum ex notitiis eidem S. Congregationi suppeditatis constet Superiorissam Filiarum a Christo Rege nuncupatarum nihil praestitisse ex debitis quibus erga Episcopum Canariensem et loca pia ipsius dioecesis obstringitur et integrum pretium pro emenda et amplianda enunciata domo ab eodem Episcopo Canariensi solutum fuisse, casus existit praevisus in secunda parte decreti diei 15 Aprilis 1899 idest illam huius in resolutione contractus acquiescere posse.*

Huic responso se submittere noluerunt Superiorissa et Fundator Congregationis Filiarum Christi Regis, et proinde petierunt controversiam definiri in plenario Eminen-

tissimorum Patrum coetu maxime instantes ut reparentur damna Congregationi praefatae allata ex culpa Episcopi Canadensis.

Disceptatio synoptica

FAVORE SUPERIORISSAE GENERALIS FILIARUM CHRISTI REÇUS. — Haec quamvis suo tempore monita allegationes non exhibuit : nonnulla proinde ex suo recursu delibantur. Iuxta Superiorissam Generalem mutui contractus cum Episcopo Canariensi ita fuit initus, ut restitutio mutuatae pecuniae statis ratis facienda esset ex pretio conductionis domus anterioris Instituti et ex summa superextante ex reditibus Collegii puellarum. Atqui haec conditio seu modus adimplendi solutionem per aggregationem Sororum Tertio Ordini S. Dominici ab Episcopo Canariensi peractam omnino frustranea evasit, quia Institutum positum fuit in impossibilitate restituendi mutuatam pecuniam. Hinc facta aggregatio Sororum et occupatio Collegii nedum fuit arbitraria, iniusta et illegalis utpote destituta consensu Superiorissae Generalis et Fundatoris Congregationis, sed etiam damnosa Congregationi quae proinde redintegranda est ob passa damna.

Deinde ita prosequitur Moderatrix Generalis : *Similiter jpostulamus compensationem aequam damnorum subsequentium.* I. *Compensanda sunt omnia dispendia facta a nostro Instituto in exordio et decursu Collegii Canariensis.* II. *Rationem horum dispendiorum habent non solum syngrapharum expeditiones, sed etiam pretium transvectionis sororum, nec non quidquid ad eruditionem ipsarum impensum fuit. Inter sorores aggregatas ab Episcopo Tertio Ordini S. Dominici, tres curriculum publici magisterii (una vero etiam in arte delineatoria institutrix) adeptae erant, tres magistrae in arte musicorum, una earum in lingua gallica perita, tres in mulierum laboribus instructae, coeterae auxiliares.* III. *Similiter aestimanda sunt sup ellee tilia, indumenta, tria instrumenta musicorum (vulgo pianofòrte), organum (vulgo harmonium), libri, imagines*

picturae, paramenta ecclesiae seu oratorii. IV. *Petimus etiam quidquid ex computationihus anni 1895 adhuc non exhibitis, nostro Instituto iuste sit exolvendum.*

PRO EPISCOPO CANARIENSI.— Ex adverso Episcopi patronus Superiorissae Generalis petitionem omnino reiiciendam esse autumat. Sane ratealis summae mutuatae restitutio non extitit conventionis obiectum prouti constat ex contractus litera, sed tantummodo spontanea concessio facta ab Episcopo Canariensi Superiorissae non Generali sed locali Instituti, quippe qui probe sciebat sorores oneri restituendi satisfacere non posse nisi paulatim seu per graduales solutiones. Hinc nulla obligatio ex parte Episcopi creditoris sed tantum pura remissio favore Instituti debitoris. Quo posito patronus facile deducit ea omnia esse reiicienda quae a Superiorissa Generali proferuntur ad probandum per factam Sororum aggregationem Tertio Ordini Sancti Dominici Institutum positum esse in impossibilitate adimplendi contractus, et hinc expetita ex hac parte damnorum compensatio in tenues resolvitur auras. Sed Advocatus maiora urget. Re quidem vera obligatio reficiendi damna non ex quacumque damnificatione exoritur sed tantum ex culposa et iniusta. Atqui incriminata Sororum aggregatio fuit licita: et pluribus id arguit.

In primis tempore quo Sorores transierunt ad Congregationem Tertii Ordinis S. Dominici, hae non habebant regulam approbatam a S. Sede imo neque decretum laudis: hinc pendebant ab Ordinario dioecesano, cuius erat eas dirigere ad ultimum aeternum finem ea via quae sibi magis, expediens videretur. Sed de facto in Instituto Canariensi Filiarum Christi Regis constabat plura desiderari tum quoad disciplinam tum quoad spiritum religiosum : et haec fuit causa motiva cur Sorores ad suis consulendum conscientiis libere decreverint transire ad aliam rigidiorem regulam Tertii Ordinis Dominicam. Age vero Episcopus qui Sororum spirituale bonum curare debebat, poterat ne hunc transitum impedire ?

Secundo ex recenti Constitutione *Conditae a Christo* Leonis XIII ad moderandas relationes inter Instituta religiosa dioecesana et Episcopos, eisdem Episcopis facta est facultas dispensandi a votis quae Romano Pontifici non sunt reservata — *Alumni et alumnae Sodalitatum harum in foro externo eidem (Episcopo) subsunt quoad spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sunt uni Summo Pontifici reservata*______Iam vero votum obedientiae certe non erat de reservatis. Ergo Episcopus Canariensis poterat Sorores Instituti ab hoc voto solvere.

Sed tertio dato etiam et non concesso quod facta aggregatio excessisset Episcopi facultates haec disputatio in praesens supervacanea evadit, eo quia per rescriptum S. Congregationis Episcoporum et Regul. diei 15 Aprilis 1899 tamquam valida recognita fuit ; nam dictum est Sorores quae regulam S. Dominici professae sunt relinquendas esse in bona fide. Si igitur concludit patronus incriminata Sororum aggregatio fuit licita et valida, necessario sequitur expungendam esse quaestionem damnorum moralium quam Superiorissa Generalis intentare satagit.

Postea advocatus progreditur ad quaestionem damnorum materialium et sub hoc puncto pariter contendit Superiorissae Generalis petitionem esse reiiciendam. Siquidem ab ea obiecta damna ad hoc reducuntur nempe ad libellas 250 traditas initio sororibus a Civitate Granatensi ad Canariensem commeantibus et ad expensas factas pro itinere 9 Sororum. Sed longe aliae et graviores sunt expensae ab Episcopo perlatae sive pro instruendo Collegio de necessaria suppellectili sacra et prophana, sive pro alimentis et victui cum annualis introitus Collegii semper inferior evaderet in exitu ; et hae expensae ascendunt ad non tenuem summam libellarum 58,690: ceu facile ex documentis probari dicit patronus, quare si aliqua compensatio admitti deberet, haec profecto Episcopo competeret. Quoad damnum quod Superiorissa Generalis conqueritur Congregationi Fi-

Harum Christi ob venisse ex amissione nonnullarum Sororum peritarum sive in arte musica et delineatoria sive in magisterio linguarum ob earum transitum in aliam Congregationem, advocatus reponit quod hae dotem attulerant, et hinc ius habebant ad instructionem ; aliunde haec dos retinetur a Congregatione Filiarum Christi Regis ; hinc querelis locus fieri non debet. Item de computationibus an. 1895 adhuc non exhibitis, advocatus observat quod hae computationes reducuntur ad 5 menses; sed redditio huiusmodi rationum inutilis existimata fuit, cum experientia constaret quod quaelibet annalis administratio cum passivo clauderetur, cui Episcopus occurrebat cum sua pecunia.

Tandem advocatus non conficit ita ratiocinando. In comperto est quod domus Collegii empta fuit pecunia ab Episcopo Canariensi mutuata et super ea domo etiam hypotheca fuit capta. Haec autem domus inscripta fuit non Superiorissae Generali aut Fundatori Congregationis Filiarum Christi Regis sed tantum duabus Sororibus eiusdem Instituti cum votis temporaneis: Episcopus ad Collegium regendum arcessivit 15 sorores praefatae Congregationis, quae mutata voluntate ad aliam regulam transire satius duxerunt : Episcopus censuit eas esse retinendas in regimine Collegii. Quaerit advocatus num Episcopus id facere nequiverat cum ipse dominus esset Instituti? Ergo petitio compensationis damnorum ex adverso opposita nullo valido nititur fundamento.

Hisce utrimque summatim relatis, propositum fuit sequens

Dubium

An Institutum Filiarum Christi Regis ius habeat ad indemnitatem contra Episcopum Canariensem in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Episcoporum et Regularium in conventu generali diei 16 Maii 1902 re mature discussa rescripsit : — *Affirmative iuxta modum : modus est ut Superiorissa Generalis Instituti Filiarum Christi Regis et ea-*

rum Fundator canonicus Gras remittant S. Congregationi notulam indemnitatum quas petunt deputando Romae procuratorem, et item ut Episcopus Canariensis designet suum procuratorem pro observationibus quas forte faciendas putaret super praedicta nota, et ut S. Congregatio in particulari congressu quaestionem definitive componat.

EX S. CONGR. CAEREMONIALI

DUBIA super iuribus et honoribus purpuratis Patribus adserentes.

De iuribus et honoribus purpuratis Patribus adserendis in actis quibusdam, quae ad ipsorum munus ac dignitatem spectant, R. P. D. Franciscus Riggi, apostolicis caeremoniis praefectus, S. Congregationi Caeremoniali dubia proposuit quae sequuntur:

Dub. I. — Utrum purpurad Patres ad ordinem Diaconorum vel Presbyterorum pertinentes, sed Episcopali consecratione non aucti, crucem ante pectus more episcoporum, deferre possint, sive domi intra romanam Curiam, sive ubique locorum extra ipsam Curiam.

Dub. II. — Haud semel accidit ut Patres Cardinales electi Protectores, in solemnibus possessionis, pro simplici aulaeo, duobus a solo gradibus, usi sint throno proprie dicto, tribus a pavimento gradibus elevato, superimposita umbella, seu peristromate. Contigit etiam ut, Cardinali Protectore templum subeunte, decantata fuerit, quemadmodum in possessu Tituli, an^ tiphona: *Ecce sacerdos magnus* vel *Fidelis namque.* Denique ut idem Cardinalis Protector, in ecclesia publica confraternitatis aut religiosi ordinis, palliolum, seu *mantelletum,* deposuerit.

Ad certam normam pro variis casibus constituendam quaeritur :

1. Utrum Patribus Cardinalibus, qui alicuius ecclesiae Protectores a Summo Pontifice fuerint renunciati, cum plena in ipsam iurisdictione, memorata signa honoris, in solemni possessionis ritu, competant.

2. Utrum purpuran' Patres electi Protectores Ordinum regu-

larium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve instituto-rum, possint, dum possessionem ineunt, in horum aedis àula maiori, vel in interiore sacello; aut ad ianuam templi vel ad-nexi publici oratorii excipi cum cantu antiphonae : *Ecce sacer-dos magnus,* vel : *Fidelis namque.*

3. Utrum iidem Cardinales Protectores Ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, pos-sint in interiore aula religiosae domus vel confraternitatis vel instituti; aut etiam in ecclesia vel publico oratorio, thronum adhibere triplici cum gradu, superimposita umbella, seu peri-stromate.

4. Utrum liceat iisdem palliolum deponere et retecto sup-pari, seu *roeheto* et *rnozzeta,* adstare in ecclesia vel in pu-blico oratorio, si in alterutro locum habeat actus possessionis.

5. Purpuratis Patribus, qui a Summo Pontifice fuerint dati Protectores regnis, civitatibus, academiis, aliisve, competantne peculiaris honoris aliqua signa.

Dub. III. — Si contigua ecclesiae aedes propria sit Cardi-nalis Titularis, eademque inhabitetur a religiosa familia vel in-stituto subiecto alteri Cardinali utpote Protectori, utri pupurato liceat intra aedem ipsam incedere cum *rnozzeta* tantum.

Dub. IV. — 1. Utrum Cardinalis Protectoris collocari insi-gnia, seu stemmata, possint super ianua domus aut templi ad religiosam familiam, ad confraternitatem aliudve institutum per-tinentium.

2. Item probandane sit consuetudo in Urbe recepta, ponendi super ianuis templorum ad confraternitates pertinentium insi-gnia, seu *stemmata,* Primicerii una cum *stemmate* Cardinalis Protectoris.

Super proposita dubia, auditis tribus S. Congregationis Cae-remonialis consultoribus, Eminentissimi Patres, in comitiis ha-bitis die 23 mensis Maii an. 1902 in Aedibus Vaticanis, ita re-spondendum censuerunt :

Ad I. Nihil innovetur.

Ad II. 1. *Affirmative.*

» *2. Negative,* i. e. excluso cuiusvis antiphonae cantu.

» 3. Ad primam partem *affirmative:* ad secundam *ne-gative.*

» 4. *Negative.*

» 5. *Negative.*

Ad III. Competit utrique.

Ad IV. 1. Insignia, seu *stemmata,* Cardinalis Protectoris super ianuas domus rite apponuntur. Id ubi fieri nequeat, poterunt apponi super ianuas ecclesiae, sed una cum stemmate Romani Pontificis, et nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus.

Ad IV. 2. *Negative.*

Facta de his, per me infra scriptum Cardinalem S. Congregat. Caeremoniali Praefectum, relatione SSmo D. N. Leoni XIII Pont. Max., Sanctitas Sua omnia approbavit et confirmavit, die 30 eiusdem mensis et anni.

ALOISIUS CARD. OREGLIA a S. Stephano
S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. * S.

LUDOVICUS GRABINSKI, *Secretarius.*

OECRETUM quo certae normae exhibentur purpuratis Patribus ad sacros ritus splendidius celebrandos.

Dignitatis eminentia, qua S. R. E. Patres Cardinales, Pontificis Maximi Consiliarii Eiusdemque Senatus augustus, in Ecclesia praefulgent, plane postulat ut alta de ipsis opinio penes christianum populum vigeat. Quare mirum non est si Eorum decori tuendo multa fuerint lege cauta et constituta, collatis per varia tempora amplissimo illi Ordini iuribus, privilegiis, honoribus , quum in ceteris, tum praesertim in iis quae ad sacros ritus splendidius per ipsos celebrandos pertinerent. Quia vero nostra maxime tempora postulare videntur ut sedulo caveatur ne tanta maiestas quidquam detrimenti capiat et quotidiano ministerii usu vilescat, S. Congregatio Caeremonialis opportunum duxit certas in rem normas proponere, easque significatas altero Decreto ecclesiarum Urbis rectoribus, purpuratis etiam Patribus exhibere.

I. Pater Cardinalis e Presbyterorum aut Episcoporum ordine invitatus extra proprium titulum aut ad ecclesiam aliquam Urbis ad sacrum solemne, vel ad pontificalia exercenda in Missa

aut in Vesperis, ne annuat, nisi audito, quo ipse utitur, apostolicarum caeremoniarum magistro atque his conditionibus :

1. Ut aequa sit et probanda causa cur Emi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius Festi celebritatem;

2. Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignoribus sit atque insignioribus;

3. Sacri ministri aliique inferiores operam praestitum, numero adsint qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant; ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti ; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri;

4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum Emus Vir sacrum solemne peragit : praeter gregorianum, non alius recipitur cantus quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero, quum numero, tum arte nihil desiderandum relinquant.

II. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem Festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octofpost canonizationem ; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia Emi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris Festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui Tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius.

III. Ad Missam privatam in publicis Urbis ecclesiis invitatus Pater aliquis Cardinalis, sive ex ordine Episcoporum aut Presbyterorum, sive, etiam *posito privilegio,* ex ordine Diaconorum, ne annuat nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta Festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne

omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem S. C. Rituum praescriptis et caeremoniarum regulis.

IV. Si quis Pater Cardinalis fuerit invitatus ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento, ante ne annuat quam sibi constet omnia parata esse atque disposita iuxta superius descriptas normas; haberi sacros ministros in aliqua Ecclesiae dignitate constitutos; inferiores autem clericos et numero et qualitate commendabiles.' Ad novendíales vero vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis) ne velint quotidie accedere PP. Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

V. Absolutionis ritum post Missam de Requie ab episcopo aut presbytero celebratam, ne peragant PP. Cardinales ordinis-Episeoporum aut Presbyterorum, *praesente cadavere,* nisi mandante aut volente Summo Pontifice. *Absente cadavere,* eo fungi ritu poterunt in funebribus aut Pontificis Maximi, aut purpuratorum Patrum, aut catholicorum Principum; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum; modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus.

VI. Ad cavendum ne aliis in ritibus caeremoniisve sacris, praeter memorata, studio etiam novitatis, aliquid inducatur purpuratorum Patrum dignitati minus conveniens, quod aliquando accidisse constat, expedit ut PP. Cardinales invitationi non obsequantur, nisi facti certiores per aliquem caeremoniarum apostolicarum magistrum, omnia rite geri, nec Cardinalis decori quidquam obesse.

VII. Purpurati Patres solemnia celebraturi in publicis Urbis ecclesiis, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum, familiares nobiles duos secum ducant. — In ritibus haud ita solemnibus ducant saltem ecclesiasticum familiarem nobilem unum, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum.

Quae omnia a S. C. Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in aedibus Vaticanis, die 23 mensis Maii an. 1902,

et per me infra scriptum Cardinalem S. C. Caeremoniali Praefectum relata ad SSmum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit die 30 eiusdem mensis et anni.

ALOISIUS CARD. OREGLIA a S. Stephano
5. *Congr. Caerem. Praefectus.*

L. * S.

LUDOVICUS GRABINSKI, *Secretarius.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM de concursu minus probabilis opinionis cum probabiliora

Roma, Ii 19 Aprile 1902.

Deferita a questa Suprema Congregazione una istanza.... per avere comunicazione ufficiale del vero testo del decreto del S. Uffìzio sul probabilismo, diretta al P. Thirso Gonzales, S. L, il sottoscritto Assessore.... si onora di trasmettere qui inchiusa la copia autentica di detto decreto, con espressa dichiarazione che questo è *l'unico vero testo,* che per conseguenza tutti gli altri, in qualunque modo e tempo pubblicati, debbono considerarsi come apocrifi e che se qualcuno di questi ultimi rechi per avventura segni, anche non dubbi, di autenticità deve ritenersi esser ciò avvenuto per mero equivoco....

GIAMBATTISTA LUGARI, *Assessore del S. U.*

« Facta relatione per Patrem Lauream cöntentorum in litteris Patris Thirsi Gonzales Soc. Iesu, SSmo D. N. directis, Eminentissimi Domini dixerunt, quod scribatur per Secretarium Status Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto Patri Thirso, quod Sanctitas Sua benigne accepit ac, non sine laude perlectis eius Uteris, mandavit ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon

viriliter impugnet sententiam eorum qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sit cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem eumque certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suae.

« Iniungatur Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae ut non modo permittat eiusdem Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserendum, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam scribat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam; eisque iubeat ut mandato Sanctitatis Suae omnino se submittant.

« Die 8 iulii 1680. Renunciato praedicto Ordine Sanctitatis Suae Patri Generali Societatis Iesu per Assessorem, respondit, se in omnibus quanto citius pariturum, licet nec per ipsum, nec per suos Praedecessores fuerit unquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere ».

Testor ego, infrascriptus Sancti Officii Notarius, suprascriptum exemplar decreti, editi feria IV die 26 iunii 1680, fuisse depromptum ex actis originalibus eiusdem Sacrae Congregationis, eisque, ut constat ex collatione de verbo ad verbum facta, adamussim concordare.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 21 aprilis 1902.

Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Notarius.*

EX S. C. SUPER DISCIPLINA REG.

ORDINIS Minorum S. Francisci Capuccinorum.

Beatissime Pater,

Infrascriptus Procurator Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, sa-

pientissimo iudicio eiusdem Sanctitatis Vestrae haec declaranda submittit, nempe:

Cum per recentiorem Gubernii legem, iuvenes Clerici qui ad exteras Missiones pergere proponunt sibi ac statuunt, a servitio militari eximantur usque ad annum vigesimum sextum, atque si ante finem vigesimi sexti anni eorum aetatis revera ad dictas Missiones perrexerint, et in eis permanserint per alios sex annos, omnino exempti erunt a praefato servitio; quaeritur:

I. An iuvenes Clerici, de quibus agitur, ante annum vigesimum sextum aetatis solemnem professionem (si Regulares) emittere et ad sacros Ordines promoveri possint?

II. Et quatenus negative; an gratia Apostolica ad effectum de quo in primo, impetrari possit ac debeat pro singulis huiusmodi Clericis?

Et Deus etc.

Ad I. et IL: *Non expedire.*

Ex Congressu. Romae die 22 Iulii 1901.

FR. H. M. CARD. GOTTI, *Praef.*

IOSEPHUS NERVEGNA, *Substitutus.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

MECHLINIEN. De methodo peragendi exercitium Viae Crucis in sacellis piarum mulierum.

Superiorissa Generalis Instituti Adorationis Perpetuae, cuius domus princeps extat Bruxellis in archidioecesi Mechliniensi, huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia exponit:

In decreto huius Sacrae Congregationis diei 6 Augusti 1757 praescribitur in pio Viae Crucis exercitio publice peragendo ob angustiami loci unumquemque de populo locum suum tenere posse, dummodo Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistat in qualibet Statione, ibique consuetas pre-

ces recitet. Anno elapso ab eadem Sacra Congregatione quaesitum fuit: I. « An ista methodus servari queat, ob angustiam loci, in sacellis domorum communitatum religiosarum; etil. An loco Sacerdotis cum duobus clericis unus tantum e fratribus non sacerdos circumire ac sistere in qualibet statione suetasque preces recitare valeat ». Et S. Congregatio in una *Instituti Fratrum Maristarum a Scholis* diei 27 Februarii 1901 respondit : « Affirmative ad utrumque ». Nunc vero praefata Superiorissa sequens dubium solvendum proponit: *An loco unius ex fratribus in domibus religiosarum, una ex Sororibus circumire ac sistere in qualibet Statione suetasque preces recitare valeat?*

Sacra Congregatio, audito unius ex Consultoribus voto, respondit: *Affirmative.*

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 7 Maii 1902.

S. CARD. CRETONI *Praef*

F. SOGARO, Archiep. Amiden. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MEDIOLANEN. Extensionis Decreti 18 Iulii 1902 ad alias Ecclesias, iuxta modum.

Expetenti Emo et Rmo Domino Cardinali Andreae Ferrari, Archiepiscopo Mediolanensi : « An decretum *Mediolanen.* 18 Iulii 1902 non solum ad Ecclesias parochiales et subsidiarias sed etiam ad alias eiusdem generis Ecclesias seu Oratoria publica vel semipublica extendatur? » Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit : « *Affirmative,* dummodo ex iure vel ex privilegio aliae Ecclesiae seu Oratoria publica vel semipublica peragere valeant functiones in Triduo Maioris Hebdomadae, adhibita etiam forma minus solemni descripta in tractatu : *Piccolo Ceremoniale delle Chiese*

parrocchiali della dioeesi di rito ambrosiano; secus *Negative,* et dentur decreta n. 2616 *Resolutionis dubiorum,* 31 Iulii 1821 ad 1 et 2 (1), et n. 4049 *Comen.,* 9 Decembris 1899 ad I (2) ».

Atque ita rescripsit, die 22 Augusti 1902.

DOMINICUS CARD. FERRATA, S. *R. C. Praefectus.*

L. « S.

f DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen.
S. R. C. Secretarius.

(1) Citatum Decretum **31** Iulii **1821,** sic se habet:

1. An tolerancia sit consuetudo vigens in quibusdam Paroeciis, praesertim in ruralibus celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Coena Domini, quin peragi valeat eadem Feria et sequenti ceterae ecclesiasticae functiones praescriptae, ob Clericorum defectum. **2.** An in Sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico Sacello ratione Ordinationis, vel aliis Sacerdotibus (si qui sunt) qui huiusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a ***Kyrie*** vel a Prophetiis? Ad **1.** ***Affirmative,*** et ad mentem. Mens est: ut locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feriis V et VI ac Sabbato Maioris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII anno **1725** iussu editi: et quoad alias Paroecias quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice Conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Ad **2.** Quoad Episcopos ratione Ordinationis, servetur praescriptum Pontificalis et Decretum S. C. diei **21** Martii **1744** in ***Bergomensi,*** et Missa incipiatur a Prophetas; et quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine Introitu, post Campanarum sonitum.

(2) Citatum Decretum **9** Decemb. **1899** ita est:

1. An Feria V in Coena Domini in Ecclesiis Parochialibus aliisque non Parochialibus celebrari possit Missa lecta vel cum cantu, quin peragantur functiones Feriae VI in Parasceve et Sabbati Sancti?.... Ad **1.** In Ecclesiis Parochialibus ubi adest Fons baptismalis, serventur Rubricae Messalis et Decreta, adhibito ***Memoriali Rituum*** Benedicti Papae XIII, pro functionibus praescriptis, si extet defectus sacrorum ministrorum et clericorum. In aliis vero Ecclesiis non Parochialibus, omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa Feriae VI in Parasceve; et fiat Sepulcrum; expetita facultate pro usu dicti ***Memorialis,*** si idem sacrorum ministrorum et clericorum defectus existat.

LETTERA ENCICLICA del Santissimo Signor Nostro Leone per Divina Provvidenza Papa XIII ai Vescovi d'Italia.

LEONE PP. XIII.

VENERABILI FRATELLI

Salute ed apostolica benedizione.

Fin dal principio del Nostro Pontificato, ponendo Noi mente alle gravi condizioni della società, non tardammo a riconoscere, come uno dei più urgenti doveri dell'apostolico ufficio fosse quello di rivolgere specialissime cure alla educazione del Clero. Vedevamo infatti che ogni Nostro divisamento ad operare nel popolo una restaurazione di vita cristiana sarebbe tornato in vano, ove nel ceto ecclesiastico non si serbasse integro e vigoroso lo spirito sacerdotale. Pertanto mai non cessammo, quanto era da Noi, di provvedervi, sia con opportune istituzioni sia con parecchi documenti diretti a tale intento. Ed ora una particolare sollecitudine verso il Clero d'Italia Ci muove, Venerabili Fratelli, a trattare ancora una volta un argomento di sì grande rilievo. — Belle invero e continue testimonianze esso ne porge di dottrina, di pietà, di zelo; tra le quali Ci piace di additar con lode l'alacrità onde, secondando l'impulso e la direzione dei Vescovi, coopera al movimento cattolico che Ci è sommamente a cuore. Non possiamo tuttavia dissimulare la preoccupazione dell'animo Nostro al vedere come da qualche tempo vada qua e là serpeggiando una cotal brama d'innovazioni inconsulte, così rispetto alla formazione, come all'azione multiforme dei sacri ministri. Ora è facile avvisare le gravi conseguenze che sarebbero a deplorarsi, ove a siffatte tendenze innovatrici non si apportasse pronto rimedio. — Ond'è che a preservare il clero italiano dalle influenze perniciose dei tempi, stimiamo cosa opportuna, Venerabili Fratelli, richiamare in questa Nostra lettera i veri e invariabili principii che debbono regolare l'educazione ecclesiastica e tutto il sacro ministero.

Il Sacerdozio cattolico, divino nella sua origine, soprannaturale nella sua essenza, immutabile nel suo carattere, non è tale istituzione che possa accomodarsi alla volubilità delle opinioni e dei sistemi umani. Partecipazione del sacerdozio eterno di Gesù Cristo, esso deve perpetuare fino alla consumazione

dei secoli la missione stessa del divin Padre affidata al suo Verbo Incarnato: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). Operare la salute eterna delle anime sarà sempre il grande mandato, a cui esso non potrà mai venir meno: come, per fedelmente attuarlo, non dovrà mai cessar di ricorrere a quei soprannaturali presidii e a quelle norme divine di pensiero e di azione che gli die Gesù Cristo, quando inviava i suoi Apostoli per tutto il mondo a convertire i popoli al Vangelo. Quindi S. Paolo nelle sue lettere vien ricordando, non essere altro il sacerdote che il *legato,* il *ministro di Cristo,* il *dispensatore dei suoi misteri* (2), e ce lo rappresenta quasi collocato in luogo eccelso (3), quale intermediario fra il cielo e la terra per trattare con Dio gl'interessi sommi dell'uman genere, che sono quei della vita sempiterna. Tale il concetto che i Libri santi ne danno del Sacerdozio cristiano, cioè di un'istituzione soprannaturale, superiore a tutti gl'istituti terreni e affatto separata da essi come il divino dall'umano. — La stessa alta idea emerge chiara dalle opere dei Padri, dal magistero dei Romani Pontefici e dei Vescovi, dai decreti dei Concilii, dall'unanime insegnamento dei Dottori e delle Scuole cattoliche. Che anzi tutta la tradizione della Chiesa è una voce sola nel proclamare che il Sacerdote è un *cdtro Cristo,* e che il Sacerdozio *si esercita bensì in terra, ma va meritamente annoverato tra gli ordini del cielo* (4); *poiché gli son date da amministrare cose del tutto celesti, e gli è conferito un potere ehe Dio non affidò neppure agli Angeli* (5); potere e ministero che riguardano il governo delle anime, ossia *l'arte delle arti* (6). Perciò educazione, studi, costumi, quanto insomma si attiene alla disciplina sacerdotale, venne sempre dalla Chiesa considerato come un tutto a sè, non pur distinto, ma separato altresì dalle ordinarie norme del vivere laicale. — Tal distinzione e separazione deve dunque ri-

(1) Ioana. XX, 21.

(2) II. Cor.. V, 20; VI, 4: I. Cor. IV, 1.

(3) Hebr. V. 1.

(4) « Sacerdotium enim in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet: et iure quidem merito» (S. Io. Chrysost. *De Sacerdotio* lib. III, n. 4).

(o) « Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quae in caelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus ». (Ib. n. 5).

(6) « Ars est artium regimen animarum ». S. Grego. M. *Regal. Past.* Part. 1, caput I).

manere inalterata anche ai tempi nostri, e qualunque tendenza ad accomunare o confondere l'educazione e la vita ecclesiastica con la educazione e la vita laicale, ha da giudicarsi riprovata nonché dalla tradizione dei secoli cristiani, ma dalla dottrina stessa apostolica e dagli ordinamenti di Gesù Cristo.

Certamente nella formazione del clero e nel ministero sacerdotale ragion vuole che si abbia riguardo alle varie condizioni dei tempi. Quindi è ben lungi da Noi il pensiero di rigettare quei mutamenti che rendano l'opera del Clero sempre più efficace nella società in mezzo a cui vive; che anzi appunto per tale considerazione Ci è sembrato conveniente di promuovere in esso una più solida e squisita coltura, e di aprire un campo più largo al suo ministero. Ma ogni altra innovazione che potesse recar qualche pregiudizio a ciò che è essenziale al sacerdote, dovrebbe riguardarsi come affatto biasimevole. TI sacerdote è sopra tutto costituito maestro, medico e pastore delle anime, e guida ad un fine che non si chiude nei termini della vita presente. Ora non potrà egli mai corrispondere appieno a così nobili uffici, se non sia, quant'è mestieri, versato nella scienza delle cose sacre e divine; se non sia fornito a dovizia di quella pietà che ne fa un uomo di Dio; se non ponga ogni cura in avvalorare i suoi insegnamenti colla efficacia dell'esempio, conforme all'ammonimento dato ai sacri pastori dal Principe degli Apostoli : *Forma facti gregis ex animo* (1). Comunque volgano i tempi, e le condizioni sociali cangino e si tramutino, queste sono le proprie e massime doti che debbono rifulgere nel sacerdote cattolico, giusta i principii della fede; ogni altro corredo naturale ed umano, sarà certo commendevole, ma non avrà, rispetto all'ufficio sacerdotale, che una secondaria e relativa importanza. — Se pertanto è ragionevole e giusto che il Clero si pieghi, fin dove è lecito, ai bisogni dell'età presente, è altresì doveroso e necessario che alla prava corrente del secolo, non che cedere, fortemente resista. E ciò, mentre risponde naturalmente all'alto fine del sacerdozio, vale altresì a renderne più fruttuoso il ministero, crescendogli decoro e procacciandogli rispetto. — Ora è noto pur troppo come lo spirito del naturalismo tenti inquinare ogni parte anche più sana del corpo sociale : spirito che inorgoglisce le menti e

(t) I Petr. V, 5.

le ribella ad ogni autorità; che avvilisce i cuori e li volge alla ricerca dei beni caduchi, trascurati gli eterni. Di questo spirito così malefico e già troppo diffuso, grandemente è a temere che qualche influsso non possa insinuarsi anche fra gli ecclesiastici^ massime fra i meno esperti. Tristi effetti ne sarebbero, il venir meno a quella gravità di condotta, che tanto si addice al sacerdote; il cedere con leggerezza al fascino di ogni novità; il diportarsi con indocilità pretenziosa verso i maggiori; il perdere quella ponderatezza e misura nel discutere che tanto è necessaria, particolarmente in materia di fede e di morale. Ma effetto ben più deplorevole, perchè congiunto col danno del popolo cristiano, ne seguirebbe nel sacro ministero della parola, inducendovi un linguaggio non conforme al carattere di banditore dell'Evangelo.

Mossi da tali considerazioni, Noi sentiamo di dover nuovamente e con più vivo studio raccomandare, che innanzi tutto i Seminari siano con gelosa cura mantenuti nello spirito proprio, così rispetto all'educazione della mente come a quella dei cuore. Non si perda giammai di vista, ch'essi sono esclusivamente destinati a preparare i giovani non ad uffici umani, per quanto legittimi ed onorevoli, ma all'alta missione, poc'anzi accennata, di *ministri di Cristo e dispensatori dei misteri di Dio* (1). Da tale riflesso, tutto soprannaturale, sarà sempre agevole, come notammo già nella Enciclica al Clero di Francia data l'8 Settembre 1899, ritrarre norme preziose non pure per la retta formazione dei chierici, ma per allontanare altresì dagl'Istituti, nei quali si educano, ogni pericolo così interno come esterno, d'ordine morale o religioso. — Rispetto agli studi, poiché il clero non dev'essere estraneo agli avanzamenti d'ogni buona disciplina, si accetti pure quanto di veramente buono ed utile si riconosca negli innovati metodi: ogni tempo suol contribuire al progresso del sapere umano. Però vogliamo che su tal proposito siano ben ricordate le prescrizioni Nostre intorno allo studio delle lettere classiche, e principalmente della Filosofia, della Teologia, e delle scienze affini: prescrizioni che demmo in più documenti, massime nella detta Enciclica, di cui Ci piace perciò trasmettere a voi un esemplare, unito alla presente. — Sarebbe al certo desiderabile che i giovani ecclesiastici potessero

(1) I. Cor. TV, 1.

tutti, com'è dovere, fornire il corso degli studi sempre all'ombra dei sacri Istituti. Ma poiché gravi ragioni talora consigliano che alcuni di essi frequentino le pubbliche Università, non si dimentichi con quali e quante cautele i Vescovi debbano ciò loro permettere (1). — Vogliamo del pari che s'insista sulla fedele osservanza delle norme contenute in altro più recente documento, in ispecial modo per quanto concerne le letture od altro che potesse dare occasione ai giovani di prender parte comecchessia ad agitazioni esterne (2). Cosi gli alunni dei Seminari, facendo tesoro di un tempo prezioso e colla massima tranquillità degli animi, potranno raccogliersi tutti intorno a quegli studi che li rendano maturi ai grandi doveri del sacerdozio, singolarmente al ministero della predicazione e delle confessioni. Ben si rifletta, quanto grave sia la responsabilità di quei sacerdoti che, in tanto bisogno del popolo cristiano, trascurano di prestar l'opera propria nell'esercizio di questi sacri ministeri; e di coloro altresì che non vi portano una illuminata operosità: sì gli uni come gli altri mal corrispondono alla propria vocazione in cosa che troppo importa alla salute delle anime. E qui dobbiamo richiamare l'attenzione vostra, Venerabili Fratelli, sulla speciale Istruzione che volemmo data in ordine al ministero della divina parola (3); e desideriamo che se ne traggano più copiosi frutti. Rispetto poi al ministero delle confessioni, si rammenti quanto severe suonino le parole del più insigne e mite dei moralisti verso coloro che non dubitano di sedere inetti nel tribunale di penitenza (4); e come non meno severo sia il lamento dell'insigne Pontefice Benedetto XIV, che poneva tra le maggiori calamità della Chiesa il difetto nei confessori di una scienza teologica morale qual s'addice alla gravità di così santo ufficio.

Ma al nobile scopo di preparare degni ministri del Signore è necessario, Venerabili Fratelli, che sia volto, e con sempre maggior vigore e vigilanza, oltre l'ordinamento scientifico,

(1) Instructio *Perspectum est* S. Congr. EE. et RR. dat. die 21 Iulii 1896, ad Italiae Episcopos et Familiarum Religiosarum Moderatores.

(2) Istruzione della S. Congr. degli AA. EE. SS. dei 27 Gennaio 1902, sull'azione popolare cristiana o democratico-cristiana in Italia.

(5) Istruzione della S. Congr. dei VV. e RR. del 31 Luglio 1894 a lutti gli Ordinari d'Italia ed ai Superiori degli Ordini e Congregazioni religiose.

(4) S. Alfonso Maria De Liguori: *Pratica del Confessore,* c 1, i III, n. 18.

anche il disciplinare e l'educativo dei vostri Seminari. — Non vi si accolgano che giovani i quali offrano fondate speranze di voler consecrarsi in perpetuo al ministero ecclesiastico (1). Si tengano segregati dal contatto e più dalla convivenza con giovani non aspiranti al sacerdozio: tale comunanza potrà per giuste e gravi cause tollerarsi a tempo e con singolari cautele, finché non sia dato di pienamente provvedere, conforme allo spirito della disciplina ecclesiastica. Si rimandino quanti nel corso della loro educazione manifestassero tendenze men convenevoli alla vocazione sacerdotale, e nell'ammettere i chierici agli ordini sacri si usi somma ponderazione, giusta l'ammonimento gravissimo di San Paolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris* (2). In tutto ciò conviene posporre qualsiasi altra considerazione, che sarebbe sempre da ritenersi inferiore a quella rilevantissima della dignità del sacro ministero. — Importa poi grandemente, che a formare negli alunni del santuario un'imagine viva di Gesù Cristo, nel che si assomma tutta l'educazione ecclesiastica, i moderatori e gl'insegnanti alla diligenza e alla perizia propria del loro ufficio congiungano l'esempio di una vita al tutto sacerdotale. La condotta esemplare di chi presiede, massime ai giovani,'è il linguaggio più eloquente e persuasivo per ispirare negli animi loro il convincimento dei propri doveri e l'amore al bene. Un'opera di tanto rilievo richiede principalmente dal direttore di spirito prudenza non ordinaria e cure indefesse, onde un tale ufficio, che desideriamo non manchi in verun Seminario, vuol essere affidato ad ecclesiastico molto esperto nelle vie della perfezione cristiana. Ed a lui non sarà mai abbastanza raccomandato d'infondere a coltivar negli alunni colla maggiore sodezza quella pietà la quale è per tutti feconda, ma specialmente pel clero,, di utilità inestimabili (3). Perciò sia egli sollecito di premunirli altresì da un pernicioso inganno, non infrequente tra' giovani, cioè di lasciarsi talmente prendere all'ardore degli studi, da non curar poi a dovere il proprio avanzamento nella scienza elei Santi. Quanto più la pietà avrà messe radici profonde nei chierici, tanto meglio saranno temprati a quel forte spirito di sacrifizio, ch'è al tutto necessario per zelare la gloria divina e

(1) Conc. Trident. Sess. XXIII, c XVIII, *Be Reformat.*
(2) I. Timoth. V, 22.
(5) I. Timoth. IV, 7, 8.

la salvezza delle anime. — Non mancano, la Dio mercè, nel clero italiano sacerdoti che diano nobili prove di quanto possa un ministro del Signore, penetrato di siffatto spirito; mirabile la generosità di quei tanti che per dilatare il regno di Gesù Cristo, corrono volenterosi in lontane terre ad incontrare fatiche, privazioni e stenti d'ogni maniera, ed anche il martirio.

Di questa guisa, scorto da provvide ed amorevoli cure nella conveniente cultura dello spirito e dell'ingegno, verrà a grado a grado formandosi il giovane levita, quale lo richieggono la santità della sua vocazione ed i bisogni del popolo cristiano. Il tirocinio in verità non è breve; eppure vorrà essere protratto anche oltre il tempo del Seminario. Conviene infatti che i giovani sacerdoti non siano lasciati senza guida nelle prime fatiche, ma vengano confortati dalla esperienza de'più provetti che ne maturino lo zelo, la prudenza e la pietà; ed è espediente altresì che, ora con esercitazioni accademiche, ora con periodiche conferenze, si allarghi l'uso di tenerli continuamente esercitati negli studi sacri.

È manifesto, Venerabili Fratelli, che quanto abbiamo sin qui raccomandato, lungi dal menomamente nuocere, giova anzi in singoiar modo a quella operosità sociale del Clero, da Noi in più occasioni inculcata come necessaria ai nostri giorni. Poiché coll'esigere la fedele osservanza delle norme da Noi richiamate, si viene a tutelare ciò che di siffatta operosità deve essere l'anima e la vita. — Ripetiamo dunque anche qui, e più altamente, esser mestieri che il Clero vada al popolo cristiano, insidiato d'ogni parte, e con ogni sorta di fallaci promesse adescato segnatamente dal socialismo ad apostatare dalla fede avita; subordinando però tutti la propria azione all'autorità di coloro, *cai lo Spirito Santo ha costituito Vescovi per reggere la Chiesa di Dio;* senza di che seguirebbe confusione e disordine gravissimo, a detrimento anche della causa che hanno a difendere e a promuovere. Anzi a tal fine desideriamo che i candidati al sacerdozio, sul termine della loro educazione nei Seminari, vengano convenientemente ammaestrati nei documenti pontificii che riguardano la questione sociale e la democrazia cristiana, astenendosi peraltro, come più sopra abbiam detto, dal prendere qualsiasi parte al movimento esterno. Fatti poi sacerdoti si volgano con particolare studio al popolo, stato sempre l'oggetto delle più amorose cure della Chiesa. Togliere i figli del

popolo alla ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli ad un vivere onesto e virtùoso; raffermare gli adulti nella Fede dissipandone i contrari pregiudizi e confortarli alla pratica della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle istituzioni che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra tutto i principii di giustizia e carità evangelica, ne' quali trovano equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil convivenza: tale è nelle precipue sue parti il nobile compito della loro azione sociale. Ma abbiano sempre presente, che anche in mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto a capo dei fratelli, principalmente *animarum causa* (1). Qualsivoglia maniera di occuparsi del popolo, a scapito della dignità sacerdotale, con danno dei doveri e della disciplina ecclesiastica, non potrebbe essere che altamente riprovata.

Ecco quanto, Venerabili Fratelli, la coscienza dell'apostolico ufficio C'imponeva di far rilevare, considerate le condizioni odierne del Clero d'Italia. Non dubitiamo, che in cosa di tanta gravità ed importanza, alla sollecitudine Nostra voi saprete congiungere le più solerti ed amorose industrie del vostro zelo, ispirandovi specialmente ai luminosi esempi del grande Arcivescovo, San Carlo Borromeo. Pertanto a dare effetto a queste Nostre prescrizioni, avrete cura di farne argomento delle vostre regionali Conferenze, e di consigliarvi su quei provvedimenti pratici che secondo i particolari bisogni delle singole Diocesi vi sembreranno più opportuni. Ai divisamenti ed alle deliberazioni vostre non mancherà, ove sia d'uopo, il presidio della Nostra autorità.

Ed ora con parola che ne viene spontanea dall'intimo del Nostro cuore paterno, Ci volgiamo a voi, quanti siete sacerdoti d'Italia, raccomandando a tutti e a ciascuno, che mettiate ogni impegno nel corrispondere sempre più degnamente allo spirito proprio della vostra eccelsa vocazione. A voi ministri del Signore diciamo con più ragione che non disse San Paolo ai semplici fedeli: *Obsecro itaque vos ego vinetus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (2). L'amore della

(1) S. Gregor. M. *Regul. Past.* Pars. II, c. VII.
(2) Eph. IV, 1.

comune madre la Chiesa rinsaldi e rinvigorisca tra voi quella concordia di pensiero e di azione, che raddoppia le forze e rende più feconde le opere. In tempi tanto infesti alla religione e alla società, quando il Clero d'ogni nazione è chiamato ad unirsi compatto per la difesa della fede e della morale cristiana, si appartiene a voi, figli dilettissimi, cui particolari vincoli congiungono a questa Sede Apostolica, precedere a tutti gli altri coll'esempio, ed essere i primi nella illimitata obbedienza alla voce e ai comandi del Vicario di Gesù Cristo. — Così le benedizioni di Dio scenderanno copiose, quali Noi le invochiamo, a mantenere il Clero d'Italia sempre degno delle illustri sue tradizioni.

Auspice intanto dei divini favori sia l'Apostolica benedizione, che a voi, Venerabili Fratelli, ed a tutto il Clero alle vostre cure affidato, con effusione di cuore impartiamo.

Dato a Roma presso S. Pietro, nel dì sacro alla Immacolata Concezione di Maria, 8 Dicembre 1902, anno vigesimo quinto del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII.

MOTU PROPRIO quo instituitur consilium pro opere conservationis fidei.

Litteras ante annos duos dedimus ad virum Eminentissimum vice Nostra Romae fungentem, quibus effrenatam licentiam adsertoribus haeresum ipsa in Urbe permitti dolebamus. Hanc enim civitatem catholici nominis principem Divina Providentia constituit, unamque delegit ex omnibus unde in universum terrarum orbem, quemadmodum tot saecula factum potestate libera est, evangelicae doctrinae lumen diffunderetur. Quod quidem nobilissimum planeque divinum Romanae Sedis officium aperte declarat quam sit iniquum et quanto cum discrimine coniunctum ut templa heic et scholae ab haeresum propagatoribus aperiantur, pravis infensisque opinionibus Nostro in grege disseminandis. Ut hisce igitur novis incommodis quantum quidem erat in Nobis, occurreremus, recens opus *Praeservationis Fidei,* quod Nostris consiliis ac studiis fuerat excitatum, libentissime probavimus. Verum accrescunt misere in dies pericula et damna, ob eamque rem Apostolicae sollici-

tudinis caritate impulsi, laudatum opus firmiore instruere praesidio statuimus ac deliberavimus, peculiare consilium S. R. E. Cardinalium eidem moderando praeficientes. Hinc sane Curiones Urbani, quorum navitati vel maxime hac in re confidimus, maiora habebunt adiumenta ad sacerdotii partes cumulate omnique cum fructu explendas; hinc etiam animos ad maiora praestanda egregii viri sument, qui nomen ad hoc usque tempus amplificando operi magna cum laude dederunt.

Quamobrem praesenti Motu-proprio Consilium seu *Commissionem* instituimus Operi *Praesentationis Fidei* moderando ac promovendo. Haec autem *Commissio* e nonnullis, quos Pontifex designaverit, S. R. E. Cardinalibus constabit; eligimus vero primos

Seraphinum Cretoni
Franciscum De Paula Cassetta
Petrum Respighi
Sebastianum Martinelli
Iosephum Calasanctium Vives.

Quibus autem muneribus atque officiis supradictum Consi Iium incumbere débeat, quibusque regendum sit legibus proprio documento praescribimus.

Haec interim decreta rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die vicesima quinta Novembris 1902, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII.

EX SEGRETARIA BREVIUM

Emo, Cardinali Ferrari, Archiepiscopo Mediolanensi, quod Italiae Catholicis sint in omni aevo affirmandae propriae suasiones circa iura Sanctae Sedis.

Eminenza.

Da qualche tempo viene verificandosi in alcune parti d'Italia un fatto che ha giustamente richiamato la vigile attenzione del Santo Padre. Non rare volte, cioè, cattolici che pur si professano devoti alla Santa Sede, sia in conferenze dinnanzi a numeroso uditorio, sia in discorsi o brindisi in pubbliche riunioni, sia in articoli di giornali, parlano della *patria italiana,* ed anche *dell'unità nazionale,* senza far veruna riserva, o almeno senza fare una riserva sufficientemente esplicita dei diritti della Santa Sede al suo dominio temporale; anzi non è mancato chi abbia osato apertamente sostenere esser prudente passar per ora sotto silenzio il potere temporale del Romano Pontefice per rivendicarlo poi in remoto avvenire, quando il popolo sarà stato abbastanza illuminato dalla democrazia cristiana. Non 'ho necessità di dire all'Eminenza Vostra che nè gli uni nè molto meno gli altri meritano approvazione. Affinchè la così detta *questione romana* si mantenga sempre viva nella coscienza dei popoli e sia così riservato l'avvenire ai disegni della divina Provvidenza, è necessario che i cattolici italiani non lascino sfuggire nessuna occasione per affermare altamente le loro convinzioni in questo importantissimo punto e reclamare la libertà ed indipendenza territoriale per il loro Augusto Capo, seguendo l'esempio di cattolici di altri paesi e conformemente agli insegnamenti costanti della Santa Sede; ben persuasi del resto che il dominio temporale del Papa, se è necessario al libero svolgimento della potestà ecclesiastica, gioverebbe altresì all'unione morale degli animi e alla sicurezza esterna della patria. Il Santo Padre mi ha dato ordine di comunicare tutto ciò all'Eminenza Vostra, affinchè colla sua nota prudenza possa nel territorio affidato al suo zelo pastorale prendere quelle misure e dare quegli avvertimenti che crederà

più opportuni per impedire il ripetersi dell'inconveniente segnalato.

Baciandole umilissimamente le mani, con sensi di profonda venerazione passo a raffermarmi

Di Vostra Eminenza

Dal Vaticano il 21 Ottobre 1901.

Vino deojìio sernitor vero
M. Card. RAMPOLLA

Post immutationem politicam in insulis Philippinis, Romae reputatum fuit faciendas esse nonnullas modificationes et reformationes in disciplina ecclesiastica; quod SSmus Pater Leo XIII peregit per suppositam Bullam.

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam. Quae, mari sinico oceanoque pacifico circumfusae, latissime patent insulae, atque a Philippe II Hispaniarum rege Philippinarum nomen sunt mutuatae, vix ab Hernando de Magalhanes, saeculo XVI ineunte, apertae sunt; statim, Crucis sanctissimae simulacro defixo in litore, et Deo sunt consecratae et catholicae religionis quaedam veluti libamenta habuerunt.

Ex illo, Romanis Pontificibus, accedente Caroli V ac Philippi eius filii hispanorum Regum egregio dilatandae fidei studio, nihil antiquius fuit, quam ut insulanos illos, idolatrico cultu viventes, ad Christi fidem traducerent. Quod cum, opitulante Deo, religiosis diversarum familiarum alumnis strenue adnitentibus, secundissime cederet; eo perbrevi annorum spatio, deventum est, ut Gregorius XIII de praeficiendo adolescenti Ecclesiae Antistite cogitant, ac Manilanum Episcopatum instituent. Coeptis felicibus, quae postmodum secuta sunt incrementa plenissime responderunt. Concordibus enim Decessorum Nostrorum atque Hispaniarum Regum industriis, deleta servitus, incolae litterarum ;atque artium disciplinis ad humanitatem exculti, templa sumptu magnifico erecta et instructa, auctus dioecesium numerus; ut Philippinarum gens et Ecclesia merito excelleret splendore civitatis, Religionis dignitate atque studio. Sic nempe, Regum hispanorum tutela datoque illis a Romanis

'Pontificibus patronatu, recte atque ordine in Philippinis Insulis res catholica gerebatur. Verum quam illic armorum exitus publicae rei conversionem haud ita pridem attulit, pariter et sacrae intulit. Nam, dimissa ab Hispanis ditione, patronatus etiam hispanorum Regum desiit. Quo factum est ut Ecclesia in potiorem libertatis conditionem devenerit, parto quidem cuique iure salvo atque incolumi. — Huic porro novae rerum conditioni, ne inde vigor ecclesiasticae disciplinae in discrimen veniret, qui modus agendi, quae temperatio responderet, nulla mora atque sedulo inquirendum fuit. Hanc ob rem, Venerabilem Fratrem Placiduni Ludovicum Chapelle, Novae Aureliae Archiepiscopum, Delegatum Nostrum, extraordinario munere, in Philippinas Insulas misimus, qui, rebus coram inspectis quaeque moram et sustentationem non haberent, ordinatis, ad Nos referret. Delatum officium is quidem pro fiducia Nostra explevit; dignus propterea quem merita honestemus laude. Postea contigit ex auspicato ut regimen civitatum Americae Foederatarum per legationem singularem cum hac S. Sede consilia directe conferre susceperit circa modum nonnullas rem Catholicam in Philippinis Insulis respicientes quaestiones dirimendi. Coeptis libenti quidem animo fovimus et negotiatorum navitate ac moderatione iuvantibus, facile patuit aditus ad compositionem quae nunc ipso in loco curanda erit. Quae igitur, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationis extraordinariis negotiis praepositae diuturnoque consilio agitata Ecclesiae rationibus in Philippinis Insulis conducere maxime visa sunt, praesenti Constitutione Apostolica edicimus et publicamus, sperantes fore ut, quae Nos suprema Auctoritate constituimus, publici Regiminis aequitate ac iustitia favente, studiose sancteque observentur.

I. — *De nova Dioecesium circumscriptione.* — Primum igitur de Hierarchia sacra amplificanda mens est ac propositum. Constituta quidem, ut diximus, a Gregorio XIII, Manilana dioecesi, aucto sensim fidelium coetu tum indigenarum, qui catholica sacra susciperent, tum ex Europa advenarum, Clemens VIII Episcoporum numerum, qui praeessent, augendum censuit. Quare Manilanam Ecclesiam Archiepiscopali ululo honestavit eidemque, tribus institutis dioecesibus, Episcopos Cebuanum, Cacerensem ac Neosegoviensem suffraganeos esse voluit. His porro, anno 1865, additus est Episcopatus Iarensis. Attamen

dioecesium harum ea est amplitudo ut, ob intervallum quo loca dissociantur, atque itinerum difficultatem, vix contingat Episcopis illas nisi summo labore quoquoversus lustrare. Quamobrem suadet necessitas ut, nacti opportunitatem temporum, antiquas dioeceses arctiori termino definiamus, aliasque de integro addamus. Eapropter, Mandano Archiepiscopatu ac dioecesibus Cebuana, Cacerensi, Neosegoviensi et Iarensi servatis, quatuor insuper adiicimus et instituimus dioeceses; Lipensem videlicet, Tuguegaraoanam, Capizanam et Zamboangensem, universas, ut ceterae, Manilanae Metropoli suffraganeas. In Marianis praeterea Insulis Praefecturam Apostolicam creamus, quae Nobis ac Successoribus [Nostris, auctoritate nulla interposita, pareat.

II. — *De Metropolita deque Suffraganeis Episcopis.* — Metropolitani titulo, qui potiatur, in Philippinis Insulis unus esto, Archiepiscopus Manilanus; episcopos ceteros, tum qui antiquas obtinent sedes tum qui recens institutas tenebunt, eidem subesse oportet, suffraganei officio atque nomine. Quibus vero iuribus Metropolita 'fruatur quibusque polleat muneribus, ecclesiasticae leges, quae modo vigent, edicunt. Quas quidem dum leges inviolate servari volumus, volumus etiam Metropolitam inter et suffraganeos integra esse semper sanctae amicitiae et caritatis vincula, eaque officiis mutuis, consiliorum communicatione atque episcopalibus praesertim coetibus pro locorum intervallis frequentius agendis, arctius in dies firmari et obstringi. Maximarum enim utilitatem parens est atque custos animorum concordia.

III. — *De Capitulo Metropolitano deque Capitulis Ecclesiarum suffraganearum.* — Canonicorum collegio honestari Ecclesiae Metropolitanae decus et splendor postulat. Quae vero stipendia Canonicis singulis elapso tempore, ab hispano regimine numerabantur, unde in posterum peti debeant, Delegatus Apostolicus videbit ac suggeret. Quod si, reddituum exiguitate, numerus Canonicorum, qui adhuc fuit, servari haud quiverit, sic ad pauciores contrahatur, ut, minime subductis iis qui dignitatum nomine veniunt, ad decem saltem censeantur. Archiepiscopus autem tum dignitates dictas et Canonicatus, tum universa, quae in Ecclesia Metropolitana sunt, beneficia privo libereque iure conferet: iis quidem exceptis, quae vel communi lege, Sedi Apostolicae reservantur, vel in cuiusvis patronatu

sunt, vel concursus conditione obstringuntur. In ceteris porro cathedralibus templis constitui Canonicorum collegia vehementer optamus. Quod quamdiu perfici haud poterit, Episcopi viros aliquot, pietate, scientia, gerendarum rerum usu conspicuos, e gemino clero delectos, Consultores habeant, prouti scilicet in dioecesibus aliis, Canonicorum coetu similiter carentibus. Ne vero in eiusmodi cathedralibus aedibus, quae Capitulo carent, sollemnium sacrorum dignitas desideretur, Consultores quos modo diximus, Episcopo operanti adstabunt. Qui si ratione aliqua praepediatur, Episcopus alios e clero cetero, tam saeculari quam regulari, digniores sufficiet.

IV. — *De Sede vacante in Dioecesibus suffraganeis.* — Dioecesis suffraganeae quaevis, Collegio Canonicorum exspers, si Episcopo orbari contigerit, eam Metropolita administrandam suscipiet: qui si deerit, propinquiore Episcopo procuratio obveniet, ea tamen lege ut Vicarius quamprimum eligatur. Interea vero demortui Episcopi Vicarius generalis dioecesim moderetur.

V. — *De clero saeculari.* — Quoniam experiendo plane compertum est, clerum indigenam perutilem ubique esse, curent diligenter Episcopi ut indigenarum sacerdotum numerus augeri valeat; ita tamen ut illos antea ad pietatem omnem ac disciplinam instituant, idoneusque norint, quibus ecclesiastica munia demandentur. Quos vero usus et experientia praestantiores ostenderit, eos ad potiores procurationes gradatim advocent. Id vero maxime commendatum habeant qui in clero censentur, ne abripi se partium studiis unquam sinant. Quamvis enim communi lege sit cautum, ne qui militat Deo se implicet negotiis saecularibus; peculiari tamen modo, ob temporum rerumque adiuncta, hoc in Philippinis insulis ab hominibus sacri ordinis devitandum ducimus. Praeterea, quoniam animorum coniunctione praecipua vis est ad grandia quaevis atque utilia perficienda, eam, pro religionis bono, sacerdotes omnes, nulla exceptione, sive e saeculari clero sint, sive in religiosis familiis censeantur, inter sese studiosissime foveant. Decet sane ut qui unum sunt corpus unius capitis Christi, non sibi invicem invideant, sed unius sint voluntatis, caritate fraternitatis invicem diligentes. Cui quidem caritati provehendae disciplinaeque simul vigori servando, meminerint Episcopi prodesse plurimum synodales conventus subinde cogere, pro opportunitate locorum ac

temporum. Quod si faxint una erit facile omnium sentiendi ratio unaque agendi. Ne vero conceptus semel ardor in cleri hominibus deferveat, et ut virtutes sacerdotio dignae retineantur et crescant, pium spiritualium Exercitiorum institutum vel maxime conducit. Curent idcirco Episcopi ut quotquot in sortem Domini vocati sunt, tertio saltem quoque anno, in opportunum locum ad aeternarum rerum meditationem secedant, quo scilicet acceptas a mundano pulvere sordes eluant et ecclesiasticum spiritum instaurare queant. Satagendum insuper est, ut sacrarum disciplinarum studium frequenti exercitatione in clero vigeat: *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam,* quo nempe docere possit fideles, qui *legem requirent de ore eius.* Nihil vero ad hunc finem aptius quam collationes habere saepius, tum de re morum, tum de liturgicis quaestionibus. Quod si asperitas itinerum, contractus sacerdotum numerus, aliaeve id genus causae conventus eiusmodi ad disceptandum impediant; optimum factu erit, si ab iis qui coetui interesse nequeunt praepositae quaestiones scripto enodentur et Episcopis statuto tempore submittantur.

VI. — *De Seminariis.* — Quanti faciat Ecclesia adolescentium seminaria, qui in cleri spem educantur, perspicere licet, ex Tridentinae Synodi decreto, quo ea primum sunt instituta. Oportet idcirco Episcopos omnem operam industriamque impenderé ut domum in sua quisque dioecesi habeat, in quam tirunculi militiae sacrae a teneris recipiantur atque ad vitae sanctimoniam et ad minores maioresque disciplinas formentur. Consultius autem erit si adolescentes, qui litteris student, aliis utantur aedibus; aliis vero iuvenes, qui, litterarum cursu emenso, in philosophiam ac theologiam incumbunt. Utrobique autem alumni perpetuo degant quoad sacerdotio, si meriti quidem fuerint, initientur; nulla unquam, nisi ex gravi causa, facultate facta ad suos remeandi. Seminarii regimen Episcopus optimo cuique demandet, sive e saeculari clero sive e regulari, qui scilicet regendi prudentia usuque praestet vitaeque sanctitate praecellat. Quae autem a Nobis Nostrisque Decessoribus saepe sunt edicta, abunde docent quo pacto quove modo in sacris seminariis studia sint ordinanda. Sicubi vero seminarium desit, Episcopus alumnos dioecesis suae in viciniorum dioecesium Seminariis educandos curabit. Nulla insuper ratione permittant Episcopi ut seminarii aedes ulli pateant, nisi iis adolescentibus

bui spem afferant sese Deo per sacros ordines mancipandi. Qui vero ad civilia munia institui volent, alias, si res sinunt, obtineant aedes, quae convictus vel collegia episcopalia nuncupentur. Illud denique cavendum summopere, ex Apostoli praecepto, ne cuipiam Episcopi cito manus imponant ; sed eos tantum ad sacra evehant sacrisque tractandis adhibeant qui diligenter explorati, debitaque scientia ac virtute exculti ornamento dioecesi usuique esse possint. E seminario autem egressos ne sibi permittant penitus; sed, ut vitent otia nec sacrarum scientiarum studia intermittant, consilium est quam optimum illos, quinquennio saltem a sacerdotio suscepto, periculo quotannis subiicere de re dogmatica et morum, coram doctis gravibusque viris faciendo. Quia vero aedes Romae patent etiam iuvenibus e Philippinis insulis qui maioribus disciplinis dare operam velint; pergratum Nobis eveniet si Episcopi delectos subinde adolescentes huc mittent, qui religionis scientiam, in ipso veritatis centro acquisitam, cum suis deinde civibus utiliter communicent. Sancta autem haec Sedes pro sua parte curabit opportunis modis ad potiorem culturam melioremque ecclesiasticam formam clerum secularem provehere ita ut apto tempore reperiatur idoneus qui cleri regularis partes in pastoralis muneris procuratione suscipiat.

"VII. — *De Religiosa puerorum eruditione deque Manilana studiorum Universitate.* — Verum non ad ecclesiastica solum seminaria Episcoporum industrias spectare oportet: adolescentes enim a laicorum ordine, qui scholas alias celebrant, eorum etiam curis et providentiae demandantur. Est igitur Antistitum sacrorum officium omni ope adniti, ut puerorum animi, qui publice litteris imbuuntur, religionis scientia ne careant. Quae ut rite tradatur, videant Episcopi ac perficiant ut et magistri tanto muneri sint pares, et libri qui adhibentur, nulla inficiantur errorum labe. Quoniam autem de scholis publicis sermo incidit, Lyceum magnum Manilanum, a Dominicianis Sodalibus Innocentii X auctoritate conditum, merita sine laude praeterire nolumus. Quod, quia doctrinae integritate praestantiaque doctorum floruit semper, neque exiguas peperit utilitates, non modo ab Episcopis "omnibus benevole haberi cupimus, sed in tutelam Nostram Nostrorumque Successorum ultro recipimus. Quare, privilegia et honores a Romanis Pontificibus Innocentio X et XI et Clemente XII eidem concessa plenissime confirmantes,

illud Pontificiae Universitatis titulo augemus, quique gradus accademici in eo conferuntur, eandem vim habere volumus, quam in ceteris Pontificiis Universitatibus obtinent.

VIII. — *De Regularibus.* — Opportunitatibus novi in regione illa rerum ordinis concedens S. haec Sedes Apostolica statuit tempestivis provisionibus religiosis viris adesse qui redije intendunt ad vitae rationem sui Instituti propriam, deditam nempe omnino sacri ministerii operibus bonorum in vulgus morum profectui rei christianae civilisque pacifici convictus incremento. Alumnis ergo religiosarum familiarum enixe commendamus, ut quae, nuncupatis votis, officia susceperunt, sancte impleant, *nemini ullam offensionem dantes.* Praecipimus ut clausurae leges inviolate servent; quapropter teneri omnes volumus decreto illo, quod, editum a Congregatione super Episcopis et Regularibus die 20 Iulii 1731, Clemens XII decessor Noster Litteris apostolicis *Nuper pro parte* die 26 Augusti eiusdem anni confirmavit. Clausurae autem ea sit norma iique sint fines, quae Decreto alio edicuntur, a S. Congregatione Propagandae Fidei die 24 Augusti 1780, Pio VI approbante, interposito. Ceterum Religiosi viri, quotquot in Philippinis versantur, illos summopere revereri atque observare meminerint, quos *Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam':* et arctissimo concordiae et caritatis foedere cum saeculari clero coniuncti, nihil antiquius habeant quam in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, sociatis studiis, vires omnes intendere. Porro ut dissensionum elementa penitus eradantur, in Philippinis etiam Insulis observari in posterum volumus Constitutionem *Firmandis* a Benedicto XIV datam octavo id. Novembris 1744 itemque aliam Romanos Pontifices, qua Nos octavo id. Maii 1881 nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares in Anglia et Scotia definivimus.

IX. — *De Paroeciis.* — Quae Paroeciae curionibus e Religiosis Familiis sint demandandae Episcopi videant collatis sententiis cum earumdem Familiarum Praesidibus. Quod si quaestio de ea re oriatur, nec privatim componi queat, caussa ad Delegatum Apostolicum deferetur.

X. — *De Missionibus.* — Ad cetera argumenta, quibus Ecclesia magistra, opportune cavetur ne fides morumque integritas aliaque ad aeternam animorum salutem pertinentia detrimentum capiant, accedunt equidem summaeque sunt utilitatis

spiritualia Exercitia quaeque vulgo Missiones audiunt. Optandum quapropter omnino est ut, in provinciis singulis, singulae saltem condantur domus, octo plus minus Religiosis viris excipiundis, quibus sit unice praestitutum urbes subinde ac pagos lustrare dictaque modo ratione, sacris concionibus populos excolere. Quod tamen, si fidelibus utile, necessarium profecto illis est, qui Evangelii lucem nondum hauserunt. Ubi igitur agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum cultui addicti, sciant Episcopi et sacerdotes teneri ad earum conversionem curandam. Quare inter illas etiam stationes fundentur pro sacerdotibus qui apostolico munere fungantur, nec solum idololatras ad christiana sacra traducant, verum etiam pueris instituendis dent operam. Hae porro stationes sic erunt ordinandae ut deinde opportuno tempore ad Praefecturas vel Vicariatus Apostolicos evehi queant. Ne autem qui ibidem sacris occupantur necessaria ad victum promovendamque fidem desiderent, hortamur ut in dioecesi quaque, incolumi quidem Lugdunensi Instituto quod a Propagatione Fidei appellatur, peculiares coetus instituantur virorum ac foeminarum, qui fidelium symbolis colligendis praesint, collectasque Episcopis tradant, Missionibus aequo iure ex integro distribuendas.

XI. — *De disciplina ecclesiastica.* — Conciliandae clero fidelium existimationi nihil conducit efficacius, quam, si quae sacerdotes docent verbo, ea simul opere compleant. Cum enim, ut Tridentina Synodus inquit, a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Sed enim pro hac disciplinae ecclesiasticae instauratione proque plena Constitutionis huius Nostrae exequutione Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Guidi Archiepiscopum Stauropolitanum, Delegatum Apostolicum extraordinarium ad Philippinas Insulas mittimus, Personam Nostram illic gesturum. Cui propterea opportunas tribuimus facultates; insuper etiam in mandatis dedimus ut provincialem Synodum, quam primum per adiuncta licuerit, indicendam ac celebrandam curet.

XII. — *Animorum pacificatio ac reverentia in eo$ qui praesunt habenda.* — Restat modo ut ad Philippinarum incolas universos paterna caritate sermonem convertamus, eosque maiore qua possumus contentione hortemur, ut unitatem servent in vinculo pacis. Postulat hoc christianae professionis officium: *Maior est namque fraternitas Christi quam sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert; Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animaeque demonstrat, sicut scriptum est, Act., IV, 32: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* Postulat religionis bonum, quae prima fons et origo fuit earum laudum, quibus Philippinarum gentes superiore tempore floruerunt. Postulat denique sincera caritas patriae, quae ex publicis perturbationibus nil nisi damna capiet ac detrimenta. Eos qui imperium tenent, ex Apostoli praescripto, revereantur, *omnis enim potestas a Deo est.* Et quamvis longinquo oceani spatio a Nobis seiuncti, sciant se esse in fide Apostolicae Sedis, quae sicut illos peculiari complectitur dilectione, tutandarum ipsorum rationum nunquam curam abiiciet. Decernimus tandem has nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, ac inviolabiliter observari debere, non obstantibus apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedum Philippinarum et Missionum inibi constitutarum et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significatione ipso hoc diplomate ostenso, haberetur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, • adsignationis, adiectionis,

attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 17 Septembris 1902, Pontificatus Nostri Anno vigesimo quinto.

L. * S.

CARD. ALOIS. MACCHI

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CERINIOLEN.

IRREGULARITATIS EX. DEFECTU CORPORIS.

Die 20 Djcembris 1902.

COMPENDIUM FACTI. Clericus Vincentius. . . . . . .dioecesis Ceriniolen. iam ordine subdiaconatus initiatus, quippe irregularitatis vitio, *ex defectu corporis,* visus est suo Episcopo laborare, quominus ad superiores ordines ascenderei prohibitus est. - Defectus autem quibus iste in corpore afficitur, Curiae Cancellarius ita refert litteris diei 17 Iulii 1902: « Il chierico Vincenzo oltre ad essere sofferente nel sistema nervoso, come risulta dai documenti che si allegano, è affetto anche da *strabismo,* sicché la sua fisionomia è tale da muovere il riso a prima vista. Anzi vi è stato un tempo, che i ragazzi, che sono sempre molto sinceri, incontrandolo per le vie si fermavano a guardarlo con una cert'aria tra la sorpresa e l'insulto. Più; il Chierico è estremamente eccitabile, e per lievi contradizioni diviene smanioso e puerile fino al punto da rendersi incompatibile in un convitto; e per questa ragione lo scorso anno scolastico ha dovuto passare presso il Vescovo di Foggia Mon-

signor Mola, il quale, acciocché il detto Chierico avesse potuto evitare ogni possibile urto, non gli faceva frequentare la scuola con gli altri alunni, ma gli faceva dare lezioni private di Teologia dal proprio Vicario. E in Foggia dallo stesso Mons. Vescovo si sono riconosciute al Chierico ottime qualità morali, sufficienti le qualità intellettuali, alquanto migliorate le condizioni di salute. Si aggiunge a quanto si è esposto che il Chierico è balbuziente, e parla benino se calmo, molto stentatamente se agitato o commosso : in ogni caso però la forma della consecrazione da lui si pronunzia sempre senza mutazione sostanziale, e forse anche l'accidentale; perchè vi è piccolo intervallo bensì fra parola e parola, ma quasi mai fra sillaba e sillaba dell'istessa parola. Tutti questi difetti però sono compensati largamente da una grande bontà d'animo, da una singolare pietà e da illibatezza di costumi veramente esemplare. Pertanto si chiede umilmente alla Santità Vostra la dispensazione da tale irregolarità *saltem ad cautelam* ».

Episcopus de suo voto percontatus haec significavit :

« Per quanto però intimamente convinto della necessità della dispensa, altrettanto sono favorevole alla concessione della medesima, poiché trattasi anzitutto di un suddiacono, il quale non può più tornare indietro, come vorrebbe il padre in caso di rifiuto della grazia. La sua condotta è talmente edificante che facilmente rende meno avvertito il difetto fisico. Nel popolo sarebbe maggiore l'ammirazione se non si usasse indulgenza. Che se infine non è da sperarsi la guarigione, non può tuttavia escludersi la speranza di ulteriore e più soddisfacente miglioramento ».

Episcopus Fodiensis de eodem haec testatus est :

« Il suddiacono Gerardo. . . . . . ., appartenente alla Diocesi di Cerignola, in questo anno scolastico che ora volge al termine, è stato nel Seminario di Foggia col consenso del suo Eccellentissimo Vescovo Mons. Struffolini, essendo il clima di Foggia meno rigido e più confacente alla salute di lui.

« Mi si afferma che nel tempo che fu nel suo Seminario ad Ascoli, in lui si fossero avverati alcuni fatti epilettiformi ; ma pare non avessero dovuto essere di molta gravità ; imperocché fu già ordinato suddiacono dal defunto Mons. Cocchia predecessore del sullodato Mons. Vescovo Struffolini.

« In questo anno che è stato in Foggia, meno qualche leggiera e comune indisposizione, è stato egli sempre bene, come mi attesta il medico del Seminario stesso.

« Solamente talvolta si scorge in lui una soverchia suscettibilità nervosa, e talora una lentezza nel parlare; ma non tale da impedirgli la esatta recitazione dell'ufficio, o il poter proferire anche bene le sacrosante parole della consecrazione, avendone voluto io fare esperienza da me medesimo.

« Per bontà, per pietà ed osservanza delle regole del Seminario è stato sempre degnissimo di lode, da riuscire il buon esempio de'compagni e da meritarsi la stima di tutti.

« Ha già completato il corso di teologia dommatica e morale, come meglio ha potuto, più p3r forza di studio assiduo e di buona volontà, che non per ingegno che in lui è piuttosto scarso ; non però da renderlo insufficiente.

« Ha più della età canonica per ascendere al Diaconato a cui aspira ».

Medicus, Iacobus Velia, haec testatus est die 14 Iunii 1902.

« Attesto che Gerardo. . . . . Seminarista da Cerignola, dell'età di anni 23, ha un buon sviluppo scheletrico, -gli occhi strabici, il capo reclinato e la parola non bene articolata. Va soggetto a tremori estesi a tutto il sistema muscolare, provocati da lievi eccitamenti psichici. Nei gravi eccitamenti psichici - rampogne di Superiori, timore di non passare agli esami - è preso da violenta emicrania e da movimenti impulsivi, che però non si esplicano fino a scendere a vie di fatto, cui segue un senso di abbattimento come se la coscienza si oscurasse. Le facoltà

mentali sono poco sviluppate e non atte ad assimilare! una seria coltura. In conclusione il detto chierico è un nevropatico ereditario con sistema nervoso irritabile con lievi movimenti impulsivi con tendenza a forme epilettoidi - deficienza mentale -.

« Mi sembra che il male così com'è, resterà stazionario.

« Rilascio il presente a richiesta ed ad uso delle autorità ecclesiastiche ».

Vice-Rector Seminarii dioecesani sub eadem die haec fassus est.

« Conosco da tre anni il Seminarista . . . . e nella sua vita intima dei Seminario ho osservato in lui un carattere molto nervoso, tendente quasi all'epilessia.

« Per quanto avessi notato nella sua persona una forte volontà allo studio, ed una inclinazione alla pietà, per tanto l'ho trovato sempre incapace a sostenere dei grandi lavori mentali.

« Nei momenti di forte nervosismo perdeva quasi la coscienza di sè, ed alle volte era incapace a poter financo profferire una parola. Spesso era sopraffatto da una manìa di persecuzione così violenta, che lo induceva ad atti furiosi contro i compagni.

« Fu questo il motivo, che nel Maggio dell'anno scorso m'indusse a mandarlo via di Seminario, dietro un certificato del Dott. Velia medico dell'Istituto, che attestava la sua incolpabilità a convivere in Seminario.

« Questo è quanto si possa dire a riguardo del Suddiacono sopranominato ».

Disceptatio Synoptica.

Quibus ex attestationibus sequi videtur, non uno ex capite , Subdiaconum praedictum a diaconatu et presbyteratu arcendum esse, utpote irregulärem. Siquidem in vultu, in habitu corporis deformem esse testatur Curiae Cancellarius.

Iamvero quod erat praeceptum veteris legis, voluit Ecclesia observari etiam in Sacerdotio novae legis, imo eo severius quo sanctius est Christi Sacerdotium. Iubebatur autem in *Lernt.* XXI, 17 seq. « Loquere ad Aaron: homo de semine tuo per familias qui habuerit maculas non offeret panes Deo suo, non accedat ad ministerium eius ; si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto nasu, si fracto pede, si manu; si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus ». Porro lex caeremonialis veteris testamenti, morte' Christi, evacuata est, sed nonnulli defectus corporis ipso iure naturali divino, alii positivo Ecclesiae iure arcent a sacro ministerio. Quare corpore vitiatis prohibetur ad S. Ordines accessus quia, uti ait Eugenius Papa in *cap. 7y De clerico aegr otante vel debilitato* « nec secure propter debilitatem nec sine scandalo propter deformitatem, hoc (ministerium) fieri posse confidimus ». Item docet Sanctus Alphonsus *VII n. 4.04;* ReifTenstuel *lib. V., tit. 37, n. 80.* Denique *ex cap. 3 et 4. De clerico aegr ot.* ii qui laborant aliqua deformitate prohibentur celebrare propter scandalum et abominationem populi. Iamvero Curiae Cancellarius refert: « che i ragazzi che sono sempre molto sinceri, incontrandolo per le vie si fermano a guardarlo con una cert'aria tra la sorpresa e l'insulto ».

Ex adverso videtur concedenda dispensatio ab irregularitate, saltem ad cautelam. Inquam saltem ad cautelam quia in themate irregularitas est dubia; siquidem iste subdiaconus non est caecus aut caecutiens, non claudus, non gibbosus, non surdus, non in membris mutuus aut debilitatus, quocirca est deformis magis ex defectu debitae proportionis in corporis partibus quam ex vitio corporis, seu caret quacumque pulcritudine. — Neque dici potest laborare ex aliquo vitio physico-morali, et in primis ex epilepsi ; etenim medici aiunt, ipsum facile excitari ob nimiam nervorum sensibilitatem et aliquando prope esse aut videri ut epilepsi afficiatur, sed huic morbo illum succubuisse nemo nar-

rat. Sane Medicus qui Seminario Fodiensi suam operam praebet testatur sub die 12 Iunii 1902 « posso affermare che l'alunno Gerardo subdiaconus durante l'anno scolastico 1901-1902 non fu mai affetto da convulsioni di forma epilettica nè da altre diverse forme ». Nemo autem non scit, ñervos etsi debiles et imbecilles facile et ordinario convalescere et confirmari in adulta aetate et iam expleto studiorum curriculo quum animus quiescit tranquillus in adepta sui desiderii meta. Sane infinitus essem si exempla referrem dispensationum S. C. C. concessarum clericis iuvenibus qui epileptici fuerunt in prima iuventa et in adolescentia ; ita in *Reatina et Sutrina,* 14 Maii 1834; in *Treviren.* U Iunii 1868; *Fulginaten.* 23 Ian. 1806. Denique non de promovendo res est in themate sed de iam promoto et S. C. C. semper faciliorem se exhibuit in relaxandis irregularitatis vinculis cum iis qui iam sacris erant initiati; etenim turpius eiicitur quam non admittitur hospes.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset respondendum postulanti.

RESOLUTIO. S. C. C. re discussa sub die 20 Decembris 1902, censuit respondere: *dummodo adsit Ecclesiae necessitas, nullus habeatur irreverentiae Umor in sacro faciendo, neque scandali neque admirationis occasio esse possit oratoris promoti'), arbitrio et conscientiae Episcopi.*

LISBONEN.

CONSUETUDINIS IN RE LITURGICA

Iterum reproposita quaestione, iam relata per extensum Vol. NXXIV pag. 507, demissa fuit per responsum *in decisis et ad mentem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

COMPOSTELLANA

FUNERUM

Die 1 Augusti 1002.

COMPENDIUM FACTI. Die *22* Novembris 1901 in civitate Compostellana diem obiit supremum Braulius Martínez qui in suo testamento disposuerat ut sibi iusta funebria prout iam nuncupatis haeredibus iam notum fecerat. Hi defuncti voluntatem exequi cupientes monuerunt Fratres Minores ut in eorum ecclesia defuncto persolverentur iusta funebria et ab ipsis cadaver ad coemeterium associantur excluso Cleri saecularis interventu. Sciendum tamen est quod iuxta civiles hispánicas leges defunctorum cadavera in ecclesiis introduci non possunt, sed directe efferri debent ad coemeterium publicum. Regulares itaque cum ius commune applicari nequiret, proposuerunt parocho SS. Fructuosi et Susannae cuius fìlianus erat defunctus, ut ab ipso a domo levaretur cadaver et religiosis traderetur ante eorum ecclesiam pro associatione ad coemeterium, parochus e contra sibi vindicabat ius levandi cadaver et illud directe efferendi sub propria cruce ad coemeterium. Emus Archiepiscopus ad concordiam obtinendam proposuit ut cadaveris associatio fieret a parocho et Regularibus sub cruce parochi.

Regulares vero neque parochi neque Emi Archiepiscopi propositionem accepto habuerunt: hinc cadaveris associatio facta fuit a solo parocho et funus persolutum est a Regularibus in eorum ecclesia.

At cum in posterum similes evenire possent casus ad iurgia vitanda, de consensu partium S. Congregationi Episcoporum et Regul. inferius exscripta dubia pro solutione quaestionis proposita sunt : partium advocati plura hinc inde

deduxerunt, sed cum ageretur de controversia cuius decisio statum faceret pro universa Hispania, hinc consultissime prodiit elucubratimi votum Rmi P. D. Secretarii praefatae Congregationis quod, omissa synopsi allegationum partium, satius duximus publicare, eo magis quod ipsum in omnibus S. Congregatio secuta est.

VOTUM RMI. P. D. SECRETARII S. C. EPISCOP. ET REG-UL.

Ut muneri mihi concredito, maiori qua fieri potest brevitate simul et claritate satisfaciant haec praemittenda esse censeo.

1. De iure communi ad parochum pertinet ius associandi, funerandi et tumulandi proprios parochianos, quoties defunctus in alia ecclesia sepulturam non eligat, vel sepulturam maiorum non habeat.

2. in hoc casu, delectae scilicet sepulturae vel existentis sepulturae maiorum in alia a parochiali ecclesia, funerum iura inter defuncti parochum et ecclesiam tumulantem sic ab ecclesiasticis ordinationibus et decretis determinata habentur :

a) Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam ecclesiae tumuiantis, sive haec sit saecularis sive regularis.

b) Regularibus, in quorum ecclesia defunctus tumulandus est, ius competit una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedere et, cadavere per parochum levato, ad propriam ecclesiam tumulantem associare; si tamen velint, possunt ad propriae ecclesiae ianuam expectare, quin ad funeris associationem accedant.

c) Pariter ad Regulares spectat facere officium circa corpus defuncti, postquam intus eorum ecclesiam fuerit delatum, illudque tumulare.

d) Demum quod ad crucem pertinet, unica crux in funeribus deferenda est, non obstante consuetudine etiam immemorabili, crux nempe ecclesiae tumuiantis ; ideoque si defunctus in ecclesia regulari tumulandus sit et Regulares una cum parocho funus associent, unica crux conventualis

deferenda est, sub qua et ipse parochus incedere tenetur ; nisi tamen Capitulum ecclesiae cathedralis vel collegiatae adfuerit, cui privative spectat crucem levare.

3. Res ita se habuerunt usque ad publicorum coemeteriorum erectionem; publicis enim constitutis coemeteriis, factaque lege cadavera omnia in iis tumulandi, plures quoad rem funerariam enatae sunt parochos inter et ecclesias tumulantes controversiae, ad quas radicitus evellendas a SS. RR. CC. consultissime inductum est principium, per publica coemeteria non esse sublata ecclesiarum iura, sed tantum mutatum esse locum, in quo ecclesiae iure suo utuntur; ita ut quo iure antea fruebantur in propriis sepulchris, eodem postea uterentur in coemeteriis publicis. Exinde receptum est, ut Regularibus nedum sarta tectaque manerent recensita iura quoad defunctos, qui penes ipsos sepulturam elegerint, sed insuper ius exclusive competeret eorumdem cadavera associandi a propriis ecclesiis ad commune coemeterium, ceteraque omnia inibi peragendi, quae in cadaveris humatione fiunt; idque etsi ipsi in coemeterio proprium non habeant sepulchrum.

4. Facto hic fine, quievit ecclesiasticum constitutum ius. At vero non hic stetit civilis Hispaniarum lex circa rem funerariam; non solum enim in Hispanus obligatio facta est defunctorum omnium cadavera in communi coemeterio tumulandi ; sed et insuper constitutum, ut eadem cadavera, quin ad ecclesiam prius afferri possint, a domo defuncti ad publicum coemeterium directe deducantur. Exinde novae factorum circumstantiae, quae cum non cadant sub recensitis dispositionibus iuris ecclesiastici iam constituti, novis controversiis occasionem dederunt quoad funeris iura inter parochum et Regulares ecclesiae tumuiantis.

5. Iam quo harum novarum controversiarum solutio expeditior procedat, duo haec, meo quidem submisso iudicio, veluti fundamentalia criteria prae oculis habeantur oportet: 1.) Superius recensita iura et privilegia in re funeraria Regularibus competunt *ratione ecclesiae tumuiantis;*

2.) Constitutis publicis coemeteriis, iura et privilegia, quae in ecclesia tumulante amplius exerceri non possunt, non sublata, sed translata quoad exercitium censentur in ipsis publicis coemeteriis.

Ex his, ut mihi videtur, via prona est ad propositae quaestionis solutionem, protrahendo scilicet ad ulteriores consequentias constituta criteria. Quid est enim quod ex dicta civili Hispaniarum lege impedimento est, quominus recensita funeris iura prout ab ecclesiastica lege inter parochum et Regulares ecclesiae tumuiantis moderata sunt. exerceantur? Est simplex factum quod cadaver a domo defuncti directe ad publicum coemeterium deferri debeat. Hoc autem factum, ut patet, non obstat nisi iuri Regularium recipiendi cadaver in ecclesiae tumuiantis ianua, illudque post expleta iusta funebria deferendi ad publicum coemeterium. Quoniam ergo, ut evenit in communium coemeteriorum erectione, eadem legis civilis ratione nunc fit, ut dictum ius in ecclesia tumulante exerceri amplius nequeat, ipsa iuris analogia naturaliter postulare videtur, ut in eodem criterio interpretativo, a SS. CC. tunc inducto, et nunc insistamus, dicamusque praefati iuris exercitium, mutato loco, ab ecclesia tumulante in publicum coemeterium censendum esse translatum. Cetera vero iura omnia et privilegia, cum, non obstante dicta civili Hispaniarum lege, prout iam a lege ecclesiastica constituta sunt, exerceri valeant, immutata maneant oportet.

Hinc clara, ut reor, conclusio : *a)* Ad solum parochum spectat, stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii ; ius enim parochi ducendi funus proprii parochiani non impeditur nisi a iure ecclesiae tumuiantis subingrediendi parocho in eiusdem ecclesiae limine. Atqui, ut diximus, huius iuris exercitium, ratione civilis vetiti in ambitum publici coemeterii translatum censeri debet. Ergo ius parochi ducendi funus nonnisi in limine coemeterii a iure ecclesiae tumuiantis impediri potest. - *b)* Regularibus, in quorum ecclesiam de-

functus deferendus esset, ius competit in propria ecclesia iusta funebria peragendi, una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedendi, et, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi ; si tamen velint, possunt ad coemeterii ianuas expectare, quin ad funeris associationem accedere teneantur. - c) Pariter Regularibus spectat recipere cadaver ad ianuas coemeterii, ceteraque omnia peragere, quae in cadaveris humatione fieri solent. - *d)* Demum quod ad crucem pertinet, siquidem Regulares una cum parocho funebri associationi intersint, quemadmodum erat ante civile vetitum ita nunc unica crux conventualis seu ecclesiae tumuiantis deferenda est, sub qua parochus incedere debet ; dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae Capitulum non adsit, cui privative spectat crucem in associatione levare.

Quae cum ita sint, propositae quaestioni respondendum esse puto per sequentem instructionem, quam sapientiori EE. V V. iudicio humiliter et ex corde sub mitto :

Hisce praemissis diluitioni proposita fuere sequentia

Dubia.

I. *Positis civilibus hispanicos legibus, quae cadaverum delationem in Ecclesiam inter die ant, et facta a defuncto sepulturae electione in ecclesia Regulari, levato cadavere a proprio parocho, ius associationis et tumulationis spectat Parocho et Regularibus an ambobus i*

Et quatenus affirmative ad tertiam partem

II. *An et quo loco recedere debeat parochus?*

HI."Sub qua cruce praefata associatio facienda estì

RESOLUTIO Sacr. Congr. Episcop. et Regul. in generali conventu diei 1 Augusti 1902, omnibus sedulo pensatis, respondit. - *Ad I. II. et III. Providebitur per Instructionem* (propositam a Rmo P. D. Secretario) quae ita se habet. - « Funerum iuribus per plura SS. CC. Decreta consul tissime moderatis, omnis praeclusus videbatur aditus quaestionibus, quae occasione electae in alia a parochiali

ecclesia sepulturae tum ante tum post communium coemeteriorum erectionem inter defuncti parochum et ecclesiam tumulantem oriri solebant. At cum in Hispanus civili lege statutum fuerit, ut defunctorum cadavera, quin prius ad ecclesiam afferri possint, a domo defuncti ad publicum coemeterium directe deducantur; hinc novis exurgentibus factorum circumstantiis, nova inter defuncti parochum et Regulares ecclesiae tumuiantis enata est controversia circa cuique spectantia funebris associationis iura. Re ad hanc Sacram Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis dirimendisque praepositam delata, Emi Patres in Generalibus Comitiis habitis die 25 Iulii 1902, omnibus mature perpensis, haec, quae infrascripta sunt, statuenda ac decernenda censuerunt. Nimirum :

1. Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii:

2. Regularibus ecclesiae tumuiantis ius competit in propria ecclesia iusta funebria peragendi; una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedendi et, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi : si tamen velint, possunt ad coemeterii ianuas expectare, quin ad funeris associationem accedere teneantur.

3. Pariter Regularibus spectat recipere cadaver ad ianuas coemeterii ceteraque omnia peragere, quae in cadaveris tumulatione fieri solent.

4. Denique si una cum parocho Regulares ecclesiae tumuiantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiae tumuiantis deferenda est, sub Tma et ipse parochus incedere tenetur; dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae Capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare ».

Et sic observari mandarunt (Emi Patres) contrariis quibuscumque minime obstantibus.

EX AEDIBUS VICARIATUS ROMAE

NOTIFICATIO supra christianam democratiam iussu Sanctitatis Suae.

Il Vicario di Roma ha comunicato all' *Osservatore Romano* la seguente ed interessante notificazione :

« È noto a tutti con quanto zelo e paterna sollecitudine in molte occasioni il Santo Padre promosse ed incoraggiò l'azione popolare cristiana, e principalmente coli'enciclica «*Rerum novarum* » del 15 Maggio 1891, nella quale trattò ampiamente dei diritti e dei doveri su cui è espediente che convengano in reciproco accordo le due classi dei capitalisti e dei lavoratori, e indicò ad un tempo i rimedii derivanti dalle dottrine -evangeliche, norme eterne e infallibili di giustizia e religione, ed eminentemente efficaci a togliere ogni contesa tra i varii ordini di cittadini.

« I frutti che produssero gli insegnamenti contenuti in quella memorabile Enciclica appariscono manifesti a chiunque consideri l'incremento ricevuto dall'azione cattolica nella parte che risguarda l'economia e la carità cristiana. Dal titolo però di *democratici cristiani* assunto da parecchi cattolici, e rigettato da altri, sorsero delle controversie e deplorevoli dispute portate fino all'acrimonia. A questo male porsero efficace rimedio i principii e le norme dettati nell'Enciclica « *Graves de communi*» del 18 Gennaio 1901, che regolano il pensiero dei cattolici sopra tale argomento, e rendono la loro azione più larga e assai più proficua alla società.

« Persistendo alcuni in certe dottrine e tendenze chiaramente riprovate in detta Enciclica, volendo premunire l'azione cattolica dei conseguenti pericoli, il Santo Padre ordinò alla S. Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinarii di compilare e, colla previa Sua approvazione, emanare la Istruzione *« Nessuno ignora* » del 27 Gennaio 1902, colla quale anche si rendeva più forte, più compatta e sicura l'azione popolare cristiana o democratica cristiana.

« Ai ripetuti insegnamenti del Vicario di Gesù Cristo sulla vera e genuina *democrazia cristiana,* e alle norme date sul modo di estenderne l'azione, risposero i giovani conferendo volenterosi la loro calda ed energica operosità; risposero i più

maturi recando fiduciosi oltre alla provata fede, la ponderazione e il senno, frutti della esperienza; ma disgraziatamente non risposero, come era dovere, a tali insegnamenti alcuni, i quali cogli scritti e colle conferenze avevano maggiormente cooperato alla propagazione di teorie con tendenze pericolose, benché più volte fossero stati paternamente ammoniti dalla ecclesiastica autorità.

«Un discorso, tenuto nella Repubblica di S. Marino il 24 Agosto p. p. sul tema *Libertà e Cristianesimo* ha specialmente contristato il paterno cuore dell'augusto Pontefice, al quale molti Vescovi, messi in pensiero pei cattivi effetti, hanno creduto loro dovere di ricorrere per opportuni provvedimenti.

« Tale discorso, accuratamente esaminato, è stato trovato riprovevole e degno di censura.

« Si deplora inoltre di vedere non di rado informate agli stessi principii, varie delle pubblicazioni che ricevono l'ispirazione dallo stesso autore del discorso di S. Marino.

« Merita invece la piena fiducia dei cattolici il Secondo Gruppo dell'Opera dei Congressi, perchè fedele ai pontificii insegnamenti, ed in particolare alle istruzioni e norme date dalla Santa Sede il 27 Gennaio del corrente anno : le quali, indipendentemente dal loro perpetuo valore dottrinale, rimangono in pieno vigore anche nella parte che risguarda la semplice riorganizzazione dell'Opera dei Congressi e l'autorità del Secondo Gruppo di essa.

« La presente Notificazione per incarico speciale del S. Padre si comunica anche a tutti i Rmi Ordinarii d'Italia per loro norma, affinchè la loro vigilanza pastorale prevenga i fedeli contro le teorie e le tendenze sopra accennate, procurando che gl'insegnamenti e le norme dati *nell'Istruzione* del 27 Gennaio del corr. anno, nei *Regolamenti* dell'Opera dei congressi e relativa *Appendice,* siano integralmente conosciuti,frequentemente letti e fedelmente osservati da tutti i ceti di azione popolare cristiana, ricordando a tutti che quei documenti sono splendida conferma delle liete speranze che la genuina *democrazia cristiana* ispira alla Santa Sede, la quale con paterna e costante sollecitudine la premunisce contro i pericoli che potrebbero rendere sterili i suoi lavori.

« Dato in Roma, dal Vicariato, il 23 Settembre 1902.

PIETRO CARD. VICARIO.

P. Can. CHECCHI *Segretario.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Minister, etsi clericus, valet in Missa cum cantu apud Capuccinos assistere et thurificare chorum, haud tamen abstergeré calicem.

Hodiernus Superior Minorum Capuccinorum apud *Racconigij* Dioecesis Taurinen., de consensu Rmi sui Procuratoris Generalis, sequentia dubia solvenda Sacrorum Rituum Congregationi humillime proponit:

I. Quum S. Rituum Congregatio die 6 Dec. 1901 rescripserit, « Ministrum Missae cum cantu Assistentem, iuxta Decretum 3377, debere esse in sacris, si debeat etiam Calicem abstergeré », quaeritur: An in Missa cum incensationibus iuxta morem praefati Ordinis, possit fungi munere Assistentis etiam simplex Clericus, cetera in praedicto decreto notata perficiendo, dummodo non abstergat calicem?

II. An in enunciata Missa possit thuriflcari Chorus ab Assistente vel Acolytho, prouti hucusque factum est?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit, *affirmative ad utrumque.* Atque ita rescripsit die 18 Aprilis 1902.

D. CARD. FERRATA, -S. *R. C. Praef.*

L. S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

VALENTINA. Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Michaelae a SSmo Sacramento fundatricis Congregationis Ancillarum SSmi. Sacramenti et Charitatis.

De fama sanctitatis post obitum,

Fucatae virtutis natura ea est ut quae antea altius auribus-obstrepebant, morte obita evanescant ac penitus e memoria hominum excidant. Gloriam virtute partam nulla umquam delebit aetas, lacrimae et desiderium populorum tuentur, omnium celebratam praeconio.

Merita sanctitatis opinio, quae viventis Michaelae nomen comitata fuerat, multo clarior et vulgatior facta est, postquam ad caelum migravit. Eam tamquam legiferam matrem, instituti sui praesidium et decus sodales invocant aeternae gloriae participem factam. Laudant viri amplissimi atque ornatissimi, tum dignitate, tum doctrina praestantes; celebrant pauperes, in quibus grata beneficiorum numquam interitum memoria viget; praedicant omnes, quibus, quum testes Dei Servae caritatis fuerint, haerent in animo illius eximiae virtutes. Neque cuiuscumque honoris laudem hi omnes tribuunt, sed sanctam Michaelam appellare non dubitant aeterna felicitate in coelo potientem, sempiterna gloriae mercede donatam : iisque cultus signis prosequi certant qui, integris Ecclesiae legibus, Servis Dei non adhuc rite in beatorum numerum descriptis privatim deferri licet. Atque illud ardenter expetunt ut, ex suprema Pontificis auctoritate, caelestibus honoribus constitutis, sacri Ecclesiae fasti Michaelae nomine augeantur.

Itaque magna spe confisi innumeri Dei Servae cultores, quavis calamitate oppressi, eius praesidium appellant. Neque irritae preces cedunt; qui enim eam invocant, voti compotes facti, praesentissimam eius opem sentiunt. Reliquias, imagines, commentariola rerum a Dei Serva gestarum exoptant omnes atque summo venerationis studio prosequuntur. Sun* multi qui religiose lipsana servant ex sudariolo decerpta, quo Dei Servae, iam agentis animam, sudor abstersus est. Multi vero stramenta tenent, quibus quiescens ex hac vita migravit. Alii vittam, qua manus demortuae colligatae fuerant; alii vestes; alii alia efflagitant quasi amoris pignora, quibus intimis venerationis sensibus erga Dei Servam satisfaciant.

Tantam vero sanctitatis famam, quae apud nobiles et ignobiles viget, ne umquam plus aequo exornatam atque ex industria hominum ultro conflatam 'dicas. Si quidem egregiis virtutibus et caelestibus muneribus nititur, quibus Dei Serva ad miraculum eluxit, nec non praeclaris prodigiis, quae, Deus, Michaelae ope invocata, poriendit. Profecto multi sunt ii, qui perfectioris vitae desiderio acti, eius virtutes sibi tamquam exemplar imitandum propositum, aequare student. Qui acrioris aemulationis stimulis incitati, quo magis eius opera intuentur, eo maiori desiderio impelluntur. Atque « utinam eam detur imitari » inquiunt, quasi desperantes tantum virtutis fastigium attingere. Ideoque tempus, quod omnia absumit, non modo huic famae pepercit, sed eam ampliatis finibus auxit in dies: nempe « questa fama di virtù è andata sempre crescendo » atque transmarinis regionibus feliciter superatis, ad Philippinas insulas integra ac omnium laudibus cumulata pervenit. Nec modo temporis et locorum intervalla vicit: sed etiam (quod caput est) hominum invidia potior fuit. Quotquot enim operibus suis adversantes Dei Serva dum vixit nacta fuerat, totidem post obitum, virtutis et sanctitatis praecones habuit. Haec enim verae virtutis natura est, haec Christi imitatorum gloria, quae morte non moritur, sed memoria omnium magis splendei in dies. Idque non mirum, quum de Christo dicatur: « ante crucem in luctu res erant;.... postquam autem occisus est, res eius clariores et sublimiores evaserunt ».

De miraculis post obitum.

Infinitis ac sempiternis in caelesti regno gaudiis Michaelam perfrui prodigia innumera, quae, post obitum, exorata portendit, certissimum argumentum praebent. — Verum in primis referre praestat quae praeter naturae leges in eius corpore evenerunt. Quo die enim Dei Servae exuviae, paucis abhinc annis erutae sunt ut alio loco componerentur, quam suavem odorem spirabant! Omnes, qui aderant, hauserunt, ea iucunditate summopere delectati. Neque in recentiori tumulo conditis exuviis, odor evanuit. Christi fideles, quot sepulcrum invisunt, vel hodie percipiunt. — Praeterea eo ipso vestigio temporis, dum Dei Serva animam suavissimam efflavit, hilaris ac festiva cuidam religioso viro sodali Philippiano per visum sese ostendit. Item-

que vir alter, Antonius Lizarraga, summo mane, quum sacrointererat, postridie ab obitu, eamdem in coelum advolantem, candidae columbae ad instar, obstupescens conspexit.

Neque semel cultoribus suis humana specie sese videndam obtulit. Acerbissimis stomachi doloribus in collegio Matritensi laborabat sodalis quaedam atque Michaelam exorabat ut dolores dispelleret. Ecce per noctem sodali vigilanti Michaela invocata adfuit. Nec vana fuit imago : paucis post diebus morbo incolumis erat. — Iacebat a medicis destituta sodalis altera in Barcinonensi domo, nomine Emanuela. Huic sub noctem ante oculos, Michaelae species versatur eamque postridie iubet, ex Antistitae venia, ad sacram mensam accedere. Quod fecit ipsa, mirantibus omnibus. - Rigebat olim hiems, quum Aloisia sodalis, alumnis praefecta, calefaciebat se. At ecce brachio gravius ex improviso premi sensit. Dei Servam oculis cernit, quae duas alumnas peccantes ostendit. Alias quaedam alumna omnia peccata sua animi moderatori non aperuerat. A Dei Serva, quae sese videndam exhibuit, divinitus admonita est.

Haec et similia quae iudicialibus tabulis continentur satis declarant cur plurimi in aerumnis gravissimis Servam Dei invocarmi et in ea perfugium habuerint. - Praedicat oppido validissimum esse apud Deum vim Michaelae intercedentis, Soror Mathildes a Maria SSma, quae tumore cystico laeva in manu laborabat. Malum grave erat. Coenobii antistita auctrice, novendiales preces Dei Servae honori instituit. Nono autem appetente die, manum detectam prorsus sanatam invenit. — Duodecim abhinc annis ganglione ad nares tumescente Soror Maria a Monteserrato afflictabatur. Iam prope erat ut ulcus carnem exederet. Dei Servae opem, novendialibus precibus adhibitis, invocavit; illico sanata est. Altera Soror, in Collegio Burgensi pectoris morbo laborabat, iam fere a medicis conclamata. Ope reliquiarum Dei Servae mirum in modum convaluit. Soror Bernardina a B. V. Maria acerbissimis stomachi doloribus distenta, quidquid ederet, nausea correpta, vomebat. Vires iamdiu defecerant; a morte prope aberat. Preces no vendíales honori Dei Servae instituit; vix quarto elapso die, se sanatam prorsus invenit. — Potens etiam adiutrix Michaela fuit Sorori Agneti. Quatuor et viginti abhinc annis gutture et stomacho laborabat. Reliquiis Dei Servae admotis, ad salutem revocatur. — At maxime omnium Soror Virginia a Iesu vim eius experta est. La-

terum doloribus et tussi anno 1889 afflictabatur. Spem vitae omnem sublatam esse medici conclamabant, ideoque ab illis deposita, tradita fuerat sacerdotibus, qui animae gererent curam. Iam sacro abeuntium cibo munienda erat. Ipsa vero, in spem certam erecta, Michaele opem invocat, eius reliquias déglutit,... oh mirum! illico evanuit morbus, pristinus successit vigor, inter exultantes sodales postridie laeta munera sua obiit.

Neque modo aegros corpore Michaela invocata sanitati restituere gaudet, sed etiam animi anxietates dispellere. Iustus Fumanal, curio oppidi Benasque, tam acriter internis angoribus agitabatur, ut procul abfuerit ne e potestate mentis exiret. At Dei Servae opem exoravit atque illico, discussis nebulis, lux animo suavissima affulsit. Plura huiusmodi addere possum exempla. At quae hucusque protuli, satis ostendunt quanta vi et gratia Michaela floreat apud Deum.

Quae quum ita sint, spem certam fovemus fore ut de hac causa ineunda et Commissione signanda Sacer hic Ordo propitium ferat suffragium veluti cum Rmo D. Beniamino Miñana Collegii Hispani de Urbe Moderatore atque huius causae Postulatore vigilantissimo, nec non cum universa Sodalitate Ancillarum SSmi Sacramenti et Caritatis, de christiana et civili Societate optime merita, enixis precibus flagitamus.

Quare etc.

Die 12 Novembris 1898

ANGELUS *Adv.* MARIANI

ACHILLES MARTINI

REVISA

ALEXANDER *Adv.* VERDE

S. *B. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.*

ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis Causae in casti et ad effectum de quo agitur?

Eme ac Rfhe Domine

Praenobilis foemina, quam catholica Hispania, sanctorum virorum ac mulierum feracissima tellus, genuit et aluit, Sacro huic Ordini sistitur, ut num de eius sanctitate et virtutibus quaestio Apostolicae Sedi committenda sit, necne, hodiernis in Comitiis decernatur. - Profecto si Testes quosdam iudices rei faceres, iisque te committeres, eam hoc honore indignam nec dicere neque cogitare fas esset; tanto enim divinae gloriae et animarum salutis zelo ipsa succensa fuisse fertur, ut a viris praeclarissimis com pella retur « *una seconda Santa Teresa di Gesù - la Santa Teresa del secolo decimonono* ». Insuper ob insignia beneficia humano generi illata, mulieribus praesertim proiectae famae et adolescentulis periclitantibus, queis, pio condito Sodalitio, perfugium praebuit, quo e sordibus suis émergèrent et ab amittendae pudicitiae discrimine servarentur, habita est << *come una donna providenziale del secolo decimonono inviata da Dio per salvare tante anime che piangono immerse nel peccato dell'impudicizia».* Verum quum hominum iudicia saepe incerta sint et fallaciis obnoxia, « cumque Canonizationis honore decorandi sint in Ecclesia militante illi solum, quorum actiones proponi possunt fidelibus in exemplum quod imitentur », sedulo investigandum est, an quae de hac Ancilla Dei laudes et praeconia circumferuntur, certis ac firmis innitantur fundamentis, et an aliquid in eius ratione vitae occurrat, quod non imitatione, sed potius reprehensione dignum videri queat. At primum de probationibus, in queis totius rei cardo vertitur nonnihil disquirere praestat. Sit itaque

CAPUT I.

De Probationibus.

Valentiae, quo Ancilla Dei, asiatico saeviente morbo, sese contulerat atque obierat mense Augusto anni 1865, inquisitio super eius sanctitate vitae, virtutibus et miraculis viginti quatuor post annos, eodem redeunte mense, instituta fuit Archiepiscopi auctoritate, cuius rogatu alii conditi sunt peculiares processus pro quorumdam testium excipiendo examine in ecclesiasticis Curiis Caesaraugustana, Matritensi, Ovetensi, Zamorensi, Santanderiensi, Barcinonensi, Burgensi et Palentina. Hi singuli processiculi Valentino, uti omnium capiti ac principi, attexti fuere, novemque non parvae molis voluminibus continentur. De legitima harum Inquisitionum forma nunc dicendum mihi esset, sed, iis sepositis mendis, de quibus in alia iudicii sede opportunior erit disceptandi locus, heic ea tantum persequar, quae actorum vim et auctoritatem infirmare ac evertere possunt.

Diligentiam ac sedulitatem, qua usi sunt Valentini Tribunalis Officiales, ut omnes iuris nostri solemnitates servarentur, adhibitam non fuisse in Caesaraugustano processiculo adornando fateri cogor; in hoc enim multa desiderantur, quae omnem ei auctoritatem adimere videntur. Sane, nemo ex testibus super singulis interrogatoriis excussus est, sed de nomine et cognomine quisque rogatus, iis etiam posthabitis interrogatoriis, quae generalia dicuntur, post binas vel ternas interrogationes statim dimittitur; quum contra, iuxta rogatoriales litteras a Tribunali Valentino ad Card. Archiepiscopum Caesaraugustanum missas, super singulis interrogatoriis omnes audiendi essent. In illis enim legitur: « Praefati testes, Nos petitioni fiscali annuentes decernimus, ut ex officio examinentur, respondentes propterea omnibus et singulis interrogatoriis... Ad rem heic adnectimus Positiones et Articulos nobis pro examine testium a Postulatore exhibitorum, nec non plieum clausum, et sigillo nostro obsignatum, quo continentur Interrogatoria data a praedicto Promotore Fiscali, super quibus, priusquam super Articulis Postulatoris, erunt testes et prout res feret, contestes, examinandi; qui plicus directus est Promotori Fiscali a Te in constructione huius Processus

specialiter deputando. Absoluto autem Processu, tam testium dicta et contestium, si qui erunt, quam Interrogatoria, Articulos, Acta et actitata quaecumque ac iura omnia producta clausa et sigillis Tuo vel Iudicis, quem Tu, si placet, deputabis, et etiam Coniudicum, si eos adhibebis, huc transmittere per fidelem et iuratum Portitorem dignaberis, adiectis Tuis et Iudicis ac Coniudicum, si eos deputabis, epistolis, quibus significabitur quae testibus et contestibus sit adhibenda fides, et quidquid aliud peculiariter de testibus et contestibus et de eorum testificatione videbitur adnotandum ».

Eccur igitur contrarium omnino factum est? Eccur fere omnia praetermissa sunt in testium examine interrogatoria? Sed neque et aliae praescriptiones servatae fuerunt; desunt enim Iudicum epistolae, deest portitoris iuramentum, ad quod munus ipsemet Postulator oretenus designatus fuit, atque, quod gravius est, deest Processiculi clausurae instrumentum; quapropter tuti esse nequimus de actorum authenticitate, quemadmodum non immerito incerti fuere Valentini Iudices. Legitur enim in actis: « Animadvertens Promotor Fiscalis non esse rite et accurate confectum Instrumentum clausurae et traditionis huiusmodi Processiculi praefato Postulatori D. Francisco Genovés, nec interrogatoria esse sub alio plico clauso a generali distincto, protestatus est incontinenti de infractionibus et deflcientiis, quae in remissione dictorum Instrumentorum potuerunt patrari. Hac protestatione, ut par erat, admissa, Rmi Iudices integrum negotium S. R. Congregationi relinquendum existimarunt ». Iidem vero Iudices praefatorum defectuum gravitatem perpendentes, eosque vix posse consanari autumantes, satius duxerunt R. P. Ioannem Vinader eo in Processiculo excussum ad examen revocare, ne Causa eius testimonio fraudaretur, qui Ancillae Dei in extremo morbo et agone adstitit. «Promotor Fiscalis.... memorans se in sessione sexagesima octava potestatum fuisse de infractionibus et deficientiis, quae in remissione Instrumentorum a Curia Caesaraugustana confectorum animadvertit, et ob periculum, ut testium depositiones in illis contentae a S. R. C. non admittantur, cum dictus contestis sit testis maioris exceptionis (sic) in hac Causa, et eius depositio inter eas reperitur, rogavit etiam Rmos Iudices ut dignentur dictum contestem velut testem iterum examini subiicere »; quod, annuentibus Iudicibus, illico factum fuit.

Quanti autem facienda sit huius testis depositio, facile desumi potest ex epistolae lacinia, quam Valentini Indices ad hanc Sacram Congregationem dederunt, quamque, licet longiusculam, Patrum Emorum oculis subiicere e re esse duco. « Nonnullae contradictiones, saltem apparentes, illi notatae fuere, inter alias super comparationem ultimi spirantis discriminis Servae Dei et Sororis adoratricis de los Angeles a teste factam, praecipue in epistola, quae inseritur ad calcem sessionis 187, et insuper quoddam praeiudicium infrascriptis Iudicibus inexplicabile, nam asserebat testis se credere: 1.° Matrem Sacramentum statim a discessione huius vitae admissam fuisse vel frui visione beatifica; 2.° Animas nonnullorum purificatas fuisse flammis expiatoriis ; et 3.° praefatae Servae Dei mortem fuisse angelicam, quod explicavit asserens, ut si Angeli fuissent expertes (sic) mortis, non alio modo ad Patriam pergerent ac Serva Dei, et tamen profitebatur non credere dignam honoribus beatificationis canonizationisque. Ne incuriae nostrae attribueretur contradictio supra dicta huius testis, eum interrogavimus circa illam, et palam ostendimus necessitatem explanationis: ille respondit se referre ad specimen seu exterioritatem agoniae cholericorum, non ad intensitatem dolorum, nam ultro fatebatur agoniam Servae Dei fuisse acerbissimam (sic) Sororis de los Angeles et coeterorum agonizantium ab ipsomet ministratorum, quoniam etsi praefata Soror et alii choierici maiores querelas et lamentationes exhalassent ac Serva Dei, cuius oratio erat pro incremento dolorum et patientiae; tamen ex contractione nervorum, formatione coagulorum, qui a planta pedis usque ad verticem capitis sufferebat, contortionibusque spasmi patientissime ab ista toleratis, eruebat testis agoniam Matris Sacramenti fuisse miserrimam omnium; sed restitit insertionem harum explanationum ad calcem suae depositionis, et frustra illum monuimus diligentiorem esse debere in enarrandis etiam adiunctis minutioribus et depellendis omnes contradictiones. Habita ratione dignitatis testis, ei permisimus ut deponeret prout videndum est locis citatis; sed licet causa brevitatis dictaminis responsionum ab ipso teste de verbo ad verbum Notario traditarum, vix in declarationibus insinuetur tam praeiudicium, quam exposita apparens contradictio. Nos infrascripti Iudices, postquam testis discessit a Tribunali, nec non Notarius Actuarius, adstante tantum Promotore Fiscali, com-

pendiosam notam sumpsimus rerum memoratarum, ne labente tempore ex nostra memoria exciderit res tanti momenti ». Cerebrosum igitur testem habemus, qui unum sentit et alterum dicit. Ecquomodo eius attestatio uti genuina ac sincera excipi poterit ?

Fere eadem animadvertenda occurrunt de quibusdam te* stibus in Processiculo examinatis, qui Matritensi in Curia, iuxta rogatoriales Litteras Valentini Tribunalis, super fama sanctitatis Ancillae Dei conditus fuit. Alter enim ex Adiunctis Iudicibus in sua epistola haec refert : « Videtur mihi testis « Maria Alvarez de Boliorques ducissa de Gor vel distractionis vel brevitatis causa, occultas quasdam parvi momenti circumstantias reliquisse, quae praecesserunt iter ab Ancilla Dei Valentiam petitum, morbi cholerae occasione, annno 1865. Agendo enim de praecognitione sui finis ab Ancilla Dei manifestata, noverat praedicta testis a Matre vulgo Sacramento prolata, quae non patefecit, fortasse quia hoc innecessarium putavit. De teste Dna Bernarda Rodríguez affirmare etiam audeo longius et latius potuisse declarare circa virtutes Ancillae Dei, utpote quae per multos annos eiusdem socia extitit, et tamen se cohibuit, forsan ne crederetur nimia aviditate vieta, aut scrupulis vexata, timore exagerandi. Circa testem Dominum Hermenegildum Sancho, dico etiam, quod et de ceteris, veraciter et sincere declarasse; attamen, agens de controversiis a se cum Ancilla Dei habitis, mihi videtur nimium attenuasse culpabilitatem, quam in controversiis habere potuit ». Huiusmodi igitur testimonia uti manca et imperfecta censenda sunt, eodemque in pretio habenda alia plura ipsius inquisitionis, in quorum examine aliqua desunt interrogatoria. Non enim constat Testem III auditum fuisse super interrogatorio 8, neque Testes VII, XIX et XXIII super 76 : item in examine Testis VIII sex postrema interrogatoria omissa fuere; atque decem, scilicet ab interrogatorio 64 ad 74, in examine Testis XII; a Testibus vero XIII, XXVII et XXVIII post interrogatorium 67, 72 et 37 nihil amplius quaesitum fuit. Haud inficior, iure communi inspecto, quorumdam interrogatorium omissionem integrum testis examen irritum non facere; sed, interrogatoriis omissis, quae de rebus scitu necessariis agant, haud sua testi manet auctoritas.

Ceterum tum in hac tum in aliis rogatorialibus Inquisitionibus expendendis non est cur diu immorer, namque testimo-

nia in illis congesta adeo exilia sunt, ut vix licuerit causa Patrono perbreves quasdam lacinias in Summarii tabulas referre. Quod si de omnibus mirum ac fere inexplicabile videtur, hoc potissimum dici debet de Processiculo Matriti condito, ea nempe in urbe, in qua Dei Famula lucem aspexit, vitam degit, Sodalitii sui fundamenta iecit, ac principem eiusdem sedem constituit; exinde propterea instructores de eius vita ac virtutibus testes educere, ac praecipuam probationum segetem colligere pronum erat. At contra nullum inter Ancillae Dei concives reperire datum fuit hominem, qui de heroica virtutum exercitatione et sanctimoniae fama plenum et cumulatum testimonium perhiberet: quod quantum detrahat legitimae famae ipsius probationi, quam iura nostra pro Commissionis signatura requirunt, nemo non intelligit. Haud enim abditum inter asceterii septa et ab hominum consortio seiunctam vitam duxit Michaela nostra, sed nosocomia saepe invisit, aulam regiam celebravit assidue, regni proceres aeque ac Sacrorum Antistites frequenter adiit, itinera plura confecit, suique instituti ratione cum omnium fere ordinum hominibus versari iugiter coacta fuit; ex quo universum ferme populum actionum suarum testem ipsam habuisse diceres.

Adversarios multos et acérrimos natali in urbe nactam esse Michaelam nostram iudiciales tabulae passim edocent; at eorum nemo in iudicio auditus fuit. Dices hosce ad illorum genus hominum pertinere, qui inique et per calumniam Ancillam Dei insectati sunt. Non abnuo; sed quum irae et odia ad sepulcrum conticescat, ibique adversariorum animi penitus immutari ac contemptae diu virtutis praecones effici soleant, ita Divo volente Numine, ut., *quod vivo detraxerit incida turba — Post funus duplici Joenore reddat honos,* valde opportunum fuisset eorum aliquem in ius accire, ut ex inimicorum ore virtutis laus, quae gratior et iucundior esse solet, prodiret, vel luculentius appareret, an insectationibus et maledictis iustam praebuerit Dei Famula causam. « Sono senza numero le beffe (ait Testis V Valentinus), satire e sarcasmi, di cui ne fu vittima la Serva di Dio. Conservansi nell'Archivio della Casa di Madrid alcuni giornali, nei quali si satirizzava la Madre Sacramento ». Eccur haec mordacia carmina nobis non sunt exhibita? Nonne huius Sacri Ordinis est, num asserta Michaelae nostrae sanctimonia grave aliquod exinde vulnus acceperit, necne, diiudicare?

Delectum vero testium non sine peculiari studio peractum, causae actorum votis haud respondisse facile deprehenditur. Licet eos inter emineat celsissima dignitate sua Hispaniarum Regina, ac bini recenseantur Archiepiscopi, complures ecclesiasticis muneribus et honoribus insigniti, aliique praenobiles viri ac mulieres, horum tamen attestationes paucis, uti plurimum, absolvuntur, vel paucula de virtutibus ac sanctitatis fama Ancillae Dei generice enunciant. Copiosum profecto testimonium maxime de Ancillae Dei virtutibus, a R. P. Eugenio Labarta expectabis, qui unus est superstes ex postremis eius Confessariis. At falleris omnino; namque is aperte declaravit «che nella decorrenza di ventisei anni dopo di aver trattato con Madre Sacramento, quasi esclusivamente nel Confessionario o in conferenze relative alla sua anima, e di ottantatre anni che ho, il ricordo di quello, che conobbi della sua vita e virtù, l'ho molto debole». Sacerdos alter R. D. Ioannes de Deo Montanes, qui consilio et opere diu Ancillae Dei adhaesit, eiusque laborum veluti socius ac patronus extitit, non illud attulit testimonium, quod causae actores sibi spoponderant. Valentini enim Tribunalis Iudices in suis litteris de eo animadvertunt, « fuisse virum strictissimae conscientiae, et forsitan territus gravitate iuramenti Causae non attulit testimonium desideratum a Postulatore, sed brevissimum ». Idem habes de Emmanuele Drouda cuius testimonium plurimi faciendum esse Postulator coram Tribunali declaravit, quippe is erat ex insignioribus inter benefactores Servae Dei. Namque examini subiectus respondit[1] « che teneva la Serva di Dio Madre Michela Desmaisieres Lopez di Dicastillo, conosciuta dal nome di Madre Sacramento, in concetto di grandi virtù e di molto amor di Dio ; e che niente più poteva manifestare ».

Illud sane 'inficiari nequit, testes qui de Michaela nostra fusius loquuntur, quique pene, totum probationum pondus sustinent, mulieres esse, quae sodalitatem ab ipsa Dei Famula institutam ingressae sunt, eique suum nomen dederunt, ac proinde eidem addictae beneque affectae fuere. Porro quamvis ex sola affectione non liceat praesumi minus verídicas fuisse illarum attestationes iuramento firmatas, ab ea tamen, si nimia sit, minime exulat nimiae credulitatis et exaggerationis suspicio; *credula* quippe *res amor est,* atque ita animo, natura duce, comparat! sumus, ut eorum, quos diligimus omnia optima eo-

gitemus. Nimiae affectionis indicia haec censeo. « Darei tutta la mia vita, perchè si realizzasse la suddetta di lei Beatificazione ». « Desidero con tutta l'anima mia la di lei Beatificazione e la procuro con tutte le mie forze ». « Desidero la sua Beatificazione con tutta la mia anima ». Vehementissime hoc desiderio percitae, mirum non est si Ancillae Dei Sorores virtutes eius extollant, defectus vero exténuent. Exemplo valeant quae m actis de eius acri ac praefervida indole passim leguntur. « Era di carattere vivissimo, e per temperamento un po' altiera ». « Essa teneva un carattere austero, vivace ed energico ». « Aveva un carattere forte, energico e perfino violento in alcune occasioni ». Quum id, ullo pacto inficiari sodales eius nequirent, omnes animi impetus iugi ac moderata dominatione Dei Famulam continuisse affirmant, atque ostendere connituntur, numquam ad iracundiam vel ad inconsulta illam fuisse dilapsam. « Aveva i sensi raccolti in sommo grado ». « Era di un carattere molto uguale e sempre la medesima ». « Alcune volte parlava essa con vigore, però senza ira, senza alterigia, senza uscir dai gangheri ». Possumusne huiusmodi testibus universam prope Causae molem committere eorumque dictis acquiescere ?

Idonearum in Causa probationum defectus forsan non latuit eiusdem actores, qui binas biographias iudicialibus tabulis adnectere sategerunt, quarum altera ab ipsamet Serva Dei iussu, uti asseritur, Confessarii exarata, alia a Vincentio de la Fuente conscripta et anno 1884 Matriti typis edita. Sed cui bono! Autobiographiam Ancillae Dei frustra quaesivi in Theologi Censoris voto, neque eam enunciatam inveni in iuridica recensione scriptorum, quae Sacrae Congregationis examini subiecta fuere. Porro cum doceat Benedictus XIV de signanda Commissione introductionis causae agi non posse, « nisi revisis operibus conscriptis a Servo vel Serva Dei, si scripsisse constiterit », manifesto liquet praefatam autobiographiam, quin nostrae causae emolumentum aliquod afferat, eiusdem progressui officere, quippe de ea adhuc desideratur Censoris iudicium. Eidem exhibitum fuisse minime constat testamentum spirituale Servae Dei, de quo passim in iudicialibus tabulis sermo incidit, ibique nonnullae prostant laciniae a testibus relatae.

Altera biographia, utpote recenter exarata ad probandum admitti nequit. « De famae origine (ita Benedictus XIV) quae-

ritur: an probabilis, legitima atque sufficiens dici possit illa, quae desumitur ex vita alicuius Servi Dei scripta vel edita.... Distinguenda esse videtur vita recenter a vita antiquo tempore edita, et rursus vita a privato scriptore composita et edita, nullo praevio examine extraordinario, nec ullis praecedentibus publicis monumentis, ex quibus ea desumpta sit, a vita recenter conscripta a viro probo, Processibus confectis innixa, et post arduum et insolitum examen typis edtfa. Quocirca bon. mem. Prosper Bottinius Fidei Promotor inquit in suis animadversionibus factis in Causa Valentina Servi Dei Ioannis de Ribera super fama sanctitatis in genere: - «Hic autem non est modus iuridicus probandi famam, dum tota ratio radicatur et consistit in auctoritate scriptoris vitae, quae non potest esse multi ponderis, quando historia non est antiquissima.... Ideoque de his historiis, licet sint ab Ordinariis revisae, adhibito Theologorum consilio, easque Sedes Apostolica edi permiserit.... decreta generalia Urbani VIII statuunt nullum in ordine ad Beatificationem gradum maioris probationis constituere, quam sine tali approbatione constituissent, non obstante quocumque temporis cursu » (Lib. II cap. XI num. 8). Inde igitur aperte consequitur, memoratam biographiam, utpote quae nullis praecedentibus *publicis* monumentis nullisque confectis Processibus innititur, certum probationis gradum sibi vindicare non posse.

Praeterea sciscitari liceat, cur nobis tradita non sit altera Ancillae Dei biographia fusiori calamo ab eodem auctore conscripta, unde huic causae moram et praeiudicium haud leve inferri posse videtur? Laudatus enim scriptor haec praefatur: « Prima di scrivere questo libro per stamparlo e divulgarlo, aveva scritta nell'anno 1883 altra vita più estesa in tre volumi in quarto, che consegnai alle sue figlie, le Signore Adoratrici di Madrid, nella quale si contengono molte cose soprannaturali, che non conveniva publicare in questo libro ». Gravis exinde suspicio oritur, in pluribus illis supernis donis aliquid sublatere, quod a sanctitate alienum Deoque indignum videatur; quare ea inspiciantur omnia et sedulo expendantur oportet, ne temere Causa suscipiatur, praesertim quia etiam inter illa, quae iudiciales tabulae, tamquam caelestia munera, enarrant, non pauca reperiuntur, ceu sequentibus in capitibus innuam, quae haud leve obstaculum Causae facessere arbitror. Ut rem intimius perscrutemur, de fama disquirendum est.

CAPUT II.

De fama Sanctitatis.

Non quaelibet sanctitatis opinio, sed quae ex puritate vitae et ex christianarum virtutum heroica exercitatione parta universalis evasit, atque maiora in dies incrementa acquisivit, haec una est, quae Commissionis signaturam impetrare valet. Iamvero plura hac in Causa occurrunt, quae de legitima famae origine perplexo animo nos esse iubent. Procurandae enim sanctitatis opinioni suapte natura plurimum contulerunt virtutes ac dona, queis Ancilla Dei sese praeditam asserebat, quaeque pandere, nulla necessitate urgente, in more habuit. De se adhuc adolescentula narrat: «Aveva gran devozione al Santissimo, ed andava in qualche chiesa per fargli compagnia, con la mia Aia, o alle Quaranta ore, ed era solita trattenermi due o tre ore, che mi passava il tempo prestissimo, e regalava all'Aia, perchè non si lamentasse». De obsequio et obedientia in parentem suam refert: « Morì (eius mater) senza che io le avessi dato giammai un disgusto, nè la minore disobbedienza; cosa che la aveva resa tanto soddisfatta di me, che mi regalò una tazza grande di argento con un cane in cima, ed una iscrizione che con lettere di oro in rilievo diceva : A mia figlia Michela, fedele, amabile e virtuosa l'amore di una madre ». Olim Abulensi Episcopo haec scribebat: « Mi danno da pensare le relazioni impure delle persone che tratto di salvare dentro o fuori di casa. Il Signore mi assicura - non avrai tentazioni di impurità, e da otto anni vedo compiuta cotesta promessa ». Sodalibus autem suis nedum ad aures de se ipsa loquebatur, sed palam quoque sese ad imitandum proponebat. Sic eas in generali conventu congregatas anno 1865 ad 'mutuae caritatis et perfectionis studium hortata est inquiens, ceu edocet Soror Helena a Cruce, « che potevamo dominarci cosi come lei lo potè durante nove mesi, nei quali aveva sofferto grandi contradizioni, specialmente nella fondazione di Santander, ma che per grazia di Dio non s'era disgustata neppure una volta, nè aveva perduto la pace interna ». Alias post spirituales recessus Sorores suas ita alloquuta est: «Vediamo se voi altre potete fare lo stesso come me che essendo peggio di voi, ho fatto il voto di non commettere avvertentemente neppur peccato ve-

niale, e di far sempre ciò che sia più perfetto; e cosi progredirete nel cammino della perfezione». Haud obscure igitur Ancilla Dei perfectionis apicem sese prope attigisse insinuare satagebat, sibique sanctitatis opinionem conciliare.

Huic opinioni fovendae inserviebant quammaxime facta quaedam cotidiano ferme sermone ab Ancilla Dei sodalibus suis commendata non aliam ob causam, nisi ut ab iisdem ea veluti redamantis Dei pignora haberentur ac servarentur. « *Ripetute volte udii* (ait Soror Catharina a Christo) *dalla medesima* la maniera straordinaria con cui il Signore le aveva inviato i soccorsi, di cui abbisognava in circostanze critiche, poiché, *come diceva, sempre le arrivavano quelli per vie inaspettate, trovando danaro nei tiratori del suo scrittoio o in altri luoghi, dove mai poneva danaro* ». Atque Soror a SSmo Corde Mariae refert : « Era una notte nella quale Madre Sacramento si ritirò nel suo dormitorio per andare in letto, dove trovavasi sola. Aveva in esso un crocifìsso di un metro d'altezza, che in altra epoca appartenne alla sua defunta madre. Quando indirizzò il suo supplicante sguardo al detto Crocifìsso, gli parve vedere che il sangue delle piaghe era più colorito che ordinariamente, e avvicinandosi allora per adorarlo abbracciollo, e subito udì chiaramente e distintamente i palpiti del cuore di Gesù. Nel dì seguente dopo ascoltata la santa Messa, ci ritirammo nel saloncino, dove soleva radunarci nelle ore di ricreazione, e colà la madre Sacramento ci raccontò il sullodato prodigio ». Eadem Soror habet : « Alcune volte il Signore reclinò sopra il suo petto a Madre Sacramento come a S. Giovanni. Pure il Signore le apparve in altra occasione in forma di bambino e l'accarezzò; passando la sua divina mano pel sembiante di Madre Sacramento. Lo so perchè costei me lo raccontò diverse volte». Eademque Testis narrat: « La Serva di Dio vedeva la Santissima Trinità nella Sacra Ostia, quando stava esposta Sua Divina Maestà; e dico che la vedeva, perchè ci domandava con la maggior ingenuità, se la vedevamo pure noi, le religiose che ci trovavamo con essa in Cappella, facendoci con questo scopo guardare attentamente la Sacra Ostia, lo, la dichiarante, risposi che non vedevamo niente di particolare, e ricordo che alla Serva di Dio maravigliava moltissimo che non vedessimo noi ciò, che ella vedeva, e ci diceva: Pare impossibile ! e ci collocava in diverse posizioni e luoghi ».

Neque mireris quod Ancillae Dei Sorores ingenuitatem eius haec enarrantis collaudent; istarum potius puerilis simplicitas et credulitas, qua mira omnia, quae ab eius ore prodibant, donis supernaturalibus accensebant, nostra est admiratione digna. « In una certa occasione (prosequitur Soror a SSmo Corde Mariae) si ruppe la vettura, nella quale viaggiava con la sua [già detta Cognata, e vi fu bisogno fermarsi in un Albergo di campagna. In tal circostanza domandò la Serva di Dio dove stava la Chiesa, e seppe con gran pena che non v'era e che neppur si trovava vicino nessun paese. Ritirossi allora Madre Sacramento in camera sua, e ne fece lagnanze a Nostro Signore, dicendo che lei non aveva colpa se non poteva communicarsi. Non potendo conciliarsi il sonno s'alzò alle due antimeridiane circa e uscì dalla camera. Appiè della scala trovò un uomo vestito di bianco che portava un fanale nella mano, e costui le domandò se voleva communicarsi, e lui stesso l'accompagnò in una Chiesa dove la lasciò, dicendole che ritornasse per la stessa strada. Mi manifestò la Madre Sacramento che non vide la faccia di quell'uomo, ma credè ch'era S. Raffaele». Subdit Soror Maria Eulalia: «Dei Santi Angeli ci diceva in molte occasioni, che in modo speciale gli Angeli Custodi assistono la persona alla loro tutela raccomandata. In quanto a me, diceva ella, m'assistono molto bene: e quando andavamo a scusarci di qualche cosa soleva risponderci: È chiaro, non avete fede, e per questo non raccomandate le cose nè date l'incombenza ai vostri Angeli; e questi non lo fanno. Io, quando ho bisogno di vedere qualche persona, lo dico al mio Santo Angelo, e si conosce che egli va ad avvisarla, attesoché viene da me essa immediatamente ». Hisce aliisque id genus permultis manifestationibus, si insuetam addas castigandi corporis rationem, inflciari non poteris Servam Dei (bona nec ne fide non quaero) favorabilem opinionem sui maxime fovisse.

Insuetam dixi corporis afflieiandi rationem, namque narrat Soror Maria a Monteserrato: « Dopo due anni circa che io mi trovava nel Collegio di Madrid m'ordinò la Madre Sacramento ch'entrassi nella sua stanza da dormire, vicino alla quale dormiva io, dopo essersi spogliata fino a rimanere colla sola camicia, ch'era larga, molto lunga e colle maniche che le arrivavano fino ai polsi, mi disse: Grattami figlia mia la spalla, per-

che mi rode molto. Difatti io mi collocai all'indietro, rimanendo» scoperta solo la parte, che si estendeva dagli omeri fino un poco più su della cintura, siccome essa era tanto alta ed io più bassa, si mise a sedere da un lato sopra una sedia, ed allora cominciai a grattarla fino a sgraffiarla, giacché non rifiniva di ordinarmi che la grattassi con tutta mia forza, e non già colla punta delle dita ma sibbene colle unghie, talmente che gli (sic) lasciai le spalle piene di graffiature. Da quella notte in poi non cessai di farle questa operazione quasi ogni giorno e per qualche tempo. Però a motivo che io aveva le unghie un po' tenere e che perciò mi si rompevano con facilità durante l'indicata operazione, lamentandosi la Madre Sacramento che io lo faceva forse appositamente per non recarle danno, mentre diceva essa, la privava del sollievo che m'assicurava di trovare, una notte nell'andare a cominciare la solita operazione mi dette una scopetta molto fitta di crini di maiale corti ed aspri, la quale scopetta teneva la forma delle destinate a pulirsi la testa, dicendomi: atteso che non tieni buone unghie e non mi rechi sollievo bastante prendi questa scopetta per stropicciarmi le spalle. Ciò detto, si spogliò e ponendosi nella medesima posizione di quando prima la graffiava coll'unghie, cominciai a stropicciarle la spalla da sopra a sotto, come se stessi scopettando un legno. Allo stesso modo da questa notte in poi quasi quotidianamente ripeteva le fregagioni. La forza che in questa usava per ordine della mia Madre Sacramento era tale che le lasciava la spalla rossa come un pomodoro. Questa operazione... stetti praticando per molti anni, cioè per tutto il tempo* che stetti al suo fianco ». Neque credas haec omnia nocturno silentio consepulta fuisse; siquidem nedum ad Ancillae Dei Sororum aures facile pervenerunt, sed quadam etiam cum exaggeratione ab illis narrata sunt. « Molte volte mi ha raaontato Suor Monserrato, religiosa semplicissima e angelica (ait Soror a SSmo Corde Mariae) che la mia santa Madre (Serva Dei) si serviva di essa per praticare certe penitenze, che non poteva far da sè stessa; le spazzolava questa le spalle con una spazzola assai forte, fino a far zampillare il sangue; faceva chele strappasse le unghie delle dita dei piedi, dividendole per metà, e tirandole d'ambe le parti fino ad estrarle del tutto ». Haec postrema adiuncta desunt omnino in Sororis a Monteserrata testimonio super relato.

Praeterea ad fovendam admirationem ac venerationem spettasse videtur exterior ille apparatus, quo Dei Famula utebatur, quum mortis cogitationi vacaret. « Faceva (inquit Soror Helena a Cruce) una volta al mese l'esercizio della Buona Morte nella maniera seguente: Dinanzi all'altare Maggiore collocava un panno nero, sopra il quale si distendeva come se fosse defunta, e faceva accendere quattro candele intorno al panno, e Suor Visitazione, già defunta, le leggeva la raccomandazione dell'anima ». Eodem haec alia spectare videntur : « In alcune festività principali della Chiesa s'inginocchiava ai piedi delle Suore e Collegiali nel refettorio, glieli baciava e dimandava loro perdono di tutte le mancanze, ch'avessero notato in lei: atto questo che terminava essa col pianto». Olim vero feria VI maioris hebdomadae, « nello stesso momento di benedire il pranzo, presentossi la Serva di Dio nel refettorio portando sopra i suoi omeri la pesantissima Croce che stava collocata tra la Cappella e la seconda porteria, e durante tutto il pranzo, che durò tre quarti d'ora circa, rimase inginocchiata la Serva di Dio, coricata con la Croce sopra i suoi omeri. Cotesta umiltà e penitenza produsse una sensazione tale tra i presenti, che tutti mangiammo cogli occhi pieni di lacrime ». Eosdem stuporis sensus vix .cohibere potuisse puto moniales et alumnas, quum cubiculum introspicerent, quo ad orandum Dei Famula secedere solebat, siquidem in eo « aveva uno scheletro pieno di vermi, un teschio, figure di diavoli, un banco coperto di corteccie di albero, il quale aveva in uno dei suoi estremi una corteccia maggiore in forma di capezzale, ed adorni campestri ».

Mirandum igitur non est, si qua sanctitatis fama de Michaela nostra ingruerit; haec enim per vulgatis charismatibus, corporis macerationibus aliisque fucatae humilitatis exemplis hactenus recensitis, quibus credulae mulieres commoveri maxime ac delectari solent, non autem virtutum fulgori tribuenda est. Namque etsi religiosae sodales virtutes eius celebrare lateque in vulgus propalare studuerint, nuper typis cuso et evulgato « con profusione un Compendio della sua vita, nel quale la si presenta come modello delle virtù cristiane », quod tamen nobis nondum exhibitum fuit, nihilominus adhuc extant contrariae opinionis homines, numero plures, qui nimirum « dubi tano (ut edocet Testis VIII Valentinus) della certezza delle sue

virtù, assicurando che, se queste fossero certe, sarebbe senza dubbio santa. Ciò che io ben posso affermare è che queste medesime persone, che dubitano della santità della Serva di Dio, riconoscono ciò non ostante in essa virtù comuni ed ordinarie,, considerandola come una buona cristiana ed esatta osservante della santa legge di Dio, sebbene non credono nella eroicità delle virtù che praticò». Atque testis XVI Matritensis subdit: « In quanto alle virtù, persone di molta pietà furono, che videro in essa alcuna mischia di cattiveria della società con il vero spirito di Dio, in maniera che essendo religiosa, nel suo viaggio che fece a Barcellona nell'anno, credo sessantadue, non so se con giustizia o no, lasciò impressioni di questa classe nella nobiltà di Barcellona, colla quale trattò bastantemente ». Ac III e testibus in processu Valentino ex officio inductis, qui uti potiores habentur, refert: « Le persone secolari che trattavano Madre Sacramento, dalle quali potei saperlo io dichiarante, la reputavano come signora di gran talento: le Religiose Adorataci l'avevano dal canto loro come persona molto virtuosa ».

Ergo neque penes sodales suas sanctitatis famam assequuti fuerat. Re sane vera, soror Maria a Monteserrato, quae die noctuque eius lateri adhaesit, eiusque virtutum testis fidissima fuit, inquit : « Confesso ingenuamente che giammai la ritenni per santa ». Atque Soror Maria a SSmo Rosario, quae eximia plura a Dei Famula gesta oculis vidit et ore testata est, declaravit: «sebbene io la tenessi per una persona sommamente buona, giammai la tenni in concetto di santa ». Soror Maria de Mercede, aegre quidem, sed iuramenti lege coacta fassa est: « È un fatto che mi vergogno di confessare, che non ho avuto mai veruno affetto alla menzionata Serva del Signore». Itemque R. P. Ioannes Baptista Vinader, qui multa et praeclara de eius extremo agone ac morte tamquam testis de visu retulit^ declarare non dubitavit: « Non ho professato prima come neppure professo ora speciale affetto alla Serva di Dio ». Quid quod non desunt, qui aperte hanc famam impugnent? « Ho sentito parlare (ait Testis VIII Valentinus) contro l'opportunità di questo Processo, al Cappellano Don Ermenegildo Sancho, che risiede in Madrid ». Haec porro omnia vetant, ni fallor, ne quam de Ancillae Dei sanctimonia praesertim post eius obitum, viguisse quidam testes in Summario relati enunciant, universalem vel communem dicamus.

At haeccine, saltem constans, novaque in dies incrementa adepta est? Praecipuum permanentis famae indicium praebet pius populorum concursus ad sepulcrum, qui si numquam interruptus fuerit et frequentior evaserit, sanctitatis quoque famam auctam tuto affirmare possumus. Atque nullum in actis testimonium habes de populi concursu ad Ancillae Dei tumulum, imo inter interrogatoria a Promotore Fiscali exarata illud desideratur, quod de re agat, quodque praeteriri nequibat. Docet enim Benedictus XIV, peculiarem indaginem iuxta Urbani VIII decreta fieri oportere « de fama in loco in quo Dei Servus mortuus est, vel in quo eius corpus requiescit »; additque ad hoc conferre « adducta in Interrogatoriis, in quibus statuitur testem interrogandum super accessu proprio et aliorum ad sepulcrum, et utrum concursus fuerit diminutus an auctus »; quocirca concludit: « Testari possum dum fungebar munere Fidei Promotoris non modicum illatum fuisse causae Beatificationis cuiusdam Servi Dei praeiudicium, eo quia non adfuerat, vel, si quidem adfuerat iam cessaverat concursus populi ad eius sepulcrum ». Asserta igitur Michaelae nostrae fama sanctitatis iis dotibus non pollere videtur, quae necessario requiruntur ut ea plene et concludenter probata dici valeat.

CAPUT III.

De Obstaculis.

Si universam vitae rationem Ancillae Dei paullisper inspiciamus, multa quidem offendimus, quae censoriam adnotationem efiugere nequeunt. Non loquar de eius adolescentia ; puellae enim nobili loco natae et patricio more enutritae facile ignoscendum est, si elegantes et séricas vestes induerit, amoenosque congressus celebraverit; at quod adhuc mundi oblectamentis toto animo indulgerei, quum iaam confirmata esset aetate, hoc a sanctitate longe distare videtur. « Già ammogliato mio fratello (ipsamet enarrat) mi portò con mia Cognata a Parigi ne'magazzeni, conversazioni e ad una vita interamente dissipata »: ibique « passai un anno che io oggi chiamo perduto, nel quale spesi in lusso, balli e distrazioni ». Matritum reversa, quum olim publica valetudinaria inviseret tot calamitatibus ad misericordiam commota, de miseris puellis inibi receptis cari-

tate fovendis et virtute honestandis cogitare coepit. Brevi earum septem collegit, quibus tum ipsa tum aliae sex foeminae nobilissimae alterna vice praeerant. Sed ex eius ore accipe, et considera quantum mundi blanditiis et sensuum illecebris Michaela nostra adhuc detineretur. « Io faceva una vita tanto originale, la mattina in opere di carità, il giorno dopo il pranzo a conviti, passeggiate a cavallo o in carrozza, la notte al teatro, o in conversazioni, balli, ai bagni, o in Francia, o in Spagna per il mio dolore di stomaco, che soffriva in modo penoso, e che a forza di oppio e calmanti mi si andava passando; tutto questo, e l'eccessivo lusso, e le spese della tavola, perchè io seguitava a tener gente a pranzo giornalmente, tutto questo, dico, ancorché io non facessi nulla di cattivo, in sè dispiaceva al Padre Carafa, ch'era il Confessore di mia Madre, e risolvette che facessi gli esercizi, minacciandomi per questo, ch'esso non sarebbe più tornato in mia casa, se non mutava quel genere di vita, lasciando di frequentare i teatri, balli ed altre distrazioni, nelle quali esso vedeva per me grandi pericoli ». Et merito quidem'; docet enim Augustinus : « Qui immoderato cultu corporis atque vestitu, ceterarum rerum nitore praefulget, facile convincitur rebus ipsis pomparum saeculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis ». (De Serm. Dam. in mort. lib. 2, cap. 12, tom. 4).

Ad saniora consilia converti visa est Dei Famula, non ita tamen, ut omnibus vitae illecebris illico terga verteret, eoque contenderet properato gressu, quo sese a Deo vocari persenserat. Secedentibus enim piis foeminis, quae nuper initam puellarum sodalitatem moderabantur, istarum numero aucto, quin Michaela communem cum iisdem vitam institueret, ut eas verbo et exemplo excoleret et ad virtutem alliceret, moniales guasdam e Gallia accersitas puellis praefecit. Interim Serva Dei paternam domum incolere perrexit; quid autem insequutum sit, ab altera ex eius sodalibus accipite. « Qualche tempo dopo, se ne avvede mia Madre Fondatrice, che le monache avevano insegnato alle Collegiali una specie di farsetta tra francesi e spagnole, la cui morale era che le seconde parteggiavano in favore di Madre Sacramento, e l'altre in pro delle Monache. Questo le causò disgusto, ma non disse niente. Da Madrid passò la Serva di Dio in Guadalajara per fare gli esercizi spirituali, e quando ritornò nella Capitale, si presentò nella

Casa in via di Don Pietro ; non le permisero però di entrare in essa. Uscì la Superiora alla porta e le disse che ella non avea più niente da fare lì, perchè avevano disposto prendere a sè il Collegio. Fu tanta la sorpresa e l'afflizione della Serva di Dio, che s'inginocchiò alla soglia del portone, dinanzi a un quadro con l'immagine della Vergine dei Derelitti, e promise che se la liberava da sì grande tribolazione, le avrebbe tenuta sempre una lampada accesa ». Annuit Deus Ancillae suae precibus, sed audite qua ratione. « Malgrado l'intimazione dell'autorità, ricusarono le Monache Francesi a lasciar la suddetta Casa, e in vista di ciò la sullodata autorità civile dispose che fossero messe in vetture, e che un picchetto di truppa le accompagnasse, per evitare qualche disordine ».

Sodalitatem tandem ingreditur Serva Dei, ut turbulentas puellas et iam ad seditionem paratas componeret, ibique stabile, demicilium constituit. At quis non videt aegre eam ac nonnisi ob impellentem necessitatem paternae domus commodis valedixisse? Iamvero «non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus » (II Corinth. IX, 7). Dices Michaelam nostram in saeculo piam iugiter exegisse vitam, et in multis sese exercuisse caritatis operibus. Haud inflcior, sed hoc difficultatem non solvit, quandoquidem semper verum manet, eam mundi vanitatibus nimio plus adhaesisse, ipsamque in divina exequenda vocatione haesitantem ac segnem fuisse. Neque censeas, pium sodalitium semel ingressam Dei Famulam praegressae vitae mores penitus detestutam esse, suumque ab iis animum custodivisse alienum; namque quum de religiosis suscipiendis vestibus cogitare coepit, non humiles induit pannos, sed, ut ipsa refert, « cominciai col mettermi una veste religiosa : io non mi era mai vestita con abito di lana, e mi era antipatico. Me lo misi di seta, un poco elegante, però risultò che ciò dava invidia alle collegiali. Già era da supporsi, quantunque non lo lasciai ». Ergo etiam cum puellarum scandalo séricas vestes retinuit. Neque satis; eadem enim narrare pergit: «Siccome era molto triste e sola, cercando mezzo per distrarmi, la sera suonava l'arpa, e si riuniva tanta gente ad udirmi che chiamava l'attenzione e mi applaudivano fin dalla strada, e dovetti tralasciarla. Il dipingere che tanto mi distraeva, e siccome era la occupazione di tutta la mia vita, mi costava un sacrifìcio, poiché non aveva una camera per porre

il mio cavalletto di pittura; confesso che è stato uno dei sacrifizi maggiori che ho dovuto fare e fra quelli che più mi sono costati ». Tarn ¡altas eius in corde radices egerat mundanae vitae cupido!

Ex hisce omnibus pronum est coniicere quanti deferendum sit censuris, quas de Ancilla Dei circumlatas fuisse testatur R. P. Ioannes Baptista Vinader. « Ho sentito criticare da varie persone alcune azioni della Madre Sacramento, fra le quali ricordo le seguenti: aveva essa la mano artisticamente ben fatta, e fu notato che quando parlava la teneva sempre esposta alla vista altrui; nei biglietti di visita teneva la corona rovesciata, e dicevasi che più umiltà sarebbe stata non apporvi questo ricordo secolaresco, ed anche più giusto, perchè dicevasi che non aveva pagato la tassa segnalata per siffatto titolo di nobiltà. Parlava molte volte della sua amica la Regina Donna Isabella, e questo era interpretato come vanità. Alcune volte andò a Monserrato a fare jgli esercizi spirituali, e per questo fatto era criticata, perchè più edificante (si diceva) sarebbe stato il farli, come le altre Religiose nella propria casa-convento. La vidi parlare con persone spagnuole in francese; e questo pure veniva criticato come se fosse vanità. Io stesso la sentii una volta scimieggiare i predicatori francesi, alzandosi e ponendosi una sedia dinanzi a modo di pulpito, lo che mi sembrò un atto di leggerezza ».

Accedit: nemo ignorat quam caute procedi oporteat, ne Deo auctori tribuantur, quae phantasiae lusui adscribenda sunt praesertim cum de monialibus agatur, de quibus tamquam foeminis a Benedicto XIV scriptum est: «Communia quoque sunt revelationibus cetera, quae dicta sunt, dum loqueremur de visionibus et apparitionibus: diligentissime videlicet examinandas esse eas, quas sibi factas foeminae asserunt, posita sexus debilitate, quae eas facit magis illusionibus obnoxias ». Et revera somnia sommasse Michaelam nostram censendum est, dum ea eveniebant quae enarrat soror a SSmo Corde Mariae. « In un giorno della festa che si celebrava, mi pare nell'anno mille ottocento cinquantanove, in onore di Sant'Ignazio, nella Chiesa del medesimo santo in Madrid, andammo Lei e io, nell'ore pomeridiane, ad assistere alla medesima, ma siccome arrivammo tardi, e il tempio era gremito di fedeli, non potemmo passare avanti e restammo vicino al cancello, dove rimanemmo fin-

che terminò la saddetta funzione ; e poiché eravamo le ultime non potevamo veder niente di ciò, che si faceva nel presbiterio. Rimanemmo nella Chiesa due ore circa, e nell'uscire dalla medesima, sul crepuscolo, dissi a mia Madre Sacramento che eravamo state molto bene; ma non ricordo se fu nello stesso giorno o più tardi, in cui mi riferì che due Angeli si erano presentati, e che ognuno di essi prese una di noi e ci portarono nel presbiterio, ove ci collocarono e ci diedero le torcie, affinchè facessimo la guardia al Santissimo Sacramento, e che finita la funzione, ci riportarono allo stesso modo nel nostro posto del cancello. Aggiunse che siccome stava vicina ai sacerdoti, che si trovavano nel presbiterio, li conobbe tutti, e anche uno dei Confessori della nostra Casa, or defunto che pure si trovava lì. Il dì seguente domandò a costui, per esserne più convinta, s'era vero che stavano nella suddetta Chiesa i Signori che nominò, e le rispose affermativamente. Dicevami Madre Sacramento, che quando gli 'angeli ci portavano, passando a mezz'aria sul popolo, pensava Lei, cosa direbbe la gente al vederci ». Nonne haec risum movent, ac inter añiles fabellas amandanda sunt?

Eodem in censu habenda esse puto, quae ab eadem Dei Famula aerumnis pressa referuntur. « Uno di questi giorni di amarezze, in cui mi pareva che non potessi io soffrire tante calunnie e lagnanze su me, stando in orazione alla Messa, mi disse il Signore: Mira, vedi? così ti porto io'; e mi vidi sulle spalle del Signore, e come un Agnelletto ponevo la mia bocca alla piaga del suo Costato. Non è possibile spiegare di più ». Quid plura? Laeta somniasse somnia aperte Serva Dei fatetur. «Aveva io molta pena di alcune leggiere mancanze, che aveva commesse, e siccome desiderava molto confessarmi, andai a letto facendo l'esame, e mi posi a sedere sul letto, perchè desiderava fare orazione. Mi addormentai e mi sognai che mi confessava il Signore, ed io non solo gli dissi quello che mi dava dispiacere, ma bensì le altre mancanze della mia vita e mi disse : Queste ti sono state perdonate, e ti darò la benedizione perle altre, che ti davano fastidio, che non mi hanno offeso ».

Ex Sanctorum historiis equidem novi Dei Servos a daemone infestari solere; at plura quae Michaelae nostrae acciderunt, non illius infestationi, sed potius istius praefervidae ima-

ginationi et hallucinationi adscribenda videntur. «Nella Cappella l'ho visto (ait Serva Dei) in varie forme per turbarmi l'orazione, ed una notte mi prese per un braccio e mi fece rotolare da un lato tutta la scalinata della Cappella colla testa a basso, ma nulla risentii, nè mi fece alcun danno. Stando in orazione lo vidi in forma di un cane nero, lungo e magro ; mi tirò i candelieri uno ad uno senza che nessuno mi cogliesse ; lo vidi girare e mettere fuori di ordine le sedie tutte, e saltare a modo di veltro sull'altare sopra a me senza toccarmi, perchè non lo temeva, e seguitava la mia orazione; lasciava la Cappella come un campo di battaglia; una Collegiale venne con me, e le si avventò contro saltando innanzi al mio libro e al lume; e fu tanto lo spavento, che stette molto malata per la paura, credette che fosse per lei, la qual cosa feci che non la propalasse... In Valenza dopo fondata la Casa, mi diede un pugno nella spalla, e caddi in ginocchio ringraziando Iddio che non mi avesse ammazzata, passò a cavallo sulla mia testa facendomi stroppiare naso e occhi. Soffrii molto, al terzo giorno era guarita, quantunque il segno durasse più di un mese, ed ancora si conosce. Nel paralume vidi un diavoletto molto piccolo per molto tempo, per non lasciarmi leggere il punto. Era nero : aveva occhi e corna, bocca e mani e alcune ali; tutto questo era di fuoco molto infiammato. E moltissime volte litigare con esso senza vederlo, e conoscere che era lui che mi faceva arrabbiare in mille modi e forme. Una volta mi pestò i piedi, altra notte entrò in un Confessionale, scese con un fracasso infernale, passò vicino a me e davanti ad una Maestra, a cui diede un gran spavento, e disparve nel mezzo della Cappella. Scendere per la scala della Cappella a carriera, e causando fracassi molte volte e tirare i Confessionali nei giorni di confessione, e darmi dispiaceri che sarei lunga nel riferirli. Io ne aveva gran paura, e tremava pel terrore. Pregai il Signore e finì ». Haec quae passim a testibus commemorantur, ac praesertim a Sorore Catharina a Christo « per relazione della Serva di Dio » commentatione non indigent.

Quibus compertis, liquido patet quam verissime dictum a Teste XVIII Matritensi: « Da molti fu ritenuta per visionaria », atque a Teste LV Valentino : « Nel seno di sua famiglia era tenuta la madre Sacramento come vittima di fanatismo religioso ». Non immerito igitur eius Confessarius R. P. Eugenius

Labarta de supernis donis, quibus ditata Dei Famula ferebatur, tam caute loquutus est: «Non mi azzardo ad assicurare che la protezione e i favori di Dio verso di lei si credessero straordinarii ».

Interea quum Michaela nostra a Deo ilustratam sese iactabat, contra obedientiam Confessario debitam et caritatem haud leviter ipsam peccasse acta docent. « Costei (ait Soror Catharina a Christo) non aveva il permesso dai suoi Confessori di fare uso particolare delle rivelazioni interne, con cui la favoriva Sua Divina Maestà »; nihilominus: « udii raccontare da mia madre (refert testis I Palentinus) che la prima volta, che la Serva di Dio venne in questa Città, l'accompagnò in una Chiesa di Religiose di clausura, allo scopo di communicarsi, e che dopo la Comunione, chiamata dalle Religiose alla inferriata del Coro, le salutò con queste parole: La pace sia in questa Casa, imperocché ben ne ha bisogno: quella Religiosa, che entra per la porta del Coro, è proprio quella che l'altera ». Obstupescenti testis matri ob tam ingratum salutationis genus, Dei Famula reposuit: «In nulla posso credere che lei vi abbia parte in ciò; imperocché nè da lei, nè da nessuno ho udito mai una sola parola sopra le cose di questo Convento ». Atque Testis III Zamorensis narrat: « Trovandosi la sunnomata Serva di Dio in compagnia delle Religiose di questo Convento nel parlatorio disse a Suor Giuseppa Alfageme: Sia lei più sincera col Confessore; cosa che la medesima Religiosa assicurò che era certo ». Monitum adeo grave sanctimoniae' palam praeditum, dum Dei Famulam imprudentiae maximae ac temeritatis nota coarguit, idem in ipsam loquentem retorqueri iure potuisset. Edocet enim Testis I Ovetensis. « Mi raccontò... che quando andava al Confessionale dell'Eccellentissimo Signore Claret, si capivano l'uno e l'altra senza parlarsi; e domandandole io come poteva esser ciò mi rispondeva : Come quando ti affacci al balcone, se vedi passare un carro od un legno, vedi chiaramente ch'è l'uno e l'altro: se vedi una donna colla cesta in capo, il vedi, bene e ti dai conto di ciò; se vedi un uomo a cavallo, ti accade lo stesso, ed in fine ti dai conto di tutto senza che loro ti parlino, nè tu parli a loro; cosi nel caso presente». Non igitur, iuxta perpetuam Ecclesiae disciplinam sacrorumque canonum constitutiones, sacramentalem homologesim Dei Famula peragebat, sed mentalem confessionem et mentalem

absolutionem sufficere putabat. Satis et ego superque haec esse reor, ut huius mulieris ingenium quisque habeat undequaque perspectum, atque intima causae merita perpendere valeat.

RESPONSIO

AD

ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Eme ac Rme Domine

Ubi primum a vigilantissimo Postulatore huius Causae concreditum patrocinium suscepi, consideranti mihi saepe numero qua sanctitatis fama Maria Michaela a SSmo Sacramento longe lateque floreret, iam exinde prosperum rerum exitum 'sperare licebat. Nunc vero in eadem sententia me Censor benigne confirmat et recreat, qui iam e primoribus suae orationis exordiis, laudibus, quibus testes Dei Famulae sanctitatem celebrant, assentiri quodammodo visus est. Laudant enim ipsam non vulgariter, sed ita prorsus ut neque maiori studio quempiam, neque praestantiori comparatione commendare possint. Porro alteri eam vocant « una seconda Santa Teresa di Gesù»: alteri « la Santa Teresa del Secolo XIX » : tum denique « una donna provvidenziale inviata da Dio per salvare tante anime, che piangono immerse nel peccato ». Huiusmodi dicta non modo Censor referre gaudet, sed etiam tantum iis tribuit ut Dei Famulam ideo beatarum virginum honoribus haud indignam reputare videatur. Quapropter cum iudicium, de quo agitur, in fama sanctitatis probanda totum consistat, quanta exinde spes affulgeat nemo unus est qui non novit. Dum igitur grati animi nostri sensus Fidei Vindici amplissimo omnino probamus^ alacriori studio animadversiones, quas Vir egregius pro munere suo tuendo opposuit, refutare aggredimur.

De Probationibus.

Non una sed novem inquisitiones in hac causa institutae fuerunt: scilicet Caesaraugustana, Matritensis, Ovetensis, Zamorensis, Santanderiensis, Barcinonensis, Burgensis et Palentina. Quae omnes, cum Rogatoriales sint, Valentinae inquisitioni, uti omnium capiti ac principi, adhaerescunt. Ad actorum formam perpendendam Censor digrediens, diligentiam ac sedulitatem laudat, qua Valentini Iudices usi sunt ut iuris solemnia servarentur. Cum Valentina inquisitio maioris ponderis et auctoritatis sit, censorias laudes maximo lucro adponimus neque paucis mendis movemur, quas in exiguis Caesaraugustanae inquisitionis tabulis Censor deprehendit, Etenim ubi plura nitent, cur paucis offendar maculis? Mendae ipsae vero haud eiusmodi sunt quae prosperum causae exitum intercipiant.

Ante omnia illud tenendum est in hac iudicii sede de inquisitionibus ex ordinaria auctoritate institutis agi, quae iuris communis praescriptis omnino reguntur. Ad eas vero indulgentissima Benedicti XIV sententia pertinet, nempe « validos futuros esse processus Ordinariorum, etiam super sanctitate vitae et fama Virtutum et Miraculorum, quamvis non fuerint observata ea, quae ultra ius commune mandata fuerunt in epistola circulari aut in decretis Innocentianis in ea etiam parte, in qua loquuntur de processibus qui fiunt ab Ordinariis ». — Porro quaenam sunt, quae Censor in Caesaraugustana inquisitione deprehendit? testes non omnibus interrogatoriis fuisse rogatos: Iudicum epistolas deesse; deesse et portitoris iuramentum et inquisitionis clausurae instrumentum. Verum non modo nulla mentio de his formulis observandis et in Urbaniana epistola circulari et in Decretis Innocentianis reperitur, sed, etiamsi mentio contineretur nec tamen formulae observatae fuissent, haud ideo « processus nullitatis vitio laboraret: tum quia in praedicta epistola circulari nihil aliud contineri videtur quam simplex directio seu methodus pro confectione praedictorum processuum; tum quia memorata epistola circularis caret decreto id, quod secus fiat, irritum faciente: in quo rerum themate sibi vindicat potiori iure locum conclusio de lege simpliciter prohibente, quae non proinde actum inflat et nullum reddit, qui fit adversus eam, nisi eadem sit decreto irritante munita, vel alia clausula, quae decreto irritanti aequivaleat ». Haec Bened. XIV

sententia est, qui Suarez omnino insistit vestigiis: «Dico, ex sola rei natura, legem pure prohibentem non irritare actum, nisi alio modo talis effectus seu intentio Legislatoris sufficienter declaretur». Quapropter (Benedictus XIV. prosequitur) « S. R. Congregatio, cum, occasione disputationis de validitate alicuius processus auctoritate ordinaria confecti, oppositum fuisset a Fidei Promotore non esse factum ad normam epistolae circularis... numquam voluit devenire ad declarationem nullitatis processus ».

Hisce igitur positis, si nonnulla interrogatoria in inquisitione Rogatoriali ordinaria omissa sunt, inquisitio ipsa irrita non est. Nam Pignatellus sentit: «ex omissione Interrogatoriorum non infertur ad invaliditatem processus, imo nec ad nullitatem examinis, Alex. cons. 172 n. 9, lib. 2; Greg. XV Dec. 331, n. 17, ibique Abb. n. 22 et decis. 351, n. 46; Rot. decis. 663 n. 12 p. 4 Dec. ».

Si portitor non iuravit, nullum detrimentum exinde derivatur. Porro ipse Pignatellus propositam quaestionem « an Portitor Processus teneatur iurare quod fideliter illum deferat », sic solvit : Respondeo : « Remissoria non exigit iuramentum, sed fidelitatem». Haec ad inquisitionem apostolicam pertinent : quid si de ordinaria agatur? Fidelitas in ponitore requiritur? haud in Portitore Caesaraugustano desiderabatur. Franciscus Genoves-Bourgnét huic muneri obeundo designatus fuerat eumque tum Iudices, tum Notarius « fidelem portitorem » appellant. Quum Portitor illae Caesaraugustanae inquisitionis involucrum Valentino Tribunali exhibuit, « Rmi Iudices (delegatus et Adiuncti), instante Promotore Fiscali, adamussim examinarunt exterius plicuni exhibitum una cum superscriptione et sigillo et cum illum sine fractura et hunc authenticum invenissent, Postulatorem illico interrogaverunt : qui quidem, tactis Sanctis Evangeliis, iureiurando affirmavit se minus reserasse praefatum involucrum, sed illud exhibere quemadmodum acceperat ». Quid amplius? Benedictus XIV refert: «aliquando etiam admissus est processus, qui traditus fuit clausus et obsignatus, quamvis non traditus a Portitore per Iudices electo: et ita se res habuit in causa Indiarum seu Goana Servorum Dei Rodulphi Aquavivaé et Sociorum 2 Aprilis 1718, dum fungebar munere Fidei Promotoris ».

(sequitur)

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BURDIGALEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

20 Decembris 1902.

Sess. 24. c. 1. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Mauritius exercens commercium cum patre in urbe Burdigalensi, ob commercii causam adire solebat domum Georgii eiusdem civitatis qui pariter commercio erat addictus. Atque tunc accidit quod adamare coeperit Iosephinam, pulcherrimam Georgii filiam, ipsamque statuerit quam citius in uxorem ducere. « M.lle Josephine, ipse inquit, avait un physique séduisant ; je crus par ce mariage assurer mon bonheur, ainsi qu'un avenir avantageux; je me décidai donc ».

Itaque die 12 Ianuarii 1886, praevio coniugio, quod dicunt *civile,* Mauritius et Iosephina cum essent 21 annorum, iuxta Conc. Trid. contraxerunt matrimonium in ecclesia Notre Dame Burdigalensis civitatis.

At exitu infelicissimo.

Si dictis Mauritii fidem demus, iam ante nuptias Iosephina eum nullo prosequebatur amore, tristitiae signa coram ipso praeferens, imo contemptum et probra in ipsum cumulans. Causa erat, uti asseritur, quia Iosephina ob imperiosam parentum voluntatem eidem nupserat, cum erga alium ardentissimum foveret affectum. « J'ai cédé aux obsessions de mon père, et de ma mère, (dicebat Iosephina Mauritio, uti ipse refert) mais, sachez-le, mon cœur est a. Paris. J'aime Mr. Ostermayer (causidicum)... et mon cœur lui est fidèle ».

Quod si postea, instante viro, matrimonium consummaverit, ideo consummavit ut libidini non officio satisfacere

videretur. « Le mariage, item refert Mauritius, a été consommé douze jours environ après la célébration du mariage (douze jours de résistence de la part de l'épouse), et après la consommation du mariage elle me dit : vous m'avez eu par la chair, mais vous ne m'aurez pas par le coeur. J'aime toujours Mr. Ostermayer... »

Quum Niciae commoraretur virum tota die deseruit, « et ne voulut jamais, narrat Mauritius, me dire ce qu'elle avait fait toute la journée »; nec erubuit mulieres illas se dicere fortunatiores, quae corpus prostituunt. — Itinere autem nuptiarum expleto, nil liquit intentatum ut a viro pecuniam, quam pater inhiabat, extorqueret. At' frustra. Tunc Mauritius cognovit quod pater ipsam ad matrimonium coegit spe reparandi angustias suae rei familiaris. Hinc graviores inter coniuges exortae controversiae, et Iosephina, uti vir asserit, non erubuit eidem suas praeteritas culpas patefecere, ter ab ipso discessit, ac tandem post quatuor menses in insula Oazeaux ad parentes aufugit ; atque anno 1887 quod erat in votis, divortium obtinuit.

Tribus annis a divortii sententia elapsis, Mauritius Archiepiscopum Burdigalensem adiit, simul petens ut nullum, quippe ex parte sponsae coactum, coniugium declararet.

Instaurato processu, Archiepiscopus Burdigalensis ad Curiam Archiepiscopalem civitatis Buenos Ayres, ubi sponsa cum patre, qui bonis cesserat, transmigraverat, litteras dedit, ut ipsa a iudice delegato circa suum matrimonium interrogantur. At Curia Buenos Ayres domicilium mulieris ignorabat, eamque proinde inutiliter citavit. Tunc Iudex Burdigalensis et defensor vinculi domum matris petierunt, promissione habita quod filia, cum rediret, Curiam esset accessura. Sed cum hac quoque vice mulier non paruerit, ex huius S. C. mandato Curia Burdigalensis, citationis edictalis praetermissis solemnitatibus, peremptoriam citationem misit ad Familiae Iosephinae domicilium, vocans Iosephinam et suos parentes, qui die assignata non comparentes iam declarabatur contumaces.

Refert Mauritius quod Eugenius filiam sistere vetuerat, nisi prius ipse Mauritius ingentem pecuniae summam numeraret. Ex quo factum est, ut, cessante Iosephina, Curia Burdigalensis validitatem coniugii declaraverit.

Ad V. O. Mauritius extemplo appellavit : et appellatione pendente, Iosephina in Galliam cum redierit congrue rursus invitata fuit ut iudicio sisteret ; sed perfracte iterum recusavit. V. O. iudicium Curiae Burdigalensis ratum habuit, ac die 22 Iunii 1895 rescripsit: *sententiam esse confirmandam.*

Huiusmodi responsum Mauritio arridere non potuit ; hinc novae auditionis beneficium de more imploravit, quod ei concessum fuit.

Hinc S. C. C. mandavit Archiepiscopo ut novus instauraretur processus, et, Iosepha evocata, ipsa ad iuris normam interrogaretur.

Tunc res insperata contigit. Nam Iosephina, quae post divortium, militiae ducem turpi exardens igne in contubernium assumpserat, ubi primum edictum perlegerat, suadente ipso amasio, Archiepiscopo Burdigalensi scripsit ac nunciavit se mox e Russia, ubi vivebat, in Galliam iter facturam. Et cum die dicta stetisset, iurata affirmavit se coacte et flete ad thalamum ivisse.

Haec responsa Romam misit Archiepiscopus, et causa iterum discussa sub die 7 Aprilis 1900 sub dubitandi formula : « An sit standum vel recedendum a decisis » responsum, prodiit : « Ex deductis non constare de nullitate matrimonii et standum in decisis ». Cumque rursum quaestio proponeretur in plenariis comitiis diei 27 Aprilis praeteriti anni sub rogandi formula « An sit standum vel recedendum a decisis in casu: » Vos respondere censuistis: *In decisis.*

Tandem cum vir, nova allegans, novae audientiae beneficium rursum obtinuerit, haec causa in hodiernis comitiis redit discutienda.

Oratoris patronus prae primis in memoriam revocat argumenta, quibus in praecedentibus causae propositionibus

thesim nullitatis matrimonii fulciebat : mox difficultates perpendens, quae S. O., suo iudicio, ne nullitatem declararet, dehortatae sunt, animadvertit has post novissimam processus instructionem omnino evanuisse, ita ut hodie matrimonii nullitas in dubium revocari, iuxta ipsum, non possit.

Matrimonii nullitas, inquit, sustinebatur ex eo quod Iosephina non sponte matrimonio consensit. Minis eam pater et vexationibus ad contrahendum coegit ita ut actus, qui ex natura sua esse debet prorsus liber, libertate careret. Quod et Iosephinae responsionibus iudici rite datis et plurium testium depositionibus probatur. Haec Iosephina sub iurisiurandi fide retulit: « Mon père m'a présenté Mr. Maurice... Mon cœur était complètement ailleurs, et j'ai repoussé les premières démarches... Il était très important pour les intérêts de mon père d'avoir l'appui de Mr. Maurice et de son fils... Mon père voulait absolument mon consentement. Il agissait sur moi par intimidation. Il m'a dit souvent : Si tu ne consens pas à ce mariage, je me suiciderai ; je prendrai du laudanum, tu me feras mourir de chagrin. Il prenait souvent un revolver comme s'il voulait le tourner contre lui même. Mes parents m'ont enfermée dans une chambre dans la crainte de ma fuite.... J'ai donné le consentement par crainte de scandale, et sous la pression de mon père ». - Haec, urget orator, testes una voce confirmant, et plures ex scientia propria. Berta quae Dno Iosephinae patri famulabatur haec protulit : « Quand Mr. Maurice se présentait, le père de Josephine le recevait très bien, mais il était obligé de pousser sa fille, de la forcer même pour la faire entrer dans le salon.... J'ai entendu Mr. le père dire à sa fille : Il faut que tu te maries avec Mr. Maurice. Il a de l'argent, toi seule peux sauver notre situation. - La fille déclarait qu'elle ne voulait pas de ce mariage. Un jour le père dit à sa fille montrant un poignard: Tu vois ce poignard qui est bien affilé; si tu refuses ce mariage, je suis capable de m'en servir. - Une autre fois, en montrant à sa fille un flacon de laudanum,

Mr. le père dit : Si tu refuses ce mariage je suis capable de boire le contenu de ce flacon... Les parents la tenaient de très près, l'enfermaient même, craignant qu'elle n'échappât... ». Et eadem vidit et audivit Ioanna quae et ipsa Domini patris servitio addicta erat : « Après la demande de Mr. Maurice des scènes violentes avaient lieu journellement entre les parents et leur fille... Mr. le père disait à sa fille: Il faut que tu te maries avec Maurice; c'est nécessaire; sans cela je ferai un malheur: je me tuerai... Mr. le père menaçait de se tuer, si sa fille n'épousait pas Maurice, je l'ai vu prenant sa fille avec brutalité et la secouant en disant: il le faut. Et cela je l'ai entendu souvent. . . . Ils •enfermaient leur fille, de crainte qu'elle ne s'échappât et qu'elle n'allât trouver celui qu'elle aimait (Mr. Ostermayer). Elle m'a dit souvent qu'elle ne voulait pas d'autre mari ». Concinit Ioanna Martin quae haec protulit: « La fille était forcée d'accepter Mr. Maurice, le père menaçait sa fille de se tuer si elle refusait ce mariage... Ces menaces je les ai entendu souvent.., J'ai vu plusieurs fois Mr. le père ouvrant une fenêtre, et je l'ai entendu menaçant sa fille de se précipiter par la fenêtre si elle ne consentait pas au mariage avec Mr. Maurice: - Ex hisce omnibus, ait advocatus, iam patet probationem directam defectus consensus etiam ante quam novus conficeretur processus plenam fuisse testium numero et gravitate.

Nec adminicula deficiebant quae probationem directam convalidarent, prosequitur advocatus. Enimvero, cum sit timor natura sua subiectivus, omnes admittunt iudicem, ut super defectu consensus sententiam ferat, diligentissime examen instituere debere circa animi qualitates personarum in causa versantium. Ex quo fit ut, ex una parte minis probatis ad nullitatem matrimonii pronunciandam probatio adminicularis sit absoluta dependentia patientis ab eo qui minas intulit. Ex altera vero huius indoles est aliud iudicii fundamentum : pro nullitate si sit violens natura, pro validitate si mitis illius animus demonstretur.

In casu, iuxta advocatum, ambo illa adminicula evidenter concurrunt. Omnes enim testes. affirmarunt Iosephinam sub patris iugo ita fuisse constitutam ut ab eo omnino dependeret; patrem vero omnes brutalem, fere delirantem, a scandalo vel delicto non abhorrentem, conscientiae rationisque voci aures non praebentem depinxerunt. Quoad indolem Iosephinae haec testes deponunt: « Son père, ait Ioanna G., la dominait toujours par la crainte ». « L'influence du père et de la mère sur leur fille était, ait A. Fonade, énorme et l'est encore ». Et P. Nazereau testatur: « Sous les apparences d'un caractère entier, Mlle. Josephine cédait facilement aux volontés de sa famille et notamment de son père... qui avait sur sa fille une très grande influence et même un'influence absolue ». Et quoad patris indolem refert B. : « Son caractère était très emporté et très violent ». Et Ioanna: « Le caractère de Mr. le père était violent et brutal ». Et Nazereau affirmat: « Mr. le père était d'un caractère violent, absolu, ne reculant devant aucun moyen pour arriver à ses fins ». « Il était, ait L. Maurice brutal, sans foi ni loi, ne reculant devant rien pour faire réussir une affaire d'argent. Il était tellement brutal qu'il se battait quelquefois avec ses ouvriers ». Quae quidem plene concinunt illis quae retulit Iosephina in suo interrogatorio. « Mes parents exerçaient sur moi un empire absolu ».

Quibus omnibus, prosequitur advocatus, additur evidentia causae cuius intuitu pater Iosephinam ad nubendum Domino Mauritio compellebat. A. testatur « que les père et sa famille n'avaient aucun crédit à Bordeaux ; leurs affaires étaient menacées, comme la suite l'a montré... On voulait jouer du gendre : lui endosser toutes les affaires, et par lui relever le crédit de la maison ». Et advocatus scribit : « Mr. le père se présente (mense Septembris illius anni quo nuptiae celebratae sunt) avec un détournement de fonds sociaux de deux cent cinquante mille francs ; avec une destitution de gérance, la nomination motivée d'un admini-

strateur judiciaire, ei enfin avec les dettes de Montmorency : un million cent mille francs. Ce joli cortège est établi par des documents judiciaires____la faillite viendra le couronner ». Quod cum ita sit, facile intelligitur cur Eugenius Iosephinam coegerit : et testium et losephinae testimonia corroborantur.

His accedebant, iuxta advocatum, utpote tertium adminiculum rerum adiuncta quae matrimonio praecesserunt, vel ipsum comitata aut subsecuta sunt. Raro accidit ut mulieris dolor ad nuptias coactae non appareat : rarius, ut affectuum pugna non emicet, quum in actu coniugii, ore consentiente, dissentit animus : perraro ut post matrimonium non sponte contractum mulier non abhorreat a viri ampiexibus, et vel se fugae non committat, vel quotidianis querimoniis pacem domesticam non discutiat. At haec omnia quae sive ante matrimonium, sive in ipso actu matrimonii, sive post, coactum consensum indicant in casu, ait advocatus, concurrunt ; quod patebat etiam in praecedentibus huius causae propositionibus tali perspicuitate, ut ex se, vel aliis missis argumentis, probationis directae sibi auctoritatem vindicaret.

Disceptatio synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Et incipiens a praecedentibus advocatus illud memorat quod Iosephina Mauritio desponsata, huius adspectum et munuscula fastidiebat, quin imo incessantibus querelis dolebat se a patre invitam ad thalamum trahi. — « Quand Mr. Maurice se présentait, ait Berta, Mr. le père... était obligé de pousser sa fille, de la forcer même pour la faire entrer au salon.... Dans une circonstance Mr. Maurice envoya un magnifique bouquet. J'allai le prendre dans les mains de la fleuriste. Je le portai à Mlle. Josephine qui était au point d'entrer au salon. Elle voulait, cracher sur le bouquet ; mais comme je détournai moi-même le bouquet, le crachat me tomba sur la manche ». « Elle disait : mes parents veulent me marier, mais je ne veux

pas ce mariage: ils veulent me marier dans leur intérêt ». Et M. testatur : « L'attitude de Mlle. Josephine vis-à-vis de son fiancé était pleine de mauvaise humeur. Ses attentions avaient l'air de l'impatienter ». Concinunt G. Anglade, C. Suberville, et A. Tabuteau. — Metum et violentiam potissime argui ex nimia aversione et repugnantia ante matrimonium dixit Rota in una Romana *Nullitatis matrim.* coram Bevilacqua 24 maii 1655 *(p. XII, dec. 27; § 17).* Ergo, infert advocatus, hic metus ex praecedentibus demonstratur.

Gradum faciens orator ad concomitantia, recolit quod, die nuptiarum adveniente, Josephinae moestitia crescebat, et denique die nuptiarum manu infirma actum signavit : « Au contrat devant le notaire, inquit O. Mqntalier, elle fut absolument glaciale. Elle avait dû pleurer, car elle avait les yeux très rouges. Quand son fiancé lui présenta un bouquet elle ne le remercia pas et dit dédaigneusement de mettre ce bouquet dans un coin ». « Au mariage civil, testatur A. Faidit, elle était maussade, et quand l'officier de l'état civil lui a présenté la plume pour signer, elle a été très lente à se décider ». Et M. Roche: « Elle s'est essuyé les yeux comme si elle pleurait ». Et B. Lacoste: « Au moment où elle se parait pour le mariage j'ai entendu qu'elle disait : quel malheur ! quel malheur ! ». Concinunt P. Suberville, F. Roche, O. Montalier aliique. — Scriptum est : « metus praesumitur illatus ei qui in contractu matrimonii^lacrymatur » (Menochius, De praes. 1. III, praes. IV, § 15 ; v. et Mascardum, De Prob, conci. 1055, § 47, et Rotam, in dec. superius citata § 19). Ergo iterum, clamat advocatus, ex concomitan tibus metus confirmatio habetur.

Deinde advocatus venit ad illa quae matrimonium subsecuta sunt et ex his vel clarius thesis probationem scatere affirmat. Enimvero vix nupta Iosephina repulit virum et verbis amore expromptis respondit verbis ex odio erumpentibus. Et ter domo effugit brevi quatuor mensium spa-

tio; tertia vice vero non amplius reversura: « Les époux, testatur M. Roche, sont venus chez moi un mois environ après le mariage. Elle (Iosephina) répondait très mal à mon frère (Mauritio) et répoussait ses attentions ». Et Montalier affirmat : « J'ai été témoin à Salignac d'un refus brutal de Mlle. Josephine aux avances gracieuses de son mari ». « J'ai lu, ait Mauritius (dans sons carnet où elle consignait ses impressions) ces paroles : oh que je suis malheureuse! mes parents m'ont obligé à épouser un homme que je n'aimais pas ; mon coeur sera toujours à celui que j'aime. J'étais si heureuse quand je me promenais sous les grands marroniers ! ». « Je lui disais, deponit ch. Tabuteau, vous allez bientôt devenir mère de famille. Elle me répondit : si je savais être enceinte des œuvres de mon mari, je me ferais avorter tout de suite ». Et B. Lacoste affirmat: « Le soir quand M. Maurice voulait entrer dans la chambre de sa femme celle-ci criait: A l'assassin! ». Concinunt U. Dulac, G. Girand et L. Faydit. Quibus orator addit: « Ce mariage a été consommé douze jours environ après la célébration du mariage, douze jours de résistance de la part de l'épouse: et après la consommation du mariage elle me dit : vous m'avez eu par la chair, mais vous ne m'aurez pas par le coeur^: J'aime toujours M. Oestermayer ». Scriptum est, urget orator, « apertum signum argui dicitur quod puella contra eius voluntatem fuerit desponsata ex lamentationibus, protestationibus, lacrymis et suspiriis post matrimonium... a puella saepius repetitis; quae idcirco ac si esset innupta, renuit cum viro cubare » (Rota, ibid. n. 19-21); et « metus praesumitur quando post actum gestum sequatur fuga ex parte ipsius agentis » (Mascardus, De Prob, conci. 1055, n. 46). Ergo concludit, matrimonii nullitas tertio ex subsequentibus coniectatur.

Talibus indiciis gravissimis adiungebatur factum cuius inoppugnabilis, iuxta advocatum, est valor pro thesi nullitatis. Iosephina nempe tempore non suspecto de coniugio rite solvendo cogitavit ex capite metus. Hoc nos docent

parochus et monialis quibus hoc propositum patefecit Iosephina, quorumque consilio usa est. « Mlle. Josephine m'a dit, ait Soror Ephrem a Bono Pastore, qu'elle voulait faire annuler son mariage par l'Eglise, parce qu'elle avait été forcée par ses parents de se marier avec M. Maurice. Je la conseillai de s'adresser à Mr. le Curé de Bruges ; ce qu'elle fit ». Et Parochus loci Bruges testatur: « Mme Fay... née Vernaud... est venu me voir avec la Supérieure de S. Germain. Elle m'a fait connaître l'intention où elle était de demander à l'autorité religieuse d'annuler son mariage. J'ai répondu : l'Eglise n'annulle pas le mariage, mais elle peut en déclarer la nullité, si cette nullité existe par le fait de la violence et du défaut de liberté dans le consentement. Mme. Maurice ne m'a rien répondu; mais elle m'a demandé pour son avocat un traité du mariage. Je lui ai prêté le traité de Carrier, en indiquant la page *de vi et meta* ». Adiuncta, in quibus versabatur tunc Iosephina, omnino suspicionem auferunt, pergit orator, fraudis vel mendacii. Et revera inquit, longissimum iter arreptura, his diebus Iosephina, sua peccata confessa fuerat et singulari pietate Eucharistia se recreaverat, uti narrant tum Parochus tum monialis in sua iurata depositione.

Quod si exquiratur, cur causa amplius instituta a Iosepha non fuerit, sed contra a viro, Iosephina vadimonium deserente, ratio est, respondit advocatus, quia parentes noluere. Idque epistola a Iosephina scripta commonefacit. « Je ne puis faire le voyage de Bordeaux sans me fâcher irrémédiablement avec ma famille » et eadem Iosephina, iureiurando confirmavit, quum postea, parentibus insciis, viri hortatu, cui civili vinculo iungitur, vadimonium obivit. « Je n'ai pas voulu comparaître plus tôt, parce que j'étais toujours dominée par la crainte de mes parents : actuellement ils ignorent ma démarche ». — Quapropter ex itinere reversa, quae Parocho et moniali narraverat, in intimo colloquio amico Larronde confirmavit, uti probatur ex ipsius Larronde iurata depositione.

Hoc modo demonstrata matrimonii nullitate, prosequitur advocatus, in aliis propositionibus causae sermo instituebatur de quibusdam Iosephinae verbis a testibus relatis, ex quibus apparuisset fíete potius, quam coacte Iosephinam coniugio consensisse. « Quand elle est descendue de voiture devant l'Eglise de Notre Dame, deponit B. Lacoste, je lui ai dit: Vous êtes bien contente d'être Mme. Maurice? — Dans trois mois je ne le serai plus; taisez vous ». — Quae quidem optime conci) ian tur iuxta patronum, cum defectu consensus, quia qui ad aliquid agendum adstringitur, vi cessante, cogitat ex ipsius naturae reactione de libertate per fugam recuperanda.

Ceterum etsi ex se ad examen revocarentur talia verba, iuxta advocatum, novum caput nullitatis praeberent, consensum videlicet praestitum sine intentione sese in perpetuum obligandi. Quo artifìcio Iosephina usa fuisset, ut vi se subtrahere!, qua ad thalamum adigebatur.

Sed in tali conditione contractum matrimonium omnium consensu nullum putatur ea de causa quod consensus sine animo coniunctionis perpetuae, verus consensus non est. « Contrahens debet saltem implicite intendere bonum sacramenti : quod evenit, quando non habet intentionem contrariam... quare si haberet animum, etiam corde retentum, adversum bono sacramenti, quia scilicet intenderet non contrahere matrimonium nisi ad tempus, non esset verum matrimonium ». (Sánchez De Sacr. Matr. 1. II, disp. 29 n. 11).

Ita expositis quae in praecedentibus causae disceptationibus adducebantur, advocatus gradum facit ad solvendas difficultates quae impedierunt quominus matrimonii nullitas declararetur. Et in primis adnotat orator nullum argumentum desumi posse pro validitate matrimonii in casu, ex sententia Iudicis Burdigalen. ; hic enim postea audita uxore et testibus in secunda inquisitione a Mauritio productis, coniugium irritum existimavit : « Après avoir entendu l'épouse, qui dans le principe avait refusé de se présenter devant le

Tribunal : après avoir entendu les témoins nouveaux et les témoins anciens ceux-ci beaucoup plus explicites que dans leur première déposition, j'ai acquis la certitude morale que l'épouse dominée par son père n'avait pas eu la liberté requise par l'Eglise pour donner au mariage un consentement valable ».

Forsan, ait advocatus, tribus ex capitibus responsum prodiit, non hactenus constare de nullitate : ex Iosephinae nempe natura, quam aliqui testes independentem et oppositionum indocilem asserebant ; ex illiusmet morum facilitate quae videbatur aliquid fidei suis verbis detrahere ; ex existentia denique quorumdam indiciorum, quae videbantur libertatem consensus in Iosepha exhibere, et huius in primis quod post fugam illa ad virum redire desiderabat, quum a parentibus sub custodia retineretur. — Haec, ait advocatus in prioribus propositionibus iam, sed forsan non satis, iudicio Vestro, confutata fuerant. Quoad primum dictum fuerat quod natura Iosephinae licet independens, fortiori et violentiori patris naturae cedere debuerat. Quoad alterum in medium allata fuerant quae ipse iudex, qui Iosephinae responsiones acceperat, de huic fide habenda protulerat. Quoad tertium ea indicia explanata fuerant et thesi de nullitate conciliata ; animadvertendo quod Iosephina, post fugam, Mauritii consuetudinem quodammodo appetebat, quia a parentibus acerrime divexata, et velut in arcto carcere detenta, praeferebat minus malum maiori : « Etant séquestrée, ait Iosephina, je voulais conquerir ma liberté ». Et F. Petignot testatur: «Elle nous a dit que, fatiguée d'être sans liberté, elle préférait revenir avec son mari ». Sed si haec Vobis videbantur tantae rei non sufficere, nunc iuxta advocatum, matrimonii nullitas post novam processus instructionem, non potest in dubium revocari.

Et primum de Iosephinae subiectione patris voluntati. Opifices et alii, qui administrationi operum a Iosephae patre susceptorum addicti erant, hunc una voce proclamant in omnes violentissimum, ita ut et fortes ferrerei et sibi

parere coarctaret: « Mr. V., ait A. Terral, avait un caractère très violent. Il [faisait trembler tous ses ouvriers ; il les menaçait de mort. ». Et P. Plisson ait: « le père de Josephine avait un caractère violent, emporté, autoritaire de l'opinion de tout le monde. Il avait des revolvers sous les mains, et on craignait de l'aborder dans ces moments de colère ».

Nec satis : illum testantur ita in ira ferocem, ut a delicto se non abstineret quod ad finem sibi propositum consequendum necessarium putaret. Et nos docent de insidiis ab illo compositis in Mauritii vitam, qui artifìcio in insulam Cazeaux invitatus fuerat : quae insidiae vero in irritum cesserunt. M. Maurice hoc testatur.

Quid mirum, clamat advocatus, si talis pater filiam invitarci, etsi indocilem, ad nuptias adstrinxerit? Quod facilius intelligitur si ea quae de Iosephinae indole testes narrant, qui hanc probe noverant, attendantur: « Elle craignait beaucoup son père, ait Bechaud, son père la dominait ; c'était l'opinion des serviteurs et servantes de la maison ». Concinunt A. Plisson, A. Terrai aliique. Et advertatur, prosequitur advocatus, hos testes scientia propria haec referre ; aliquot talia deposuisse tempore non suspecto dum a iudice laico inquirebatur in processu criminali; coeteros vero vel a Curia vel a Parocho fide dignos proclamari. Et quod maius est, urget orator, haec confirmantur quibusdam Iosephae epistolis, unde eruitur quantum terroris pater illi incuteret : « Mon père, scribebat Iosephina Mauritio sub die 2 Aug. an. 1886, est très irrité et me fait peur; après avoir réfléchi je voudrais essayer de m'échapper de sa maison ». Et in epistola ad matrem missa die 13 Aug. 1886 scribebat: « Je te prie ma chère mère... toi tu es là pour tout concilier, apaiser mon père ». Hinc concludit advocatus, prima obiectio hodie plenissime refutatur.

Nec fides, urget orator, deneganda est Iosephinae. Etenim in casu talis est in promptu probatio, qua vehemen-

tior numquam vel perraro contigit. Nempe epistolae a Iosepha exaratae post desertionem tecti maritalis, dum vir illius odium vincere conabatur. Ex hisce exulat, ait orator, timor mendacii, quia tunc mendacii causa aberat; ab his exulat timor fraudis, quia per multos annos in tabulario iudicis criminalis iacuerunt, cum nemo de illarum existentia cogitasset in causae huius praecedentibus disceptationibus; dum, ad instantiam patroni in criminali tabulario investigatio facta fuit, ubi epistolae felici fato inventae sunt.

In his epistolis Iosepha non alia scribit quam quae iudici tradidit: « Inutile de continuer vos démarches. Je ne veux, et ne suis et n'ai jamais été votre femme. Tout est bien fini... Vous savez tout cela; vous perdez votre temps à insister » (die 7 Iulii 1886). Je n'ai pas changé de sentiments à votre égard, et je ne consens pas plus que par le passé à être votre femme ; cependant aux yeux du monde je suis votre femme » (die 2 augusti 1886). « Je ne puis ni ne veux revenir. Je suis à l'île Cazeaux. Je ne vous reverrai jamais plus. Sourtout ne vous exposer pas à un malheur en essayant de nouvelles démarches. Je vous avoue que ma décision est définitivement prise. Le monde dira ce qu'il voudra ; mais je ne puis jouer la comédie et faire semblant d'être votre femme et de vous aimer. C'est par là que j'aurais dû commencer si j'en avais eu la volonté suffisante ». Nec dubitari potest, urget orator, de harum epistolarum authenticitate quam testatur ipse vinculi Defensor in Curia Burdigalensi, qui exemplar Romam missum recognovit. — His iisdem epistolis, prosequitur advocatus, et tertia obiectio destruitur. Superius dictum est, Iosepham, post fugam e domo coniugali, a patre sub arctissima custodia teneri et ut inter duo mala minus eligere!., de reditu ad virum cogitasse. Nonne, clamat orator, idem dicit epistola diei 2 Aug. 1886, quod tunc temporis, dum ad virum redire cupiebat, a Iosepha scriptum est? « Je ne sais si cette lettre vous parviendra, car je

suis surveillée de toute part. Je n'ai pas changé des sentiments à votre égard, et je ne consens pas plus que par le passé à être votre femme ; mais pour faire cesser le scandale et éviter un malheur de la part de mon père, qui est très irrité et me fait peur, après avoir réfléchi, je voudrais essayer de m'echapper de sa maison. Mais comment faire? — Nous serons malheureux ensemble, parce que l'amour ne se commande pas. Cependant aux yeux du monde je suis votre femme. D'autre part, je suis ici dans une prison et un enfer. J'en perds la tête. Que faire? Que faire? » His omnibus concludit advocatus, quidquid obiectionis supererai, dilui, et matrimonii nullitatem in lucem proferre veritatis. Caeterum si quid adhuc confirmatione indigere videatur, summarium, iuxta advocatum, id suppeditat. Nec desunt novi testes qui deponant de saevitiis et minis quibus **Iosepha** ad nubendum adigebatur.

Nec minus roborata est, ait patronus, probatio adminiculaos ex novo processu, unde innotescit factum nobis hactenus ignotum, Iosepham nempe domo paterna fugisse ut se coactione subtraheret : « Elle s'est enfuie à Bergerac, testatur I. Dechans, pour échapper aux obsessions de son père : elle s'est en fuie près de son oncle Antonin Villetel, qui me recomanda de ne pas recevoir sa nièce chez moi, de peur de me faire une mauvaise affaire avec M. son père ».

Quin immo, urget orator, ex novissimo processu non solum probatio perficitur directa et indirecta nullitatis matrimonii, sed et vera probantur quae Mauritius nobis exposuit. Hic dixit Iosephae patrem, maximo in discrimine cum versaretur, in seipso naufragii tabulam vidisse, quod ex novo summario luculentissime comprobatur. Dixit quosdam testes in prima processus instructione non omnia quae scirent retulisse, quia pertimescebant patrem Iosephinae, et ex novo summario, ait orator, clare patet quid periculi eos immineret qui illius voluntatibus sese quodammodo opponerent. A la suite de ma déposition à Blaye dans l'affaire de l'île

Cazeaux, ait, Terral, je fus renvoyé avec menace d'être tué, si je remettais les pieds dans l'île ». Et B. Bechand testatur : « Je me rendis auprès de M. Parinet qui m'invita à prendre un fusil et à tirer (contra Mauritium). Je répondis: Mr. Faydit ne m'a rien fait; je refuse.... Huit jours après je fus renvoyé des chantiers ». Et J. Deschans ait: « Ceux qui refusèrent d'obéir à ses ordres furent renvoyés ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. EX adverso vinculi defensor contendit ex noviter adductis nondum constare de nullitate matrimonii in casu. Et ad suam thesim demonstrandam prae primis in memoriam revocat potiora argumenta, quae in praecedentibus causae propositionibus tum ab actoris patronis, tum a vinculi defensoribus fuerunt allata; deinde quoad novissime allata documenta suas congerit difficultates. Et ad primam causae propositionem quod attinet, eo, inquit, reducitur orationis patroni substantia ut probetur sponsam flete et coacte consensisse.

Ficte, ut liquet ex quorumdam testium auctoritate, qui referunt sponsam talia dixisse et patrasse quae probant eamdem externe tantum et oretenus consensisse, eo quia alium virum amabat, neque Mauritio nupsit, nisi ut libertatem obtineret ac paterna e domo posset aufugere.

Nec solum ficte sed et coacte, siquidem pluries sponsa fassa est, se ex coactione a parentibus incussa matrimonium inivisse. Quod probare conatur advocatus ex attestatione sponsi necnon testium sororis a Bono Pastore Mariae Barges ac Aloysiae Tobouteau. Imo eumdem in finem appellat orator ad auctoritatem parochi de Bruges, testantis sponsam ipsi voluntatem patefecisse impugnandi coram Ecclesia validitatem sui coniugii ex consensus defectu. Quo vero facilius finem suum assequeretur, patronus item solvit difficultates aliquas a vinculi defensore burdigalensi et in sententia contentas, depromptas v. g. ex indole sponsae, quae talis videtur ut excluderet possibilitatem metum patiendi.

Vinculi vero defensor totus in eo est, ut probet sponsam et vere et libere consensisse. Idque iuxta eum liquet:

a) ex eo quia post divortium civile sponsa spem quidem concepit obtinendi a potestate ecclesiastica sententiam nullitatis ex vi et metu, at eam abiecit nec causam instauravi^ *b)* ex eo quia, teste ipso sponso, sponsa ita libere consensum praestitit coram parocho et testibus, ut ne leve quidem coacti consensus indicium prodiderit; *c)* ex eo quod rationes, quas sponsus ad suadendam coactionem affert, non excludunt omne prudens dubium in contrarium, ut colligitur v. g. ex asserta comminata a patre sponsae aliarum nuptiarum denegatione, qua haec Mauritium recusaret. Testes enim uno ore sponsam exhibent, ut mulierem flocci facientem parentum voluntatem *d)* ex eo quia facta, verbis eloquentiora, demonstrant sponsam nec ulli parentum metui fuisse obnoxiam, nec indiguisse ut sibi virum pater pararet. Et reapse a sponso et testibus scimus Iosepham, cum circiter XVI aetatis annum ageret, Parisios fugisse, ibique repertam fuisse octo post dies in diversorio una cum quodam pictore *e)* eo quia parum valeat attestatio Mauritii Larronde affirmantis audivisse a sponsa invitato se matrimonium cum Mauritio celebrasse ; idque non solum quia nimis generice dicit de illato metu, sed et tum quia fuit hic testis inductus post sententiae publicationem, et hinc tempore suspecto, tum quia haud facile credendum sponsam cum homine eo usque sibi ignoto locutam fuisse de huiusmodi rebus; *f)* tandem eo quod, si sponsa ab hisce nuptiis fuisset aliena, nec sponso comminanti se recedere a matrimonio celebrando, ni ipsa ante sacramentaliter confiteretur, morem gessisset, quia nec ad matrimonium celebrandum nobiliorem ecclesiam vulgo *Notre-Dame* ecclesiae paroeciali suae maioris pompae gratia praetulisset.

In secunda vero causae propositione, pergit vinculi defensor, novus Mauritii patronus orationem suam tria in capita dispertitur, seu tum theoriam canonicam exponit quoad coactum ac simulatimi consensum et utriusque probationem; tum conatur probare sponsam nupsisse : 1. coacte; 2. ficte.

Quo autem in primis demonstret coactionem : *a)* in medium affert confessionem mulieris, ex qua patet eam contraxisse ex metu a causa libera, gravi, incusso ad extorquendum consensum ; *b)* solvit aliquas difficultates depromptas v. g. ex eo quod malum comminatum pendebat non sponsae, sed eius patri; *c)* vindicat veridicitatem sponsae, tum eo quia ipsa affirmat recessisse a contumacia: pour la paix de, (sa) conscience ; tum ex lacrymis coram iudice burdigalensi fusis, quum attestationem ederet, *d)* tum quia mores et modus agendi sponsi prohibent, quominus credatur eum testimonium sponsae pecunia comparasse, *e)* gradum facit ad firmandam attestationem tum testium dictis, eumdemque in finem confugit ad indicia, quae matrimonii celebrationem praecesserunt, vel Gomitata aut subsequuta sunt, ut v. g. lacrymae etc. querelae tempore non suspecto, recusatio copulae etc. *e)* tandem solvit difficultates depromptas e contrariis indiciis, v. g. ex prae tensa imperterrita et indomita sponsae indole etc.

Ut autem sponsi patronus probet sponsae in consentiendo fictionem argumentabatur : *a)* ex nonnullis ipsius sponsae verbis ; *b)* ex testibus et indiciis, quibus ipsa verba firmantur.

Sed vinculi defensor rotunde affirmat neque de coactione neque de simulatione constare.

Idque quoad coactionem probare conatur : *a)* eo quia validitati favet iam duplex sententia; *b)* et quia ex testibus 12 nuper auditis 8 iam fuerunt in priori processu excussi, et hinc aliquomodo suspecti; c) quia tum sponsa fassa est: Cette mariage flattait mon amour propre ; *d)* tum quia factum v. g. electionis ecclesiae Notre-Dame pro matrimonio celebrando, modus praestandi consensum coram parocho etc. coactionem excludunt, *e)* quia causa discordiarum est repetenda non a sponsae indomito charactere, vel ab adversa eius patris fortuna, sed a sponso, adulterii et saevitiarum reo, unde sententia civilis divortii.;./") quia sponsa e contumacia non cessaverit, ni vieta sibi oblata a sponso pecu-

nia; *g)* quia sponsus fidem haud meretur, utpote moribus non commendabilis: *h)* tum quia uterque sponsus est habendus ut suspectus, quum festinent bini corrigere depositiones iam factas: a qua nota nec immunes sunt aliqui ex testibus etc. etc.

Quod vero pertinet ad simulationem vindex hanc excludit: *a)* eo quia in actis non probatur assertus vehemens amor sponsae cum adv. Ostermayer: *b)* imo exinde constat eam appetiisse, licet frustra, turpes amores cum alio viro ab adv. Ostermayer; c) eo quia, quum coram Ecclesia contraxerit, non est ei credendum simulationem fatenti, ad tramitem Glossae in C. 26, *De sponsalibus.*

Tandem, ait orator, in tertia prop. patronus actoris, praeiacto principio, se in antecedenti propositione fuse probasse mulierem tum coacte tum ficte consensisse, universam orationem suam convertit ad demonstrandum sponsam in sua confessione plenam mereri fidem nullamque inter coniuges suspicandam esse collusionem, idque liquere ex novis testimoniis novisque argumentis inter quae v. g. testimonium Adv. Zanareau, et declaratio ipsius iudicis eccl. burdigalensis, qui, attentis quae sponsa, purgata contumacia, deposuit, declarat se recedere a priori sententia et hinc matrimonium habere ut invalidum. Eundem in finem tum recurrit ad indicia et praesumptiones, quae nuptias praecesserunt, tum conatur purgare sponsum nota adulterii etc.

Sed vinculi defensor totus in eo est, ut firmet vera esse quae iam antea fuerant asserta et probata: *a)* de vera causa dissentionum seu de adulterio sponsi: *b)* de concepta prius ac dein abiecta spe ex parte sponsae obtinendae declarationis nullitatis; c) de litteris quas sponsa dedit ad sponsum iam inde ab anno 1892, et ex quibus haud obscure erumpit studium collusionis, et hinc pretium obtinendi attestationis suae etc.

Hisce praehabitis Sacramenti vindex gradum facit ad confutanda novissime allata documenta, et contendit nonnulla adesse, quae merito obstare videntur, quominus acto-

ris eiusque patroni vota impleantur. Et sane inquit, in patroni oratione duo in summa speciali animadversione digna videntur, seu: 1. nimis audacter asseri probationes, alias allatas, eiusmodi fuisse, ut nonnisi nubéculas quasdam reliquerunt diluendas : 2. nimis fidenter adfirmari nova allata ; argumenta eiusmodi esse, quae suadeant, quacumque postposita difficultate, de nullitate esse edendam sententiam.

Et ad primum quod attinet, ait vinculi defensor, in tribus anteactis propositionibus duplex nullitatis causa a patronis constanter fuit asserta, seu simulatio consensus ex parte sponsae, vel saltem eiusdem consensus ex vi et metu praestatio. Iamvero, nunquam intentionem suam sat eos probasse, suadet in primis argumentum extrinsecum, quidem, at summi ponderis, non solum attenta iudicantium qualitate, verum et attentis causae adiunctis ut v. g. maximo actoris interesse in argumentis suppeditandis, necnon diligentissima patronorum cura in eis disponendis, expendendis, ac quasi eastrorum acies ordinatissimas exhibendo.

Re quidem vera, causa haec nullitatis in Curia Burdigalensi primitus introducta et per contrariam resoluta sententiam, ad S. C. C. translata, iam non semel et bis, sed ter fuit adverso dimissa responso. Iamvero sententia quater uniformiter prolata, quamvis hinc inde omnia iuris et facti argumenta aequa lance fuerint perpensa, gravem praesumptionem veritatis et iustitiae inducere videtur, ita ut ab ea recedere non liceat, ni gravissima edantur argumenta, et quidem eiusmodi quae tum gignant evidentissimam probationem, tum excludant quodcumque collusionis periculum.

Extrinseco vero argumento, pergit orator, intrinseca argumenta accedunt, quae, praecisione facta a novis actis, suadent recte fuisse iudicatum.

Revera ter allegata fuit simulatio consensus, sed numquam fuit id iuridice probatum. Notissimum quippe est ad hoc, ut de nullitate ex simulatione constet, certo debere constare verba, per quae consensus fuit expressus coram parocho et testibus, vere et realiter non fuisse nisi vana-

rum vocum vanum sonitum : quod probatu difficillimum est, quum v. g. possit esse, ut qui ante matrimonium, animum pandiderat ficte contrahendi, postea, mutato animo velit reapse contrahere... itemque possit contingere, ut aliquis videatur aut non verum aut substantialiter vitiatum consensum habere, et tamen verum et germanum habeat, prouti contingeret, si quis v. g. nutritus in secta haeretica, in qua divortium ex adulterio permittitur, cum contrahit, non proprie intenderet contrahere ad tempus, sed ita contrahere, ut postea casu adulterii contingente ipse intendat uti suo praetenso iure coniugium dissolvendi.

Iamvero in casu nostro, quae fuerunt asserta de voluntate sponsae haud ineundi perpetuum coniugium, eo quia in proposito haberet a viro secedere, iam certe non sunt talia, iuxta vinculi defensorem, ut exinde sit statim concludendum, eam vero et germano consensu ad contrahendum apto caruisse. Optime enim possumus concipere, ait orator, voluisse sponsam reapse contrahere at intendisse officia exinde derivantia non penitus explere quod est satis ad validitatem quemadmodum est satis ad valorem professionis religiosae, si quis profiteatur animo amplectendi religionem, sed non perseverandi. Unde iure merito v. g. scribit Scavini, *Theol. Moral.* Edit. 13 sub tit. *De voto* n. 48 in nota : Notandum votum valere, licet quis dum vovet, velit quidem se obligare, sed neutiquam votum implere; nam votum non facit intentio implendi, sed se obligandi.

Insuper, prosequitur sacramenti vindex, allegata fuit, imo et potissimum, causa nullitatis ex vi et metu. Quae et quanta in hac quaestione hinc inde fuerint et asserta et impugnata sive ab actoris patronis, sive a defensoribus vinculi, praesertim postquam mulier, contumaciam purgando, sistit coram iudice Burdigalensi, nostis EE. PP.

At vero en novum pro fulcienda sententia argumentum, et quidem non extrinsecum petitum ex auctoritate rei pluries iudicatae, sed intrinsecum petitum ex infirmitate argumentorum pro actore allatorum. Etenim quam adseveret

patronus, argumenta pro actore fuisse talia, ut vix aliquas nubéculas in contrarium diluendas reliquerunt, quis hanc assertionem ut nimis audace m non incusabit, quum trinum negativum S. C. responsum potius clare indicet non allata pro actore, sed contra actorem, argumenta aequabiliora, veriora, certiora visa fuisse? Certo certius potius quam patrono actoris congrueret Defensori vinculi adseveratio illa !

Nec vera refert oratoris patronus, inquit vinculi defensor, cum affirmât nunc liquere de omnimoda subiectione sponsae patri. Hic quippe ex attestatione personarum familiam Mauritii optime noscentium , traducitur tamquam vir perpetuar um minarum, imo ut vir qui nec et a delictis abhorreret; prout liquet ex insidiis, quas genero struxit ac vulneribus quibus eumdem affecit. Sponsa autem, vice sua, ab iisdem testibus ea exhibetur, quae valde patrem timeret, sub eiusque omnimoda potestate esset, unde deponit testis Béchaud : « Elle craignait beaucoup son père: son père la dominait: c'était l'opinion des serviteurs et des servantes de la maison ».

Verum cavendum esse, advertit vinculi defensor, ne horum testium vis et auctoritas nimis protrahatur.

Quamvis enim eos, a collusione, a mendacio et a periurio alienos supponamus, neque causas inquirere velimus, propter quas non antea fuerunt excussi hi testes, qui, ut ait patronus, intimas relationes habuerunt cum familia V. et hinc optime noscere poterant indolem patris et filiae, tamen eorum dicta caute sunt suscipienda, idque saltem ob periculum ne diuturnus, isque late fusus rumor huius causae ac vicissitudihum eius, nec non consideratio miserae conditionis actoris, ipsos aliquantisper in huius favorem inflexerint, favorabiliora homini quam veritati responsa suggerendo.

Insuper, urget orator, non omnes testes ita respondent, ut ex eorum dictis statim arguenda sit omnimoda dependentia filiae a patre. Revera testis Carolus Plisson, tantopere a Curia laudatus, ad interrog. de charactere sponsae

in ordine ad matrem, respondet sine ambagibus (eique cohaeret uxor, seu testis Amelia Plisson) : « Elle était fière et hautaine ». Ad interrog. vero: « Le père avait il de l'influence sur sa fille... subissait elle sa volonté toujours et absolument ? » Idem testis Carolus reponit : « Le père n'avait, je crois, sur la fille plus d'influence, que sur ses serviteurs ». Profecto huiusmodi responsiones, iuxta oratorem, haud multum firmant patroni intentionem, nam filia cuius indoles est: « fière et hautaine » erga talem matrem, quae ab eodem teste C. Plisson edicitur: « autoritaire»; itemque filia in quam pater non habet nisi : « plus d'influence que sur ses serviteurs » ; maxime suppositis, quae alias asserta sunt de eius charactere, fuga Parisios etc. in se tantam vim habere potuisset, ut patri resisteret. Inter enim conditiones metus illa quoque recensetur, ut malum comminatum nullo prorsus modo vitari queat.

Idque eo magis verum apparet, urget vinculi defensor, si attendatur responsio Ameliae Plisson : « Monsieur V. aimait beaucoup sa fille et la fille aimait beaucoup son père— ». Nam, cur hoc amore innixa et artibus utens quibus foeminae abundant, filia totis viribus haud conata est animum patris infringere?

Nec subsumatur, prosequitur orator: minae potiusquam ad filiam ad patrem spectabant... Esto. Sed tunc praesumendum esset filiam mala patris ex filiali pietate voluisse avertere ! At vera pietas filialis sponsae sat dubia est, iuxta oratorem, attentis eius moribus.

Nec, urget Sacramenti vindex, dissolvitur uti contendit advocatus, ex novis actis quodvis dubium quoad Iosephae mores et hinc quoad eius credibilitatem.

Notum quippe est ex actis iam alias in patrem sponsae de scelesta cum hac consuetudine notam fuisse inustam. Quod si verum, infamis -huius notae certe haud esset expers et sponsa, eamque haud excusaret tantopere decantata auctoritas patris in filiam. Iam age in novis actis testis J. Dechans haec respondet: « On disait que le père avait

avec sa fille des rapports coupables, et je les ai surpris chez moi dans une posture peu convenable»; testis vero A. Terral: «JLa rumeur publique était qu'il (pater) avait même avec elle des rapports coupables... » Profecto, instat orator, nemo ullus negare potest has attestationes gravissimum novum vulnus inferre sponsae famae et credibilitati, et hinc summopere cautos esse oportere in fide praebenda foeminae iam graviter notatae v. g. ob turpes parisienses amores, ob pravas propositiones factas Couin, et ob illicitam, post divortium, cum viro schismatico consuetudinem!

Quoad epistolas vero a Iosephina ad Mauritium conscriptas, advertit vinculi defensor, argumentum inde depromptum forsan claudicare, si attendantur factorum adiuncta, et vel ipse tenor verborum quibus Iosephina utitur; etenim verba illa: « Je ne veux et ne suis et n'ai jamais été votre femme » rite expensa legentis animum ancipitem faciunt. Nimis enim probare videntur, unde, iuxta adagium notissimum, nihil probant. Supponunt enim Iosefiham vel certam de nullitate coniugii sui tunc iam fuisse, vel saltem de ea valde ambegisse. Nullo enim pacto ex calamo foeminae, quae matrimonium suum de facto habeat ut validum, huius modi verba similiave exire possunt. At tunc temporis Iosepham nullum prorsus dubium de sui coniugii valore fovisse, probat vinculi defensor :

a) Ex eo quia nihil prorsus hac de re alicui dixit imo nec cogitavit, nisi post divortium civile anno sequenti obtentum. In folio enim ex oif. a. 1900, pag. 187, haec leguntur: « Post memoratam laici tribunalis sententiam, Iosepha, spem concepit matrimonium ab ecclesiastico iudice cassatum iri, et primum consilii causa adiit parochum loci Bruges etc. ».

b) Ex eo quia, quamvis ore seu scripto tenus Mauritium ut virum interdum abnegare videretur, verbo et facto eum hahebat, ut talem : verbo scribendo ad matrem eodem fere tempore « Toi tu es là pour tout concilier, apaiser mon père vis-à-vis de moi et de mon mari » : facto pandendo in

litteris ad Mauritium datis, item sub iisdem diebus, desiderium e domo patrem fugiendi ac ad coniugalem revertendi.

Quomodo ergo, quaerit orator, intelligenda sunt verba: « Je ne suis et n'ai jamais été votre femme? » Ne dicamus mulierem inconstantem sibi fuisse, fatendum plus dixisse quam reapse dicere intenderet, seu non in dubium revocasse coniugii validitatem ob consensus defectum, sed potius, per abundantissima verba (quod foeminis perdolentibus est commune) dolorem suum expressisse, eo quia, non per vim et metum nupserit Mauritio, sed quia nupserit eidem sine amore, idque ut patri morem gereret. Et reapse non consensus, sed amoris defectum ipsa recolit : « Tout est bien fini. Pourquoi revenir avec un homme qu'on n'a jamais aimé... Nous serons malheureux ensemble parce que l'amour ne se commande pas. Le monde dira ce qu'il voudra, mais je ne puis jouer la comedie, et faire semblant d'être votre femme et de vous aimer ».

Iam age, arguit orator, si ita res esset, matrimonium perperam impugnaretur ; nam coniugium consensus facit et non amor : adeo verum, ut valeret coniugium inter virum et feminam acerrimo odio se mutuo prosequentes.

Nec, urget vinculi defensor, contra matrimonii validitatem aliquid desumi potest ex facto fugae in domum avunculi Villetel (iuxta testem Déchans vel ex verbis quibus mater sponsae dolorem suum pandit ob coactam ad nuptias filiam, iuxta testes Plisson) ; etenim testis Déchans, quae nunc affirmât, non de scientia propria rescivit sed ab eodem avúnculo, nunc demortuo, quindecim ante annos cognovit. Auctoritas ergo eius non est nisi auctoritas testis de auditu. Quod et repetendum est, et quidem a fortiori de teste Béchaud, quum ad interrog. 8 : « Savez vous si Mr. le père a usé quelquefois de menaces, de violences à l'endroit de sa fille? l'enfermait-il? A-t-elle essayé de s'evader? » responderit: « Je l'ai entendu dire, mais ne le l'ai pas sur moi même, qu'il renfermait sa fille, et celle-ci s'est échappé chez son oncle etc. ».

Sic etiam sat facile, concludit vinculi defensor, infirmari potest argumentum depromptum ex verbis matris perdolentis, quod filia ad matrimonium fuerit coacta, nam verba illa: « avons forcé... en la forçant à un premier mariage » nimis vaga sunt, nam qualis fuit illa coactio ? gravis? levis? vera coactio aut potius nimia citra veram coactionem instantia ?

Hisce igitur perpensis, propositum fuit sequens enodare

Dubiw m

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C, re disceptata sub die 20 Decembris 1902, censuit respondere: *Attentis noviter deductis, recedendum esse a. decisis et sententiam Curiae Burdigalensis esse in firmandam.*

MELEVITANA

IURIUM AD FUNCTIONES PAROCHIALES

Die 20 Decembris 1902.

Sess. 25. cap. 1. De ref.

COMPENDIUM FACTI. Perinsigne Capitulum Collegiatae Ecclesiae sub invocatione B. M. V. absque labe originali conceptae in civitate *Conspicua* Melevitanae Dioecesis a Pio VII fuit institutum a. 1822, eique, ab ipsa erectione, habitualis animarum cura commissa est, reservata canonico Archipresbytero cura actuali. — At canonicos inter et Archipresbyterum aemulationum et rixarum occasio fuit, ob temporum calamitates, gravis subsecuta, redituum diminutio in praebendis canonicalibus dum unus Archipresbyter locupleti praebenda fruebatur ob emolumenta certa et incerta ab exercitio curae animarum derivantia. Inde contentiones exortae sunt de functionibus quae Archipresbytero, privative quoad capitulum, pertinerent; quas radicitus ad convellendas rixas Pius VIII a. 1830 sua Constitutione de-

crevit ut cura animarum ab Archipresbyteratu, postquam hunc quomodolibet ex persona tunc existentis Archipresbyteri vacare contigisset, perpetuo disiuncta, cura eadem tam actualis quam habitualis capitulo concederetur et uniretur, exercenda tamen vel per dignitarios et Canonicos per turnum vel per Presbyterum saecularem, Vicarium curatum, a Capitulo deputandum et ad eius nutum amovibilem. Inde factum est ut universa emolumenta certa et incerta ab exercitio curae animarum provenientia singulis canonicis et in his ipsi Archipresbytero aequis portionibus divideretur.

Verum Constitutio plures nacta est difficultates in sua executione ab eaque exequenda supersedendum fuit. Progressu temporis cum alius Episcopus in Meievitana Sede successerit, hic auctor fuit ut Capitulum quamdam concordiam iniret quam dein per Bullam Apostolicam Pontificis Pii IX, a. 1850, firmari curavit. — In hac etiam exequenda Bulla non defuerunt discordiae quas suo iudicio dirimere aggressa est S. R. Rota, at his per concordiam sopitis, die 19 Martii 1852 decretum prodiit ab Episcopo executoriale quod Constitutionem Pii IX et initam pridem concordiam executioni demandari iussit. Ista concordia est sequentis tenoris:

1.° « Ut nempe Cura actualis sic unita cum habituali (Capitulo) exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario Curato per Capitulum Universum comprehenso Archipresbytero eligendo et per Ordinarium confirmando modo et forma inferius decernenda.

2.° « Ut ad Vicarium ipsum Curatum spectet tantum Administratio Sacramentorum et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit ; salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capsulo uti Ecclesiae Rectori debeantur ; cetera vero iura et privilegia eidem Capitulo[5] uti Ecclesiae Rectori reservata sint et remaneant.

3.° « Ut Archipresbyter pro tempore existens perpetuo exclusus sit a praedicto officio Vicarii Curati ; quin imo si et quoties Vicarium Curatum ipsum ad Archipresbyteratum assumi contigerit eo ipso a Vicarii Curati Perpetui munere cessare debeat et censeatur, ac Capitulum illico et immediate ad alterius in id muneris assumendi electionem procedere valeat.

4.° « Ut Vicarius Curatus praefatus eligi debeat per turnum e gremio Capituli ipsius, eadem prorsus ratione, qua memoratis Literis Pii Papae Octavi Praedecessoris constitutum fuerat, videlicet facta facultate singulis Capitularibus optandi idem officium, incipiendo a priori Dignitario post Archipresbyterum, et sic deinceps transeundo ad inferiores, ac postremo ad simplices Canonicos, servato, quoad istos, ordine antianitatis in possessione Canonicatus.

5.° « Ut sic electus examini Ordinarii subesse debeat, prout in praefatis Literis etiam continentur. Quod tamen examen nedum super scientia, sed etiam super ceteris qualitatibus a iure requisitis versari debeat, ita ut ab eodem Ordinario nequeat ille confirmari, nisi ad formam Sacrorum Canonum idoneus ab eo iudicatus fuit.

6.° « Ut quatenus nemo ex Capitularibus Vicarii Curati officium assumere voluerit, vel nemo ad id munus ab Ordinario iuxta formam superius praescriptam fuerit approbatus, tunc a Capitulo alius Presbyter extra illius gremium, necessariis facultatibus praeditus et ab Ordinario ut supra examinandus et approbandus, eligi queat.

T.° « Et quoad reditus ex praefatae Curae animarum exercitio provenientes statutum fuit, ut ex reditibus huiusmodi tum certis tum incertis trecenta annua scutata Monetae Melitensis, a quovis onere prorsus immunia, Vicario Curato, loco congruae, perpetuo assignata remaneant, tributa eidem Vicario potestate suos faciendi proventus ex oblationibus quas vocant Paschalis Benedictionis derivantes : residui vero fructus, detracta annua Pensione antiqua perpetua aliorum Quinquaginta Scutatorum Monetae Meliten-

sis, parisque Apostolicis Literis eiusdem Pii Papae Septimi Praedecessoris ad favorem pro tempore existentis Rectoris Parochialis Ecclesiae Casalis Dingli praefatae Meliten. Dioecesis reservata reperitur, nec non dempta mercede pro duobus Vice Parochis ab ipso Capitulo deputandis et ad eius nutum amovibilibus, ac deducta denique eleemosyna Missarum pro Populo, cedere debeant favore Dignitatum et Canonicorum praefatorum, et inter eos distribui ad formam earumdem Literarum Pii Papae Octavi Praedecessoris.

8.° « Tandem ut Vicario Curato pro tempore tradi debeant collectae omnes quae fieri solent pro pauperibus, nec non reditus Piorum Legatorum pro iisdem pauperibus usque ad praesens institutorum, sive quae adhuc vigent, sive quae reviviscere possunt, onere tamen ei iniuncto summas universas huiusmodi in ipsorum pauperum levamen distribuendi ».

De hac vero concordia statuit eadem Const. Pii IX (ibi) « quam concordiam huiusmodi et in ea contenta quacumque supradicta Apostolica Auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, eidemque concordiae Apostolicae inviolabilis et irrefragabilis firmitatis robur vim et efficaciam adiicimus ». Quamobrem in themate nulla moveri potest quaestio an cura quoque actualis competat universa capitulo (quod saepe in huiusmodi controversiis in quaestione versatur), sed tantum, uti fert hodierna contentio, quaestio esse potest an una vel altera functio intelligenda sit contineri in delegatione qua constituitur Vicarius curatus.

Porro hisce postremis annis dubitari coepit, an nonnulla munera ad curam .animarum pertinentia, expleri deberent a Vicario Curato, eique commissa esse censerentur in ipso deputationis actu. — Has quaestiones amplectuntur sequentia dubia quae partium procuratores nempe et Vicarii Curati et Capituli procuratores contestati sunt:

1. — « An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario Curato, in casu.

Et quatenus *Negative;*

2. — « An Missa pro populo celebranda sit a Vicario Curato vel potius a Capitulo in casu.

3. — « Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in Collegiata, in casu.

4. — « Cuinam competat ius docendi pueros catechesim praeviam S. Synaxi, eosque aptos designandi in casu.

5. — « An Vicario Curato vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu.

6. — « An Vicario Curato vel potius Capitulo ius competat deputandi Vice-parochos, in casu.

7. — « An et quomodo praedicti Vice-parochi a Vicario Curato dependere debeant, in casu.

8. — « An explicatio S. Evangelii haberi debeat a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu ».

Disceptatio Synoptica

— Vicarii Curati procurator in explicationem I. Dub. — *An iuxta Const. Apostolicas universa actualis cura competat Vicario curato in casu;* ait quod Capitulum est verus parochus et in ipso primario residet cura animarum eiusdemque exercitium, proindeque solummodo secundario et per modum delegationis, Vicario Curato aliqua determinata officia committi poterunt.

Equidem vero, pergit orator, quod hic Vic. Curatus toto coelo differat a Vicario Perpetuo eo sensu quo iure communi intelligitur, rem iam esse iudicatam, nec amplius dici posse controversam, liquet ex authentica resolutione S. C. Concilii in *Melevitana* eiusdem ecclesiae Collegiatae Conspicuae diei 13 Sept. 1862. Tunc enim, cum ageretur de fallentiis choralibus a Vic. Curato solvendis ad curam animarum intento, hoc punctum praecise erat disceptandum ; nam, si revera naturam Vicarii Perpetui secundum ius commune dictus Vicarius induisset, fallentias, datis circumstantiis, solvere non debuisset. E contra S. C.

respondit « Affirmative », solvere scilicet fallentias debere. — Sed ulterius, et alias adest explicita resolutio favore Capituli hac in re emanata. Proximiori tempore agebatur de iure adscribendi fideles in associatione S. Familiae ad normam Brevis Summi Pontificis Leonis XIII diei 14 Iunii 1892. — Vic. Curatus dictum ius sibi praetendebat, at Emus Card. Vicarius eiusdem associationis Moderator, Capitulo favorabile edidit Decretum die 19 Ian. 1896. Ibi : « Considerando ora le Bolle dei SS. PP. Pio Papa VIII « *Cunctis ubique* in data 25 Settembre 1830, e Pio IX « *Inter cetera* in data del 1 Ottobre 1850. — Considerando che in queste Bolle vien evidentemente stabilito il privilegio spettante al prelodato Reverendissimo Capitolo di Cospicua di ritenere la cura delle anime non solo abituale ma anche attuale, tanto che esso Capitolo debba ritenersi qual Vero Parroco, e il Vie. Curato qual semplice suo deputato esclusivamente per l'amministrazione dei Sacramenti... ».

Ex his duo haec extra omnem controversiam posita habet advocatus, scilicet : *a)* verum parochum Ecclesiae Collegiatae Conspicuensis primario esse Capitulum, retinens nedum habitualem sed et actualem animarum curam; *b)* Vicarium autem Curatum non esse nisi delegatum Capituli, utique inamovibilem, sed limitative tantum ad quaedam determinata parochialia officia, quae in ipsis Apostolicis Constitutionibus eidem expresse commissa sunt. — Notat patronus eiusmodi officia satis significari in 2°. Art. Concordiae ita concepto : « Ut ad Vic. ipsum Curatum spectet tantum administratio Sacramentorum, et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit, — salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo uti ecclesiae Rectori debeantur, — cetera vero iura et privilegia eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori reservata sint et remaneant ».

Quia pars contraria contendere conatur, quod vi relatae

dispositionis non solum administratio Sacramentorum, sed. ulterius et quidquid stricte respicit curae animarum exercitium, eidem Vic. Curato commissum fuerit, respondet patronus quod in I°. art. Concordiae committitur indeterminate ac generice Vic. Curato curae animarum exercitium, dum in 2°. art. hoc exercitium specificatur et limitatur tantum in Sacramentorum administratione « et quidquid memoratum actualis curae exercitium ei commissum stricte respicit » seu memoratam Sacramentorum administrationem. Alioquin contradictorio sese haberet, instat advocatus, illud tantum, si exercitium curae Vic. Curato commissum etiam ad alia officia sit extendendum ; neque sufficientem haberet rationem illud memoratum, nisi partiale exercitium, Vic. Curato commissum, indicaret.

Iamvero praeter claram dispositionem legis, ait patronus, istam conclusionem probare continuam, subsequentem praxim, a publicatione Bullae usque' ad nos, sibi semper constantem atque pacificam: ita ut nec a parte contraria controverti ullimode possit haec consuetudo secundum legem. Nam dispositio legis in relatis Bullis continetur, et successiva praxis nihil aliud effecit nisi eiusdem sensum explicare ac in facto determinare iuxta modum moribus consecratum. Hinc dicta praxis novum ius non constituit, sed tantummodo habenda est tamquam declarativa iuris constituti praeexistentis : « Consuetudo secundum legem est illa, quae legem iam praeexistentem supponit, eamque vel deducit in usum vel si ambigua est interpretatur. Unde haec ius novum non constituit, sed aut dubium interpretatur iuxta 1. *Si de interpretatione* ff. de Legib., ibi : Optima enim est legum, interpres consuetudo. Quod ipsum habetur in c. *Cum dilectus* 8, *h. t.* Aut ius praeexistens confirmat, et adiuvat deducendo illud in opus, iuxta illud *can. 3. dict. 4:* Leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur » (Reiff. *Lib. I, Tit. IV, De Consueta).* Et ita communiter omnes Doctores cum Ferraris *v. Consuetudo n. IO.* Duo insimul pergit patronus, consideranda sunt in casu : et verba legis, quae in Bullis prostant, et successiva consuetudo, ipsius

legis optima interpres. Ad rem refert, quod exponitur in Folio Officii praecitatae Causae 1862, quae disceptata fuit sub primo Vic. Curato et post decem annos ab executione Bullae Pii IX; ibi: « Maxime in Collegiata Ecclesia Civitatis Conspicuae, in qua omnes Canonici ratione canonicatus et curae actualis, quae Capitulo restituta fuit an. 1830, onus celebrationis Missarum pro populo sustinent, Doctrinam Christianam fideles docent, mercedem Vice-Parochis persolvunt et conciones catechisticas quavis secunda dominica mensis tenent, praeter alias quas singulis feriis sextis horis serotinis, instituendas curarunt ».

Ad II. Dub. — *An Missa pro populo celebranda sit a Vic. Curato vel potius a Capitulo, in casu;* — a Capitulo vero hanc celebrandam esse deducit orator ab ipsa Bulla Pii IX, iubente : « Et quoad redditus ex praefatae curae animarum provenientes statutum fuit, ut ex reditibus huiusmodi tum certis tum incertis, trecenta annua scuta monetae melitensis a quovis onere prorsus immunia Vic. Curato, loco congruae, perpetuo assignata remaneant; tributa eidem Vicario potestate suos faciendi proventus ex oblationibus quas vocant Paschalis Benedictionis derivantes ; residui vero fructus detracta annua pensione... nec non dempta mercede pro duobus Vice-Parochis ab ipso Capitulo deputandis et ad eius nutum amovibilibus, ac deducta denique eleemosyna Missarum pro populo, cedere debeant favore dignitatum et Canonicorum praefatorum, et inter eos distribui ad formam earumdem Literarum Pii Papae VIII Praedecessoris. Tandem ut Vicario Curato pro tempore tradi debeant collecta omnia quae fieri solent pro pauperibus, 'nec non etc. ». Ex quibus infert orator quod Vicario Curato certa summa uti congrua una cum determinatis incertis fuit taxative assignata, adeo ut praeter haec, nihil aliud percipere ipse valeat : sicut enim limitatum ei fuerat officium, ita etiam compensatio. Cetera autem omnia sive certa sive incerta a curae exercitio provenientia, favore Capituli relicta fuerunt.

Nunc vero, pergit orator, si a Vicario Curato Missa pro populo fuisset iure celebranda, opus non erat ut Capitulum gravaretur onere taxam peculiarem pro illa Missa solvendi, quippe Missa pro populo eidem congruae parochiali adnexa est; vel saltem, cum Summus Pontifex mandasset ob Missam pro populo taxam a Capitulo esse solvendam, si favore Vic. Curati illam cedere voluisset, certo certius id declarasset, prout factum est quoad cetera ad Vic. Curatum spectantia. — Sed e contra ad normam iuris, quia in dicta Bulla consideratur Capitulum tamquam verus parochus cui primario incumbit curae animarum exercitium, et cui proinde spectare debet onus Missam pro populo celebrandi, cavetur quod ex redituum residuis, inter alia, praelevanda etiam esset taxa pro dicta Missa, antequam devenire posset ad eorumdem redituum inter canonicos distributionem. Inde praxis habita est qua Capitulum, praedicto oneri satisfaciens, ab anno 1852 usque hodie, canonicum vel sacerdotem semper delegavit ad Missam pro populo celebrandam, quin ullus Vic. Curatus eiusdem celebrationem praetenderit.

Ad Dub. III. — *Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in Cathedrali in casu;* nec non ad Dub. IV. — *Cuinam competat in docendi pueros catechesim praeviam S. Synaxi, eosque aptos designandi in casu,* refert patronus praxim hanc fuisse. Capitulum eligebat inter canonicos Rectorem seu Moderatorem Doctrinae Christianae ab Episcopo confirmandum, qui sine ulla remuneratione pueros docebat sacram catechesim, eiusdemque institutionem dirigebat, ab aliis sacerdotibus ordinario coadiuvatum, inter quos Vicarius Curatus praeeminere solebat. Quum autem tempus pervenerit quo adolescentes ad S. Synaxim accedere possent, tunc ipse Rector habebat exclusivum ius licentiam in scripto eis concedendi, cum qua ii idem adolescentes sese Vic. Curato offerebant, ut admitterentur ad Corporis Christi susceptionem. Ipse Vicarius Generalis, qui olim fuit Vic. Curatus ab ann. 1866 ad annum 1879, candide testatur

quod « seguendo la pratica de' miei antecessori, sempre assisteva i rispettivi Direttori della Dottrina Cristiana di ragazzi e delle ragazze ». Documentum insuper habetur quo primitiva tempora memorantur, nempe ann. 1857; ex eo namque eruitur iam pridem solitos esse canonicos eligere Rectores doctrinae christianae, et praecise « utentes facultate Capitulo, uti habenti curam actualem vigore binarum Literarum Apostolicarum Pii VIII fel. mem. ac IX fel. rec, tributa ».

Quia adversarius opponit, Vicario curato fuisse commissam non solum nudam Sacramentorum administrationem, sed etiam quidquid eidem administrationi stricte connectitur, respondet orator quod opus esset in iure disceptare ac definire quid in relatis officiis sit censendum stricte connecti cum Sacramentorum administratione; adeo ut exclusum censeri debeat Capitulum, quod verus parochus actualis in sua ecclesia Collegiata existit. Verum ab his praecisione facta, asserit patronus, maxime obtemperandum esse successivae praxi, quae iure merito legis intentionem declarat. Consuetudo autem quae invaluit, si ex una parte Vicarium Curatum non exclusit a docendo Christianam Catechesim ac pueros parando ad S. Synaxim, utpote Sacramentorum administratorem, ex altera vero eiusdem directionem Capitulo concessit, utpote vero parocho, primario ac principali.

De quinto Dubio. — *An Vicario Curato vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu;* in prmis notat patronus, Vic. Curatum cadavera levare ac associare uti de iure; tamen si Capitulum interveniat, canonicus Praeeminet seu Ebdomadarius, et non Vic. Curatus, quamvis praesens, stolam induit, cadavera levât, eademque associât. Sed hic non agitur de iure cadavera associandi, quia hoc ultro Vic. Curato concedit Capitulum, quando ipsum non interveniat, simulque Vic. Curatus circa hoc quaestionem non instituit. Tota quaestio vertitur circa emolumenta, quae occasione funerum lucrari solent.

Ad rem narrat Advocatus, quod ante legem civilem anno 1870, per quam Melevitana publica Coemeteria sunt instituta, cadavera in ecclesiis sepeliebantur, et Vic. Curatus pacifice officio suo fungebatur, quin relativa emolumenta* repeteret; quae emolumenta Capitulum lucrabatur, ad normam Bullae Pii IX. Cum autem pauperes nihil solvere solerent occasione funerum, considerans Gubernium quod per dictam legem maius incommodum parochi pati debebant ob associationem ad Coemeterium, hinc iisdem assignavit summam annuam ob dictam associationem cadaverum pauperum. Qua de re, Capitulum in casu, suapte natura, uti in praeteritum percipiebat funerum taxas, ita in posterum etiam Gubernii élargitionem propter pauperum associationem lucratum est. Immo, ut Vic. Curatus liber esset in aliis officiis persolvendis, alios idoneos sacerdotes eligere consuevit praecise ut associarent cadavera tum pauperum tum divitum ad Coemeterium, iisdemque solvit congruam summam. — Equidem Summus Pontifex Vic. Curato taxative assignavit annuam summam, loco congruae, et alia determinata incerta : ita ut, praeter haec cetera omnia cedi deberent favore Capituli. Si ergo Vic. Curatus contendat, quod associatio ad Coemeterium iure sibi competit, haec associatio inter officia sibi commissa adnumeranda est, pro quibus officiis iam congrua compensatio stabilita fuit.

Ceterum si res eo sensu considerari velit, quod nempe associatio ad Coemeterium, per civilem potestatem hodiernis temporibus institutum, aliquod importet peculiare incommodum, cuius intuitu aliqua conceditur peculiaris remuneratio; recolit advocatus, tritum in iure esse quod publica Coemeteria ecclesiis subrogata censeri, debent, unde aforisma: mutatur locus non vero ius. Hinc eodem iure quo parochi in ecclesiis associabant, nunc associant in Coemeteria. Iamvero certum est in casu nostro quod Vic. Curatus usque ad an. 1870 cadavera associabat in ecclesiis, et Capitulum percipiebat relativa emolumenta ; item ergo eodemque iure nunc Vic. Curatus usque ad publicum Coe-

meterium associet, et Capitulum relativa emolumenta percipiet. Maxime quia, potest ipse, quando vult, associare ad Coemeterium cadavera divitum, et Capitulum ex mera sui liberalitate condonare ei solet medietatem taxae a familia solutae, alia medietate sibi reservata.

Dubium sextum : *An Vicario Curato vel potius Capitulo ius competat deputandi Vice-parochos, iii casu* -; et septimum : *An et quomodo praedicti Vice-parochi a Vicario Curato dependere debeant, in casu;* expedit Advocatus ab eodem principio procedens, Capitulum scilicet esse verum parochum etiam actualem, inferens Vicarium Curatum inutiliter haec iura, quae parocho actuali utique competunt, sibi reclamare, tum enim ius, tum dispositio legis pro Capitulo militant; nec non eiusdem legis observantia usque hodie.

Circa vero subiectionem a Vice-parochis praestandam, asserit orator, quod hi dependere debeant a Vic. Curato, in cuius adiutorium fuerunt constituti: sed pari modo patet quod haec dependentia praetergredi nequeat officium ipsius Vic. Curati, seu administrationem Sacramentorum. Hinc suapte natura admittendum est quod Vice-Parochi hoc sub adspectu subiacere debeant Vicario Curato, cui exclusive spectat v. g. eos mittere ad infirmos et alia huiusmodi ; sed quoad cetera, dicti Vice-parochi sese subtrahere non possunt a debito obsequio erga Capitulum praestando, a quo electi sunt et recipiunt debitam mercedem. Capitulum autem, utpote dominus ac omnibus praeeminens, habet nativum ius iisdem Vice-parochis concedendi, datis circumstantiis, absentiae licentiam, eos admonendi vel puniendi aut mulctandi et similia. Haec est continua praxis, rationi congrua, et minime controversa. Hodiernus Vicarius Generalis, qui per plures annos fuit olim Vic. Curatus, ita testatur: « e che i Vice-parroci sebbene eletti dal Rmo Capitolo, sempre però dipendevano esclusivamente da me nell'amministrazione de' Sacramenti, assistenza ai moribondi e trasporti di cadaveri ».

Denique ad ultimum dubium *An explicatio S. Evangelii haberi debeat a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu;* reponit Advocatus, certe S. Evangelii explicationem spectare ad curae animarum exercitium, et hinc eamdem Vicario Curato competere. Per Evangelii enim explanationem fideles parantur ad sacramenta rite suscipienda. Praxis vero, magis quam littera Constitutionum, hoc confirmat, ait patronus qui ex allatis documentis haec probari confidit; scilicet : *a)* Omnes praedecessores actualis Vic. Curati Evangelium semper explicaverunt. Sunt attestationes-duorum Vic. Curatorum adhuc superstitum, qui fongissimum temporis spatium comprehendunt, nempe ab an. 1866 ad an. 1891 ; et cum fateantur hoc fecisse « seguendo la pratica degli antecessori » ultro patet, usque a primordiis, nempe ab anno 1852 continuo eumdem morem prosecutum fuisse. *b)* Etiam actualis Vic. Curatus ab anno 1891 Evangelium iuxta solitum explicavit, adeo ut, eo impedito, alios sacerdotes delegare sollicitus fuerit, c) Per quinquaginta annorum spatium populus assuevit verbum Dei audire infra Missam vulgo dictam « dell'Aurora », quam omnibus diebus Dominicis Vic. Curatus celebrat, ita ut Evangelii explicatio tamquam ipsius stricta obligatio semper inter fideles considerata fuerit.

Advocati qui Vicarii Curati patrocinium susceperunt, totius quaestionis resolutionem in I.° capite concordiae a Pio IX f. r. per bullam approbatae inveniri putant. Hoc caput eiusdem conventionis ita sonat : *At nempe Cura actualis sic unita cum habituali exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario Curato.*

Haec verba forsan paullo obscuriora videntur, quia cura actualis, in sensu iuris canonici, nihil aliud est quam curae exercitium. Propterea advertunt advocati, difficile concipitur quomodo cura actualis inesse possit Capitulo, et curae exercitium, quae idem est,'Vicario. Sed difficultatem, aiunt, evanescere si consideretur, ad Capitulum, ex eadem bulla, deberi fructus stolae, qui ex cura animarum, idest

ex actuali cura, promanant: ex quibus Capitulum omnia onera sustinere debet vel curae actuali inhaerentia, exempli gratia stipendium de missa pro populo solvendum. « Et quoad reditus ex curae animarum exercitio provenientes statutum fuit, ut ex reditibus huiusmodi tum incertis trecenta annua scutata Monetae Melitensis a quovis onere prorsus immunia Vicario Curato loco congruae perpetuo assignata remaneant, tributa eidem Vicario potestate suos faciendi proventus ex oblationibus quas vocant Parochialis Benedictionis derivantes. Residui vero fructus, detracta annua pensione antiqua perpetua aliorum quinquaginta scutatorum Monetae Melitensis paris quae Apostolicis Literis eiusdem Pii Papae Septimi Praedecessoris ad favorem pro tempore existentis Rectoris Parochialis Ecclesiae Casalis Diugli praefatae Meliten. Dioecesis reservata reperitur, nec non dempta mercede pro duobus Vice-Parochis ab ipso Capitulo deputandis et ad eius nutum amovibilibus ac deducta denique eleemosyna Missarum pro populo, cedere debeant favore Dignitatum et Canonicorum praefatorum et inter eos distribui ad formam earumdem Literarum Pii Papae Octavi Praedecessoris ». Hoc sensu iuxta advocatos, dictum est curam actualem ad Capitulum pertinere, nempe quod spectat, ut ita dicatur, ad eius temporalia et oeconomicam administrationem : firma manente regula, ut, quod attinet ad administrationem spiritualem omnimodam, idest ad eius liberum exercitium, Vicario pertineat.

Ex quo deducunt advocati, totam actualem curam (quae est curae spiritualis exercitium, excepta idest ut supra temporali administratione) Vicario competere.

Admittunt equidem advocati quod capitulum alio capite conventionis nititur, in quo Vicarii officium coarctari, et ad unicam sacramentorum administrationem restringi de-' cernetur. « Ut ad Vicarium ipsum Curatum spectet tantum Administratio Sacramentorum et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium stricte respicit, sit ei commissum, salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus

et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori debeantur ». Sed hoc caput, iuxta advocatos, idem sonat ac praecedens.

Re vera quamvis hoc caput solam sacramentorum administrationem complecteretur, optime notat Reiffenstuel quod « generali commissione administrandi sacramenta, censetur universam committi curam animarum » *(tit. 3. lib. 4, dec. n. 83),* at caput non solam sacramentorum administrationem complectitur, sed etiam quidquid actualis animarum curae exercitium stricte respicit. — Haec duo simul iuncta, iuxta advocatos, totam praecise constituunt actualem animarum curam, quae est spirituale exercitium, quam Vicario competere dictum est. — Verba autem quae sequuntur « salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo ut Ecclesiae Rectori debentur » clare indicant fructus stolae, idest temporalis actualis curae administratio, quae Capitulo, iuxta advocatos, reservatur.

Ceterum quod hoc alterum caput conventionis idem significet ac primum suadere conantur advocati. Primum enim, quum generale sit et totam actualem curam favore Vicarii contineat, alterum, quin primo contradicat, hanc curam limitare non potest.

Capitulum opponere nisum est quoddam decretum a Vicariatu Urbis editum, quo videtur ita bulla intelligi, ut non omnis actualis cura Vicario Curato concredatur. — Sed frustra, iuxta advocatos : nam Vicariatus haud iuris ordine servato, auditis partibus pronunciabat : nec illi munus commissum est ut de istiusmodi controversiis, ad Urbis administrationem spiritualem non spectantibus pronunciet. — Vicariatus, occasione petitionis Card. Vicario porrectae de iure aggregandi ad piam consociationem vulgo *delia s. Famiglia,* cui ipse praesidet, rogatus est num idem ius Capitulo vel Vicario Curato competeret. Vicariatus idem ius Capitulo adiudicavit; sed quisque videt iudicium istud huic causae nullum praeiudicium inferre, saltem ex eo,

quod, non in legitima contradictione partium, nec iudiciaria forma datum est.

Quod si, his non obstantibus, dubia videretur bullae interpretatio stante dubio, iuxta advocatos, interpretationis ratio, quam ipsi proponunt, admittenda foret. Nam in dubio confugere oportet ad ius commune. Quum igitur ad iuris communis normam non sit dubium, quin Vicario perpetuo tota actualis cura competat, recte inferre tur, ita bullam accipiendam esse, ut tota actualis cura Vicario commissa existimetur: excepta tantum eius temporali administratione, quae in fructuum stolae perceptione consistit, quaeque expresse in bulla Capitulo adiudicata est.

Eoque magis, iuxta advocatos, quod in casu haud prorsus abest quaelibet obreptionis suspicio in Literis Apostolicis, quibus Capitulum nititur. — Quo posito, ex ista quoque ratione vel ad ius commune redeundum est, vel saltem, ad normam iuris communis contra Capitulum in Bulla interpretanda iudicandum erit. Obreptionis suspicionem in eo locant advocati, quod Bulla Papae Pio IX ad Capituli petitionem prodierit, et in Capituli petitione, ut patet ex Bulla, affirmatum fuerit, praecedentem Papae Pii VIII Bullam Capitulo universam curam actualem et habitualem committentem, supervenientibus difficultatibus effectum sorti tam non fuisse. Quapropter Pius Papa IX, ad tramitem accepti libelli declarat se confirmare praedecessoris Bullam, nondum exequutioni demandatam in iis omnibus quae novae conventioni non adversantur. At ex documento, quod exhibent advocati, patet Bullae Pii Papae VIII, non solum executioni demandatam non fuisse, sed ab ipso Pontifice revocatum fuisse. — Quod, iuxta advocatos, quum aliud sit, exprimi debebat, ex eo praesertim quia Capitulum curam actualem et habitualem sibi vindicans, hoc praecipue fundamento nitebatur.

Eoque magis adhuc advocati prosequuntur, quod nisi universa cura actualis ab uno exerceatur, incommoda gravissima sequuntur. Ad quod probandum advocati referunt

notissimam Galtellinorensem causam pluries apud S. V. O. disceptatam, intra Capitulum et Canonicum Parochum Galtellinorensis Cathedralis Ecclesiae: et testem invocant experientiam, quae docet, munia ad actualem curam pertinentia, plerumque negligi, quum non uni Parocho vel Vicario, sed universa capitulo committantur. Tunc referunt in praesenti causa, continua impedimenta a Capitulo obiecta fuisse libero curae exercitio, non sine fidelium discrimine eo usque, ut Capitulum protestationem emittendam censuerit, cum declaratione, nempe se acturum contra Vicarium prout de iure, quia hic, quum quoddam decretum Ecclesiae laesivum emanatum fuisset e gubernio, ceteris Parochis conquerentibus vocem suam adiecit.

Hisce perpensis concludunt advocati ad primum dubium *affirmative* respondendum esse, aut saltem affirmative, excepta fructuum stolae perceptione, si hanc reservationem in responsione exprimere placeat. Ad sequentia dubia, iuxta advocatos, *provisum in primo* respondendum est, quum ambigi nequeat, quin ei, qui universam actualem curam agit, spectet doctrinam pueros docere, eos ad sacram Synaxim parare et aptos iudicare, missam celebrare pro populo, Evangelium explanare, et coadiutoribus in eodem curae actualis exercitio assignatis praesidere. Dubitari tantum posset de emolumento a gubernio soluto: quippe quod aliquo modo fructibus stolae aequiparari posse videretur. Sed re inspecta iam patet, iuxta advocatos, longe aliud sentiendum esse, nam emolumentum tunc est assignatum quum gubernium coemeterium publicum instituit : ea expressa de ratione, quia qui pauperes antea in Ecclesiis tumulandos, ad coemeterium efferre debebant , maius incommodum sentiebant. Quum igitur emolumentum incommodi gratia detur, haud fructibus stolae aequiparandum est, sed Vicario, qui incommodum re vera sustinet, quique cadavera pro munere stricte parochiali associandi ius habet, tribui debet.

Quod autem ita responderi debeat, ad primum nempe dubium *affirmative,* ad sequentia *provisum in primo,* facta

expressa declaratione *pro tertio* ad ambiguitates remo vendas; confirmatur, iuxta advocatos, ex quadam S. C. C. resolutione, quae in causa admodum simile *Ripana* Iurium parochialium die 15 dec, 1725 edita est. Agebatur, ut hic de cura habituali cum actuali cumulata in Praeposito terrae Aquavivae, eo forte sensu, qui super iudicatus est : nam exercitium non soli Praeposito competebat, sed etiam, turnatim, duobus capellanis, qui rurales Ecclesias gubernabat. S. Congr. Conc. sanxit hoc proposito dubio: *An cura animarum tam habitualis quam, actualis in Ecclesia Parochiali S. Nicolai terrae Aquavivae spectet privative ad Praepositum? - Curam habitualem et actualem esse penes Praepositum, et exercitium curae esse penes eumdem Praepositum et beneficiatus.*

Quum postea, in quo consisteret huiusmodi exercitium, determinari deberet, celebri Cardinali Petra commissum est ut Decretum exararet, quod postea die 4 Maii 1726, et iterum, addita clausula *et amplius,* die 26 Novembris 1762 a Congr. generali approbatum est. Ex hoc Decreto expresse eruitur, omnem actualem curam, exercitii titulo, fuisse comprehensam : et munia quoque docendi pueros christianam doctrinam, praeparandi pueros ad sacram Synaxim de quibus hodie quaestio est : « In aliis functionibus mere parochialibus tam praepositus, quam beneficiati turnarii possent in solidum procedere, prout unus vel alter fuerit a parochianis requisitus, proinde alteruter possit, altero irrequisito, sacramenta administrare, pueros et puellas ad primam eorum susceptionem approbare, et admittere, sacramentum eucharistiae in satisfactione praecepti Paschalis administrare, assistere matrimoniis. Doctrinam Christianam tam Praepositus quam beneficiati simul publice docere debeant statutis temporibus, missam vero parochialem teneantur alternate celebrare et applicari, in eaque, qui celebrat, Evangelium explicet : debeat etiam publicas denunciationes tam pro matrimoniis celebrandis quam pro ¡promovendis ad Or-

diñes, monitoria excommunicationis promulgare, sicut etiam denunciationem festi vitatum ac indulgentias promulgare ».

Quod si per hypothesim, quam advocati non admittunt ex Piana constitutione, non omnia munia quae ad Parochum actualem competunt, Vicario competerent, sed ea tantum quae ad illam curam strictius referentur, attamen advocati asserunt munia de quibus agitur ad illam strictissime sumptam referre. De S. Evangelii explanatione non loquuntur, quam Capitulum admittit a Vicario faciendam esse, immo ab eo non fieri conqueritur : Vicarius vero se ad eam teneri non negat, sed nunc omittit, quia administrationi sacramentorum quae ac tantum competere Capitulum dictitat, non annumeratur. Quoad missam pro populo recolit ex Concilio Tridentino et Benedicti XIV const. « Cum semper oblatas », ea adeo stricte ad curam animarum pertinere, ut non modo Parochis et Vicariis perpetuis, sed omnibus, quicumque curam agant, vel perpetuo, vel ad tempus, vel inamovibiliter, vel ad nutum alterius iniungi. Concilium Tridentinum haec habet : « ac praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre » *(sess. 23, cap. 1).* Benedictina constitutio, ita cavet: — «Huius porro epistolae ad vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro populo ipsorum curae commisso... (§ 1) — itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu curam animarum exercent et non solum Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifice et individue mentione digni aeque teneantur missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso » (§ 41).

Immo aiunt advocati, missam pro populo non solum omnibus quocunque titulo animarum curam agentibus im-

poni, sed ea rigiditate, ut per se sublata 'delegandi facultate, applicare teneantur (S. O. C. *Fesulana,* 26 Ian. 1771; *Castri Albi,* 18 Iul. 1789). Haec omnia auctores comprobant, quos inter advocatus citat Vecchiotti *(lib. II, c. VIII, Inst. Eccl.)* Monacellum *(form. leg. I. 1, p. 32 a 54)* et Gonzalez *(I. III, decr. tit. De parodi. 29 e II).*

Hoc confirmant per S.- C. O. iurisprudentiam, quae assidue missam pro populo ut ad curae exercitium strictissime pertinentem existimavit. Et praesertim in Patavina *Missae pro populo* 14 Apr. 1804 nostrae admodum simili: nam cura actuali existente penes Capitulum, limitatum curae exercitium, vicariis concredebantur.

Gradum facientes advocati ad dubium de fidei rudimentis pueris docendis, advocati, ut probent vel ius istud stricte ad curam animarum pertinere, recolunt constitutionem Benedicti XIV, quae incipit *Etsi minime.* Ibi haec habentur: « Duo potissimum onera a Tridentino Synodo curatoribus animarum sunt imposita : alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant ; alterum ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent » (§ 5).

Inde eruitur, onus fidei rudimenta docendi curam animarum agentibus, non Parochis, praecipi : quod significat id stricte curae animarum inhaerere, ita ut omnis, quicumque, quovis titulo curam agat, eo teneatur. Eruitur etiam onus idem ex eodem fonte manare et idem fere esse, obiecto mutato, ac onus S. Evangelium explanandi. Ergo si Capitulum ultro admittit, S. Evangelii explanationem stricte ad Vicarium pertinere, non diverse de impartienda pueris catechesi iudicari potest. — Quod confirmatur ex auctorum sententia, qui assidue duo onera aequi parant et de iisdem, unico contextu, loquuntur. Porro Maschat ita se habet : « Tamquam pastor obligatus diebus festivis populum verbo divino pascere, rudimenta fidei explicare » (Maschat, *inst. can. ad tit. De parodi. 9, 3, pag. 193. vol. II).* Cui concinit Vecchiotti : « pueros rudesque personas christianae

fidei rudimenta ac vitae praecepta edocere atque etiam dominicis festisque solemnibus concionem ad populum habere, eique per se, vel alterius opera uti Parochi se rite destinari dignoscant, exponere et explanare quae ad aeternam salutem necessaria sunt » — *(loc. cit.).*

Hinc — concludunt advocati, ad quaestionem hanc quod attinet, sua Capitulum confessione iugulari.

Quare eadem advocatorum est sententia, ad quaestionem quod attinet, de iure parandi adolescentes ad S. Synaxim eosque aptos declarandi. Nam hoc ius ex eodem rursus principio profluit, et eandem fere naturam habet, ac ius fidei rudimenta docendi. Quapropter cui unum competit, et alterum competere debet. Ceterum hac de re habemus S. C C . declarationem in causa Ripana superius memorata. — In decreto Card. Petra quod S. Congr. confirmavit, ius istud parandi adolescentes ad S. Synaxim inter munia mere parochialia recensetur. Quapropter id strictissime ad curam animarum pertinere autumant advocati.

De emolumento a gubernio soluto pro cadaverum pauperum associatione non aliud sentiunt advocati. Revera animadvertunt, cadaverum associationem dubio procul muneribus annumerari, quae curam animarum stricte respiciunt. Quapropter, novo Vicario onere imposito, et remuneratione, pro maiori incommodo, a gubernio concessa, omnia iura clamant et aequitas exposcit, ex supra recensitis, ut cui onus et incommodum est impositum, ei commodum cedat.

De dependentia Vice Parochorum, observant advocati illud stricte animarum curam agentibus esse proprium, ut quicumque ad eos opitulandos in gravi ministerio deligantur, illis omnino subiiciantur.

Id nisi fieret, mira oriretur confusio ; nam a pluribus, suo arbitrio agentibus, recte paroecia gubernari non potest.

Quin etiam inutile evaderet adiutorium Vicario oblatum ; nam si Vice-Parochi, in cura animarum agenda ab eo omnino non dependerent, nullam ipse haberet potestà-

tem, qua, in casu impedimenti, nolentes, ad suas vices explendas, obligaret.

Quoad vero deputationem Viceparochorum advocati fatentur eam ad tramitem bullae competere Capitulo, sed tenent ad incommoda vitanda, necessarium esse ut deputatio cum consilio et assensu Vicarii fiat. Secus enim quisque videt rationabiliter timendum esse ne ii Viceparochi eligantur, qui cum a Vicario aliqua de causa se discordes exhibeant, rectam curae administrationem in discrimen adducant.

Huc perducta oratione, obiectionem advocati praeoccupant ex consuetudine forsan deducendam : nam Capitulum tenet hucusque recensita munia a se, non a Vicario Curato, fuisse exercita. Sed primum respondent advocati, ex Piana constitutione non tantum temporis effluxisse, ut quamvis observantia certa esset, Vicarii ius praescriptum haberetur. — Eoque magis quod Vicarii curati ratio agendi eius successoribus non ita nocere poterat, ut constitutionem per se intellectu perspicuam conni vendo labefactarent. Sed longe abest, iuxta advocatos, ut observantia certa sit, quin etiam contrarium demonstratur. Et re vera, quod missa pro populo ad nostra fere tempora a Vicariis applicata fuerit, testantur, qui in vicarii munere, praesentem Vicarium praecesserunt.

Iidem affirmant, pluribus attestantibus sacerdotibus, ad nostra fere tempora, catechesi pueris impartiendae Vicarium praefuisse. Idem ius circa munus parandi adolescentes ad S. Synaxim et aptos declarandi vindicant Vicario disertissima testimonia, itemque comprobatur de Vice-Parochorum dependentia, et advertunt advocati quod ubi primum ab obedientia hi defecerunt, gravissima incommoda, in gregis detrimentum, intulerunt. Nec aliud denique asserunt patroni, de associatione cadaverum pauperum : quam Vicarius, ad nostra usque tempora vel per se explevit, vel per Vice-Parochos si quo impedimento ipse detineretur.

Quibus animadversis, sequentia fuerunt proposita diluenda

Dubia

1. — *An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario Curato, in casu.*

Et quatenus *Négative:*

2. — *An Missa pro populo celebranda sit a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu.*

3. — *Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in Collegiata, in casu.*

4. — *Cuinam competat ius docendi pueros catechesim praeviam S. Synaxi, eosque aptos designandi, in casu.*

5. — *An Vicario Curato vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu.*

6. — *An Vicario Curato vel potius Capitulo ius competat deputandi Vice-parochos, in casu.*

7. — *An et quomodo praedicti Vice-parochi a Vicario Curato dependere debeant, in casu.*

8. — *An explicatio S. Evangelii haberi debeat a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 20 Decembris 1902 censuit respondere:

Ad I. *Afjßrinative quoad exercitium curae animarum.*

Ad II. *A Vicario Curato, soluta eleemosyna a Capitulo.*

Ad III. et IV. *Vicario Curato.*

Ad V. *Dilata et ad mentem.*

Ad VI. *Competere Capitulo.*

Ad VII. *Affirmative in iis quae respiciunt curam animarum.*

Ad VIII. *A Vicario Curato.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIA quoad excipiendas confessiones Regularium variorum Ordinum.

Titio, sacerdoti approbato ad audiendas Confessiones non raro contingit Confessiones excipere regularium variorum Ordinum. Quare, quo prudentiore agat ratione, ab hoc sacro Tribunali enixe postulat solutionem dubiorum quae statim proponuntur hic infra :

I. Caius sacerdos regularis, sub vesperum accessit ad Titium, facturus exomologesim. Interrogatus de recepta a Superiore facultate, respondit Superiorem domo abesse nec eodem reversurum die, nullum autem alium in Conventu adesse praesentem sacerdotem. Potuitne, in hac domestici Confessarii inopia, a Titio valide et licite absolvi?

II. Inter facultates quas S. Poenitentiaria pro foro interno cum Confessariis communicare solet, legitur, N. VIII, facultas «absolvendi religiosos cuiuscumque Ordinis, dummodo apud te legitimam habuerint licentiam peragendi Confessionem sacramentalem... etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis ». Valetne illa facultas ad casus quolibet modo reservatos? Soliti enim sunt in religionibus casus reservari alii Superiori immediato, alii Provinciali, alii Generali. Istas tamen observare distinctiones Confessario extraneo valde fuerit difficile. Suadet igitur expeditus facultatis usus ut omnes comprehendat casus religionis proprios. Prudens ceterum Confessarius non omittet ea imperare quibus Ordinis bono vel iuri satis sit cautum.

III. Utrum Confessario regulari praefata facultate uti liceat, cum Confessionem excipit religiosi eiusdem Ordinis, ad quem pertinet ipse, ita ut in reservata proprii Ordinis polleat iurisdictione non formaliter a Superiore accepta, an contra coerceatur usus ad religiosos extraneos ?

IV. Utrum Superior qui Confessionem permittit, addita conditione, v. gr. : « Dummodo pro reservatis serves Ordinis consuetudinem », impedire valeat praefatae facultatis usum ; an contra, semel concessa confitendi licentia electus Confessarius habeat, vi facultatis Poenitentiariae, potestatem in reservata a voluntate Superioris plane independentem?

V. Num dicta n. IV. omnino transferenda sint in religiosum *itinerantem,* qui ad adeundum Confessarium extraneum expressa Superioris facultate non habuit opus?

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, ad proposita dubia respondet :

Ad I. Si Superior domus aliique Confessarii tamdiu absint, saltem per unum diem, ut grave sit religioso poenitenti toto eo tempore carere absolutione sacramentali, is licite et valide absolvier ab extraneo Confessario idoneo, h. e. approbato.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. Dummodo Confessarius regularis approbatus sit ad recipiendam Confessionem religiosi proprii Ordinis, *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad IV. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad V. Si Confessarius extraneus habeat a S. Sede facultatem absolvendi religiosos a casibus reservatis in eorum Ordine, *Affirmative,* secus, *Negative.*

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 14 Maii 1902.

B. POMPILI, *S. P. Datarias.*

L. * S.

I. PALICA, *S. P. Sabst.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CREMEN. An competat Dignitati Capituli, ius habendi presbyterum assistentem cum pluviali, quando celebrat loco Episcopi.

Instante Rmo Dno Ioanne Baptista Valdameri Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis Cremae, et unica Dignitate illius Capituli, Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis circa functiones solemniorum Festività tum, quae Pontificales nuncupantur, quaeque ad primam Dignitatem Capituli spectant, absente vel impedito Episcopo rescribendum censuit : « Servandum esse in omnibus Decretum generale n. 3865, datum die 9 Iulii 1895 ; neque com-

petere eidem Dignitati, quando celebrat loco et vice Episcopi absentis vel impediti, ius habendi Presbyterum assistentem cum pluviali ».

Atque ita rescripsit. Die 21 Novembris 1902.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

FICTAVIEN. de certa norma tenenda quoad observantiam Brevis de Canonicis ad honorem.

Expetenti Rmo D. Episcopo Pictaviensi certam normam circa observantiam Decreti n. 3817, seu Litterarum Apostolicarum in forma Brevis d. d. 29 Ianuarii 1894, quoad Canonicos ad honorem, Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit : *Servandas esse dispositiones praefati Decreti seu Brevis.*

Atque ita rescripsit. Die 14 Novembris 1902.

D. CARD. FERRATA, *S. B. C. Praef.*

L. * S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

LUGANEN. an manutenenda sit consuetudo thurificationis etc.

Hodiernus Rmus Episcopus Administrator Apostolicus Pagi Ticinensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur dubia pro solutione humiliter exposuit ; nimirum :

In aliquibus paroeciis huius Dioeceseos ritu Ambrosiano utentibus, occurrentibus solemnitatibus patronalibus ceterisque Festis cum exterior! pompa concursuque populi concelebratis, simulacrum Sancti, cuius solemnia perficiuntur, prius in medio templi exponi, deinde, pomeridianis horis, a sodalibus Confraternitatis in respectiva paroecia erectae, processionaliter deferri solet.

Hisce in adiunctis ab immemorabili viget consuetudo, ut, sive mane ad offertorium Missae solemnis, sive post meridiem

dum canitur *Magnificat* inter Vesperas, ab eo qui Diaconi munere fungitur, nonnullis Confraternitatis sodalibus cum intortitiis comitantibus, post Cleri incensationem, haec sacra Icon thure adoleatur. Hinc quaeritur:

I. An tolerari possit praefata consuetudo, nempe ut huiusmodi thuriñcatio fiat, uti supra describitur, a Diacono ?

II. Et quatenus *negative* ad I, an statuae in medio ecclesiae eminentis incensatio, tum intra Missam tum intra Vesperas prorsus omittenda sit?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. Attenta consuetudine, thurificari potest praedicta statua in Vesperis dumtaxat, ab ipsomet celebrante, post incensationem SSmi Sacramenti, ad normam Decreti n. 3547,, *Sancionen.* 4 Maii 1882.

Atque ita rescripsit. Die 28 Novembris 1902.

D. CARD. FERRATA *S. R.* C. *Pro-Praef.*

L. * S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen. *Secret.*

CONSTITUTIO Commissionis historico-liturgicae.

Ex quo *Commissio-Liturgica* apud S. Rituum Congregationem, a SS. D. N. Leone Pp. XIII, haud multis abhinc annis, constituta, muneri sibi demandato respondere sategit, non semel occasio data est considerandi, quaestiones quae proponuntur saepe partem historicam habere, interdum praecipuam, quae exorbitans videtur a praelaudatae Commissionis provincia ; unum quippe illi ex officio onus incumbit, quaestiones mere liturgicas opportuno examini subiicere, et super iis propriam aperire sententiam.

Quocirca Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, praefatae Sacrae Congregationis Pro-Praefectus, gravi eiusmodi ac urgenti necessitati occurrere, sui muneris esse duxit, atque hac de re ad SS. D. N. quamprimum referre censuit. Beatissimus Pater, qui alias tanto studio sacris historicis disciplinis.

incrementa dedit, perlibenter propositum Eminentissimi Viri excepit, probavit et sanxit, cum plane conforme peculiari illi impulsui invenerit, quem nuper, urgente temporum necessitate, Ipse dedit ecclesiasticae culturae, annuitque ut Decretum conficeretur ad creandam *Commissionem* alteram, titulo *historieo-Uturgicam.*

Commissionis igitur historico-liturgicae erit, multiplices historicas quaestiones revolvere, dilucidare, enodare, quae Agiographiam et Liturgiam tangunt, ac illas praecipue, quae eventualem respicere possunt emendationem aut reformationem liturgicorum Codicum, scilicet Martyrologii, Breviarii, Missalis, Ritualis et similium.

Subiicimus hic Decretum, quo S. Congregatio laudatam Commissionem constituit.

DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio, probante SSmo Dno nostro Leone Papa XIII, peculiarem Commissionem historico-liturgicam constituit, quam constare voluit ex sex eximiis Sacerdotibus RR. DD. Aloisio Duchesne, Iosepho Wilpert, Francisco Ehrle, Iosepho Roberti, Humberto Benigni et Ioanne Mercati. Atque insuper, annuente eodem SSmo Dno nostro, Sacra eadem Congregatio sibi facultatem reservavit seligendi in posterum nonnullos socios consulentes, qui ad opus apti videantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Novembris 1902.

D. CARD. FERRATA, *Pro-Praef.*

L. « S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E *sociis eonsulentibusj* de quibus in Decreto, plures, uti nobis relatum est, deligentur et de exteris nationibus, cultores eximii studiorum historiae, palaeographiae et critices, quibus ipsa Commissio speciales proponet quaestiones, prout argumentum postulare videbitur, seu locorum exiget ratio.

Praeses Commissionis renunciatus est R. P. D. Aloisius Duchesne, Protonotarius Apostolicus; *Secretarias* Rev. Ioannes Mercati, e Scriptoribus Bibliothecae Vaticanae.

DE QUERETARO quoad consuetudines servandas etc.

Hodierni Caeremoniarum Magistri in Ecclesia Cathedrali de Queretaro in Mexicana Ditione, de consensu et approbatione Rmi sui Episcopi, quae subsequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuerunt; nimirum :

I. In ecclesia Cathedrali de Queretaro, a tempore suae erectionis, qualibet tertia Dominica mensis, Missa Conventualis canitur coram SS. Sacramento palam exposito, quod processionaliter per ecclesiam gestatur, dictis in Choro, post Missam, Sexta et Nona. Nunc vero quaeritur : An licite continuari possit mos cantandi Missam praefatam coram SS. Sacramento.

II. Ex praescripto Caeremonialis Episcoporum, Lib. I, Cap. 9, n. 6, et Lib. II, Cap. 29, n. 3, in Missis Pontificalibus « Confiteor » canendum est a Diacono, si facienda sit Communio generalis aut particularis aliquorum. Nonnulli vero Rubricistae, putant cantum « Confiteor » debere pariter habere locum in qualibet Missa solemni, licet non Pontificali, et quamvis sit de Requie, si S. Communio fidelibus in ipsa distribuatur. Quum autem hoc manifeste non constet ex ipso Caeremoniali, sed potius locus sit dubitandi, quaeritur: I. Utrum « Confìteor » cani debeat in omnibus Missis solemnibus, non Pontificalibus, et etiam de Requie, ante distributionem SSmae Eucharistiae?

III. Ex concessione Sacrae Rituum Congregationis, facta in approbatione kalendarii dioecesani, celebratur in Dioecesi de Queretaro Festum B. M. V. sub titulo *Refugium peccatorum,* ritu duplici 2. cl.; et usque nunc divinum Officium semper persolutum est ut in Festis B. M. V. per annum, praeter lectiones II Noct. quae sumuntur de die 8 Sept., mutato verbo «Natali» in « Festivitate ». In Breviariis vero, inter quos Ratisbonense, rubrica apposita in praedicta festivitate tantum dicit : « omnia ut in Festis B. M. V. per annum ». Hinc quaeritur: Quae lectiones II Noct. dicendae sint memorata die?

IV. Die 18 Iulii decurrentis anni, ad dubium : « Quinam versiculus sumendus est in Officio proprio S. Iacobi Apostoli, quod in Codice Hispano invenitur die 25 Iulii, ad II Vesperas,'; nam diversae editiones Breviarii non sunt inter se conformes? S. R. C. die 18 Iulii rescripsit: — In casu stetur Proprio Hispano ». Sed cum diversae istius Codicis editiones discrepent

inter se, nonnullae enim ponant versiculum «Annuntiaverunt» et aliae « Nimis honorati », nunc ergo iterum quaeritur: Qualis versiculus ex duobus praedictis dicendus est?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* de licentia tamen Ordinarii.

Ad II. *Quoad primam partem :* Dicendum *Confiteor* alta voce vel cantando, iuxta consuetudinem ; et *quoad alteram,* in Missis solemnibus sive cantatis de Requie, iuxta praxim Urbis, Communio distribui non solet, sed ubi ex rationabili causa distribuenda foret, Diaconus dicet *Confiteor* tantum alta voce.

Ad III. Ut in Festis B. M. V. per annum.

Ad IV. Dicatur versiculus : *Annuntiaverunt.*

Atque ita rescripsit. Die 28 Novembris 1902.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Pro-Praef.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

NAMURCEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Iuliae Billiart Fundatricis Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum, itemque de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Providentissimus Deus, qui investigabili sapientiae suae consilio « *infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat* » saepe nefariis ausibus perditorum hominum divina et humana omnia permiscentium opposuit muliebres vires, quae et illata Religioni damna sarcirent et impendenda pericula summoverent. Praeclara haec civilis societatis et Ecclesiae praesidia admirata maxime Gallia est labente saeculo XVIII cum scilicet haud unius sanctae feminae strenua opera « *arcus fortium superatas est et infirmi aeeineti sunt robore* » (I Reg. c. II, v. 4). Ad illustrem hanc aciem profecto pertinet Ven. Dei Famula Iulia Billiart de christiana republica per puellarum insti

tutionem optime merita eademque Mater Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

Ortum habuit in oppidulo Cuvilly Bellovacensis Dioecesis quarto idus iulias anno 1751. Qua morum innocentia puerilem aetatem egerit, qua doctrina religionis praestiterit inter aequales, id ex eo facile coniici potest, quod ipsi septenni munus fuerit commissum fidei rudimenta pueros puellasque docendi, eidemque novenni concessum sit ut sacrae mensae particeps fieret, idque secreto ne ceterarum invidiam excitaret. Annum agens decimum quartum se voto castitatis obstrinxit quo liberius caelesti sponso deserviret. Interim in dies crescentibus rei familiaris angustiis, ad parentum inopiam sublevandam vel agrestes labores aggressa est, ingenti cum fructu colonorum, quos inter ipsa versabatur haud minus operum socia quam pietatis magistra. Neque vero ceteros exemplo, consilio, adhortationibus iuvare destitit quamdiu crurium paralysi afflicta est, cuius causa duo et viginti annos in lectulo iacuit, mirae sane fortitudinis et patientiae documentum. Atque hoc, nimirum religionis provehendae studium odia in Ven. Dei Famulam conflavit factiosorum hominum, a quibus haud semel ad necem petita piorum ope evasit incolumis.

Ubi paulum resedit civilis illa tempestas, accidit ut Patres a Fide nuncupati, sacrae missionis causa, eas regiones peterent, duce R. P. Varin, qui.biennio ante Ven. Servae Dei auctor fuerat novae societatis instituendae ad christianam puellarum educationem. Tunc Iulia cum paucis, quas adsciverat sibi, sodalibus operam religiosis iis viris contulit saluberrimam, de rudioribus edocendis maxime sollicita. Quo vero utilius illo munere fungi posset, enixe a Deo petita est, continuoque impetrata sanatio a paralysi. Sic divinitus restitutis viribus alacrior effecta Iulia, asperrima per aestus, per glacies itinera suscepit, quae numquam fere intermisit, sive ut sodalitii sui, cui nomen a Domina Nostra indiderat, nova domicilia excitaret, sive ut iam institutis consideret melius. Quam quidem sollicitudinem atque constantiam uberrimus excepit fructus, sparso felici semine ferme ubique terrarum, constitutis domibus vel in remotissimis plagis, iisque religionis et optimarum artium laude florentibus, aucto denique in immensum alumnarum numero. In huiusmodi autem plane apostolico ministerio, etsi ardua multa multaque adversa nacta est, numquam tamen a patien-

tia, a caritate, a pia fiducia deflexit nec ardoris quidquam remisit; sed certare viriliter non ante desiit quam ad iustitiae coronam vocaretur in caelis.

Tot exantlatis pro Dei gloria et proximorum salute laboribus iisque brevi spatio quantum vitae superfuit a propulsata paralysi, simulque voluntariis cruciatibus extenuata, tandem anno 1816 adesse sibi finem persensit. Extremi morbi dolores aequissimo animo perpessa, et indubia sanctitatis indicia exhibens septimo idus Apriles caelestes virginum choros assequuta est. Eius adspectu potita, « *in quem desiderant Angeli prospicere».*

Vita functae vultus, recepto colore, nova quadam pulchritudine nituit; corpus aliquot post menses ab obitu, corruptionis expers repertum. Quae autem viventem prosequuta est fama sanctitatis, ea non defecit mortuam ; quin etiam Galliae fines praetergressa, per Belgium, per Angliam, per Americae regiones maxime propagata est, vigetque recens roborata miraculis quae per Ipsam a Deo patrata feruntur. His de causis, etsi serius, id est non ante annum 1881, testimonia collecta sunt et Processus instituti de vita rebusque gestis Ven. Servae Dei. Qua inquisitione ad iuris normam persoluta, res ad S. R. Congregationem devoluta est eaque triplici disceptatione de heroico gradu virtutum eiusdem Servae Dei actum est. Ac primum quidem pridie idus novembres anno 1901 habito coetu penes cl. me. Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella causae Relatorem; deinde octavo idus iulias superioris anni in aedibus Vaticanis; denique in Congregatione universa penes Ssmum D. N. Leonem PP. XIII. decimonono calendas Décembres eiusdem anni coacta, in qua Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata S. R. C. Praefectus, vice et loco praedicti Cardinalis Caietani Aloisi Masella causae Relatoris, discutiendum proposuit dubium « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum, itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia Ven. luliae Billiart in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur».* Omnium qui aderant tum PP. Cardinalium tum Consultorum agnitis perpensisque suffragiis Beatissimus Pater his verbis conventum dimisit : « *Ven. Dei Famulae luliae Billiart alte hiobis insidet menti vetus eaque iucunda recordatio. Quo enim tempore (sexaginta iam elapsi sunt anni) quum Nuntii Apostolici munere apud Belgas fungebantur, saepenumero graves e clero viros atque etiam*

episcopos audivimus efferre cum laudibus sanctimoniam huius praeclarissimae Feminae, quae illic, scilicet Namurci, sedem Instituti sui principem collocaverat. At vero in hodierno conventu excellentia virtutum eius per unanimes vestras et consultorum sententias visa est Nobis emicare splendidius. Vota hinc nuncupamus ut cognitio huius causae quantocius ad optatum exitum progressa, novum addat Ecclesiae sanctae ornamentum et decus, et Belgarum et Gallorum geriti feliciter benevertat. Verumtamen de virtutibus luliae Billiart decretoriam nostrum proferre iudicium, ut moris est, in cdiud tempus reservamus ».

Hodierna vero die, qua tres Sapientes Deum puerum adoratum perrexerunt, sacris piissime operatus in privato Suo Sacello, nobiliori huic aulae Vaticanae successit, et ad se accivit Rmum Cardinalem Dominicum Ferrata S. R. Congregationi Pro-Praefectum Causaeque Ponentem, in Cardinalis Aloisi-Masella vita defuncti locum, suffectum, una cum R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemniter edixit : « *Ita constare de virtutibus V. luliae Billiart in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur ut procedi possit ad ulteriora, id est ad quatuor miraculorum discussionem* ».

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit, octavo idus ianuarias anno 1903.

DOMINICUS CARD. FERRATA, S. *R. C. Pro-Praefectus.*

T S
^

f DIOMBDBS PANICI, Archiep. Laodicen.
5. *R. C Secretarius.*

BAIOCEN Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei loannis Eudes Missionarii Apostolici Institutoris Congregationis lesu et Mariae atque Ordinis Dominae Nostrae a Caritate.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Pulchrum sane est atque iucundum a praesenti facie maiorum, quibus afflictatur Ecclesia, praesertim ob religiosas Fa-

milias vesana coniuratione petitas, mentem animumque avocare, propositis ad intuendum. virtutibus et gloria illorum, qui eiusmodi societatum conditores exstiterunt « *quorum eum semine permanent bona* » non Ecclesiae modo, sed civili etiam reipublicae prope infinita. Inter hos, quorum pleraque nomina gaudemus scripta esse in caelis, praeclarum obtinet locum homo vere missus a Deo, ut patriae suae in pessima quaeque menti, iustitiae et caritatis esset exemplar, Ven. Dei Servus Ioannes Eudes.

Ortus est in pago Ry Sagiensis dioecesis decimoctavo Cal Décembres 1601. Adolescens a piissimis parentibus egregii sacerdotis curae commissus, maturae sanctitatis indicia praebuit. Nondum enim bilustris impactam sibi a condiscípulo alapam sic excepit, ut submisso poplite alteram genam praebuerit. Annos natus 14 castitatis voto se obstrinxit; mox in Gadomense Collegium S. I. se contulit daturus operam litteris ac philosophiae; cuius doctrinae capita quaedam publice strenueque defendit. Domum reversus optabiles nuptias a parentibus propositas renuit, cupidus, etiamsi invito patre, totum se Deo mancipandi. Quamobrem in Cadomensem civitatem discendae theologiae causa est restitutus; quo in studio consilium iniit vitae degendae in Congregatione Oratorii Berulliani, cui erat propositum et sacras missiones obire et Seminaria condere, sicubi collapsa clericorum disciplina postularet.

In eo domicilio mirum quantum profecit sive ut suae sive ut aliorum saluti consuleret. Erat primum doctrina eius et pietas ita probata, ut, vel ante susceptos sacros ordines, concionandi munus fuerit ipsi commissum. Sacerdotio auctus, ob diuturnas corporis afflictationes, in morbum incidit; quo convalescens, biennio in studia sacrarum Litterarum incubuit, mox gravius vitae periculum initurus. Nam, quum anno 1627 Asiatica grassari lues in Sagiensi dioecesi coepisse!, pedes eo se contulit, ac, ne quaesitis quidem inspectisve parentibus, per loca magis infecta, corporibus animisque curandis versatus est. Idem praestitit Argentonii civibus, idem Cadomensibus anno 1631; qua in horribili peste, unum illud cavens ne aliis ipse contagionem inferret, noctu intra dolium in prato quiescebat; quod pratum sancti est appellatum.

Propter magnos labores iterum morbo affectus ex eo ubi primum convaluit, totum se sacris missionibus devovit; quo a.

munere per varias regiones obeundo non illum deterruit addita dignitas Praepositi Domui Cadomensi. Fusis deinde precibus, additis, ieiuniis, peregrinationibus, auditisque viris prudentissimis, ab ea Congregatione se tandem, Deo sic disponente, segrega vit. Tum vero presbyterorum coetum instituit titulo Congregationis Iesu et Mariae propositis missionibus ac Seminariis. Quod quidem gravem in sanctum virum invidiam conflavit, ipso tamen omnia patientissime ferente ac vocante amicos et benefactores eos qui sibi essent infensi. Idem Seminaria multa constituit: ordinem Filiarum B. Mariae Virginis a caritate condidit excipiendis et ad meliorem frugem revocandis malae vitae foeminis; piae Societatis a Corde admirabili Matris Dei exstitit parens; auctor etiam liturgici cultus SS. Cordium Iesu et Mariae. Inter haec et scripta multa praeclare edidit et prope innumeras missiones obivit, saepe coactus, propter hominum frequentiam, extra urbem concionari sub dio.

Tot consumptus laboribus, ubi vitae finem adventare sibi sensit, morbi cruciatibus invicta patientia toleratis, sodalium corona septus, sanctissimum Christi Corpus in genua provolutus recepit, quo suavissime recreatus, haud ita multo post evolavit in caelum decimo quarto cal. Septembres an. 1680.

Fama sanctitatis, quam Ven. Dei Servo tot admirabiles virtutes conciliaverant, post obitum illustrior evasit, ultro se prudens per communem significationem doloris, per populi concursum ad funus, per honores tamquam sancto viro exhibitus, per desiderium reliquiarum. Nec fama ipsa se intra vulgi fines continuit, sed viguit etiam penes viros doctrina aut sanctitate clarissimos. Quibus omnibus quum iubar miraculorum accessisse!, quae ipsius intercessione a Deo patrata ferebantur, instantibus totius Galliae episcopis et Clero una cum Congregatione Iesu et Mariae, Ven. Servi Dei Ioannis Eudes Causa canonizationis agi coepta est, duobus prope saeculis ab eius obitu. Subinde, omnibus apud SS. Rituum Congregationem ad iuris normam absolutis, de heroicis virtutibus Ven. Servi Dei quadruplex habita est disceptatio; primam antepraeparatorio coetu apud cl. me. Cardinalem Miecislaum Ledochowski causae Relatorem decimo octavo calendas décembres 1890 : altera et tertia in duplici praeparatorio conventu, indicto in Aedibus Vaticanis decimo quinto calendas ianuarii insequentis anni, et septimo calendas Septembres anni nuper elapsi; quarta denique

in Congregatione universa ibidem penes SSmum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII, coacta decimo septimo calendas ianuarias eiusdem anni; in qua Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata S. R. Congr. Pro-Praefectus et Causae Relator discutiendum proposuit dubium: « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Dei Ioannis Eudes in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur»,* Rmi Cardinales et Patres Consultores suam ordine protulere sententiam. At Beatissimus Pater a mente Sua illico aperienda abstinuit, significans tamen quod: « *Quum agitur de Ioanne Eudes, agitur de praeclarissimo viro qui non solum vitae sanctimonia ad exemplum eluxit, verum etiam solerti animarum salutis studio et praesertim per sodalitatem ab eo institutam late hominibus et ad perennitatem profuit. Admodum ergo cupimus ut super virtutum excellentia tum huius Ven. Famuli Dei, tum Ven. luliae Billiart de qua in postremo conventu egimus, decretoriam dicere sententiam Nobis quam primum liceat. Eo vel magis quod utriusque parens est Gallia: Gallia, inquimus quam turbolentissima modo tempestas divexat, spem inde bonam novi apud Deum patrocinii sibi oblatam sentiet ».*

Tandem hodierno die, quo Iesus Puer a tribus sapientibus adoratus est, sacris ante religiosissime litatis in privato Sacello, ad Se arcessivit Rmum Cardinalem Dominicum Ferrata S. R. C. Pro-Praefectum Causae Relatorem una cum R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemniter declaravit : « *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum, itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Ioannis Eudes in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut ad ulteriora procedi possit, id est ad quatuor miraculorum disceptationem ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta S. R. C. referri iussit octavo idus ianuarias anno 1903.

D. CARD. FERRATA, S. R. C. *Pro-Praef.*

L. S.

-f D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

PARISIEN, seu BELLOVACEN. Beatificationis seu Declarationis martyrii VV. Servarum Dei Theresiae a S. Augustino et Sociarum eius Monialium e Monasterio Compendiensi Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.

Saeculo decimo octavo prope exeunte, et magna rerum perturbatione per Gallias furente, quamplurima hominum millia cuiusvis aetatis, sexus et conditionis, vinculis, verberibus, omni supplicio excruciatos atque etiam necatos fuisse compertum est. Sed illius perturbationis ipsae victimae innocentes, non ideo Christi martyres dicendae sunt. Super quasdam tamen religiosas feminas ex Carmelitis excalceatis, Monasterii Compendiensis, de Causa beatificationis seu declarationis martyrii quaestio facta est. Communis enim opinio, magis in dies invalescens, haec erat, Lutetiae Parisiorum praedictas Dei fámulas se Deo in holocaustum obtulisse pro religione (it patria ad tranquillitatem et pacem utrique societati comparandam: atque iniurias, carcerem et mortem invicto animo passas fuisse. Quapropter sanctimoniales virgines Ordinis Carmeli Parisiis degentes, suis aliarumque consodalium votis obsecundantes, ab Emo et Rmo Dno Cardinali Francisco Richard Archiepiscopo Parisiensi enixe postularunt atque obtinuerunt, ut in illa ecclesiastica curia, iuxta formam Decretorum Sacrae Rituum Congregationis, Inquisitio Ordinaria fieret super fama martyrii, causa martyrii et miraculis seu signis harum Servarum Dei, quarum nomina cum laudis testimonio infra recensentur: Magdalena Claudia Lidoin seu Mater Theresia a S. Augustino quae prima occurrit, Parisiis orta an. 1752, et in fidem et tutelam ab Aloisia Galliarum recepta, anno aetatis vigesimo primo in civitate Compendiensi carmeliticum ordinem ingressa est. Virtutis et sacrificii amore acta, ceteris praeibat et in antistitam electa, verbo et exemplo sorores ad christianam fortitudinem et patientiam excitabat. Semel et iterum, capta occasione, sibi suisque sodalibus martyrii palmam veluti faustissimum bonum publice adprecabatur. — Maria Francisca Bideau seu Sor. a S. Aloisio, eodem anno 1752 nata, quum octodecim esset annorum religiosa effecta est, atque silentii et solitudinis exemplar. — Maria Piedcourt seu Sor. a Iesu Crucifixo, Parisiensis, pietate et charitate in proximum praestans. — Maria Thouret seu Sor. a Resurrectione, monialibus infirmis sedula curatrix. — Maria Claudia Brard seu Sor. Euphrasia ab Immaculata Conceptione

ob eximias animi dotes Reginae Mariae Leczinska valde dilecta. - Maria Francisca de Croissy seu Sor. Gabriella Henrica a Iesu, quae poeticum sortita ingenium, versibus et virtutibus communitatem recreabat. — Maria Anna Hanisset seu Sor. Theresia a S. Corde Mariae, prudentia excellens. — Maria Gabriella Trezel seu Sor. a S. Ignatio, ob assiduam cum Deo unionem thesaurus absconditus nuncupata. — Rosa Chrétien, vidua de la Neuville seu Sor. Iulia Aloisia a Iesu, quae ardentem indolem cum christiana humilitate perbelle composuit. — Anna Pelras seu Sor. Maria Henrica a Providentia quae intrepido animo causam odii et necis ab accusatore quaesivit, eamque cognitam sororibus manifestavit. — Maria Ioannae Meunier seu Sor. Constantia ita fortis et constans ut certaverit in suos ne separaretur a sodalibus iri agonem redactis. — Angelica Rousselle seu Sor. Maria a S. Spiritu quae per integrum vitae cursum atroces diuturnasque aegritudines patienter tulit. — Maria Dufour seu Sor. a S. Martha virtutum exercitatione quotidie proflciens. — Stephana Ioanna Vézotal seu Sor. a S. Francisco Xaverio ob festivam ac sinceram indolem omnibus amabilis. — Catharina Soiron, prudens ac pia in monasterio ianuae custos. — Et Theresia Soiron soror eius germana et iunior quae monialibus carmelitis inservire praetulit in humili domo, potiusquam nobilissimae feminae eam expetenti in aede sumptuosa. — Istae Dei Famulae primum a monasterio eiectae, etiam extra claustrum suam regulam secutae sunt. Deinceps comprehensae et in custodiam tum Compendii tum Lutetiae Parisiorum traditae, Sacratissimi Cordis Iesu salutiferam devotionem ibidem evulgarunt hymnisque a se compositis praedicarunt. Capitis damnatae et causam mortis scientes, invocato Sancto Divino Spiritu cum hymno ecclesiae, baptismi promissa religionisque vota renovarunt. Demum a Matre Priorissa benedictione accepta, una post aliam, laeto hilarique vultu et animo Deum collaudantes, quasi ad victoriam et ad triumphum progrederentur, Parisiis die 17 Iulii anno 1794 omnes interfectae sunt: et quomodo in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separatae. Absoluto igitur supradicto Processu Ordinario, eoque Romam delato et Sacrorum Rituum Congregationi exhibito, editis insuper decretis revisionis scriptorum et dispensationis a lapsu decennii et ab interventu et voto consultorum, omnia in promptu erant ut de Causa beatificationis seu declarationis

martyrii harum Servarum Dei introducenda ageretur. Eapropter instante Rmo P. Xaverio Hertzog Societatis S. Sulpitii Procuratore Generali et ipsius Causae Postulatore, atque attentis obsequentissimis litteris postulatoriis aliquorum Emorum S. R. E. Cardinalium, plurimorum Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque praepositorum ac priorissarum praesertim ex Ordine Carmelitico, rogantibus etiam Apostolicam Sedem nobilissimis atque regalibus viris et feminis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et eiusdem Causae Relator, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in ea,su et ad effectum de quo agitur?* » Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu Commissionem esse signandam, si Sanctissimo placuerit.* Die 2 Decembris 1902.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilium Servarum Dei Theresiae a S. Augustino et Sociarum eius Monialium e Monasterio Compendiensi, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, die decimasexta, eisdem mense et anno.

DOMINICUS CARD. FERRATA S. *R.* C *Pro-Praefectus.*

L. # S.

f D. PANICI *Archiep. Laodicen. S. R. C. Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE Sanctissimi Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papae XIII de Ordine Cisterciensium Reformatorum seu strictioris observantiae

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Non mediocri sane animi Nostri solatio percipere licuit, unitatem communionemgue vitae, iam inde ab anno MDCCCXCII inter varia Cisterciensium Trappistarum Instituta feliciter initam, firmiorem temporis diuturnitate effici uberioresque in dies fructus usque eo proferre, ut vetustus ipse Cisterciensis Ordo ad pristina exempla virtutis alacrius renovanda excitatus propemodum videatur. Qui profecto Ordo, a Roberto, viro sanctissimo, Abbate Benedictino Molesmensi, anno christiano MXCVIII, auspicato eductus, mirum quantum, cura praesertim et studio Bernardi Doctoris, propagari potuerit. Memoratu autem, ne plura revocemus, digna occurrit potissimum animis praeclarae Congregationis Saviniacensis, quae Trappensis Abbatiae anno MCXL erectae praefecturam gerebat, ad Ordinem Cisterciensium accessio, ab Eugenio III Decessore Nostro, Litteris datis die xix Septembris anno MCXLVII, plene cumulateque approbata. Omnibus vero in comperto est, quam aspera vitae ratione, et quam eximia morum sanctimonia perillustris huiusce Ordinis Sodales in exemplum floruerint, quantaque Ecclesiae Catholicae reique ipsi civili tunc attigerint emolumenta. Verum, labentibus annis, temporum plane iniuria et voluntatum remissione, a primaeva regularis disciplinae observantia paullatim deflectere et latiori vivendi formae indulgere animi coeperunt. Quo factum, ut quae antea praescripta et usitata essent, ea rursum in obsequium redigenda, et qualia in prima Ordinis aetate viguerant, religiosissime esse custodienda, ad unum fere omnes fateri cogerentur. Hinc non pauca instaurandae emendationis conamina et experimenta haud semel peracta, ex quibus plures illae Cisterciensis Ordinis Congregationes originem duxisse noscuntur, quae, ad vitae rationem singulis accommodatam et noviter liberam enitentes, a Sede parente atque altrice, atque ab obedientia Abbati Generali olim praestita pedetentim discedere, suique fere iuris effici sueverunt. Dum aliud aliis placeret, et interioris dissimilitudine communitatis ceterae distarent, una

religiosae disciplinae restitutio et emendatio, quae, ob arctius vivendi genus, *Strictions Observantiae* nomine designatur, exeunte saeculo XVI, cogitatione et industria Dionysii Largentier Clarae Vallis Abbatis, Deo aspirante, in Gallias invecta, Cistercio semper unitam Abbatique Generali fidelem sese subiectamque continenter praebuit. Ipsa autem ab Alexandro VII Decessore Nostro, datis Litteris die xix Aprilis anno MDCLXVI, rite probata, tam celeri temporis et eventuum faustitate increbuit, ut perbrevi vel plurima coenobia numeraverit, quae inter, conspicuum procul dubio locum eumque praecipuum obtinuit Trappensis Abbatia, cui providentissimi Numinis consilium longe praestantiora constituerat. Eius enim Sodalibus id usu venit, ut, commota Gallicae seditionis vi e patria in exilium pulsi, disciplinae suae famam ultra Europae limites circumferre, permultisque sensim coenobiis in Congregationes postmodum coalescentibus, opportune et frugifere erectis, maximis Ecclesiae et hominum societatis temporibus, utrique egregio praesidio et ornamento esse valuerint. Quae quidem coenobia, in Gallus primum, Gregorius XVI Decessor Noster in unam Congregationem, proprio Vicario Generali praeditam, sub praeside tamen Moderatore Generali Ordinis Cisterciensis, coegit ; Pius vero IX, Noster item Decessor, in duas Congregationes cum suo utrasque Vicario, dividenda censuit. Nos autem tueri cupientes regularem disciplinam, et, quae Nostrae sunt partes, omni cura et officii sollicitudine incrementum et prosperitatem diversarum Congregationum Trappensium Ordinis Cisterciensis provehere, iam inde ab anno Domini MDCCCXCII, quod magnopere ad rem conduceret, perlibenter mandavimus, ut Generale earumdem Congregationum Capitulum in hac alma Urbe ad id celebrare^ tur, quod inter alia, de ipsarum coniunctione et regimine, praesertim ac praecipue, agere posset. Cum autem vota Nostra sat impleverit exitus, et Capitularium qui Romam dicto audientes convenerant, consilia et exempla, uti par erat, ad spem cesserint, omniumque consensu decretum fuerit, ut tres Cisterciensium Trappistarum Observantiae Westmallensis, Septemfontium et Mellearensis unum tantum Ordinem *Cisterciensium Reformatorum B. M. V. de Trappa,* sub unius Superioris regimine constituerent, Nos datis Litteris in forma Brevis die xvir Martii MDCCCXCIII; non solum hanc optatam unitatem ratam habuimus et confirmavimus, sed etiam hunc ipsum Ordinem au-

tonomum esse, sub unius Apostolicae Sedis dependentia, salvis iuribus Ordinariorum locorum iuxta Constitutiones Apostolicas et Instituti, declaravimus, decernentes ut cetera capitulariter proposita insererentur Constitutionibus infra annum Sacrae Episcoporum et Regularium Congregationi exhibendis. Cum vero Constitutiones, quas memoravimus, ab eadem Sacra Congregatione ratae habitae sint, tempus autem adhuc usque exactum operis perfecti gravitatem confirmaverit, dilectus Filius Sebastianus Wyart, Abbas Generalis dicti Ordinis, Nobis demissas preces supplicationesque porrexit, ut ad maiorem eiusdem Ordinis stabilitatem firmandam atque animorum utilitatem fovendam, non solum Constitutionibus ipsis Apostolicae confirmationis robur adiicere, sed et de privilegiis ad eumdem Ordinem spectantibus decernere ac alia desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, Cisterciensium Reformatorum quieti et prospero statui amplius consulere, eosque, ut ad Dei laudem et Christifidelium aedificationem felicioribus in dies proficere valeant incrementis, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon singulas Abbatis Generalis, aliorumque Abbatum et Monachorum praedictorum personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, ad huiusmodi supplicationes benevole excipiendas inclinati, Constitutiones, quas iam diximus, omniaque et singula quae in eis continentur, Apostolica auctoritate, ,praesentium Litterarum vi, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea statutam Unionem inter Cisterciensium Trappistarum Observantias Westmallensem, Septemfontium et Mellearensem, earundemque in unum Ordinem sub unius Superioris regimine erectionem iterum approbantes et confirmantes, volumus ac statuimus, ut eidem Ordini postea hoc nomen sit *Ordo Cisterciensium Reformatorum* seu *StrieHoris Observantiae,* illiusque princeps et honore et auctoritate Domus, Sedesque Titularis in perpetuum cuilibet Abbati Generali eiusdem Ordinis sit Monasterium Cistercii vetus et clarum, unde Cisterciensis Familia initium duxit. Abbati insuper Generali aliisque Abbatibus et Sodalibus Reformatis seu Strictioris Observantiae, utpote qui, non obstante, quam memora-

vimus, unione et in unum Ordinem autonomum constitutione, non secus ac Abbas Generalis, aliique Abbates et Sodales Observantiae Communis, sint et permaneant veri eiusdem Familiae Cisterciensis alumni, privilegia omnia, gratias, indulgentias, facultates, praerogativas et indulta, quae praedictae Cisterciensi Familiae quomodolibet concessa fuerunt, dummodo in usu sint et non sint revocata neque sub ullis revocationibus comprehensa ac Sacri Concilii Tridentini Decretis et Constitutionibus Apostolicis atque Instituti non adversentur, et quibus Abbas Generalis ceterique Abbates et Sodales Observantiae Communis utuntur potiuntur et gaudent, sine ulla prorsus differentia, auctoritate et vi praedictis, competere statuimus et declarumus; illisque, si opus sit, ea omnia impertimur et extendimus, incluso etiam privilegio Abbatum conferendi, servatis servandis, regularibus suis subditis primam Tonsuram et quatuor Ordines minores tantummodo. Decernentes praesentes Litteras validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Ordini et Monachis praedictis in omnibus et per omnia plenissime [suffragari; sicque ab omnibus censeri et iudicari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXX Iulii MDCCCCII, Pontificatus Nostri Anno xxv.

L. * S.

A. CARD. MACCHI

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

TAURINEN.

DISPENSATIONIS QUOAD IUS PRAESENTATIONIS.

Die 3i Ianuarii 1903..

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia Collegiata loci *Savigliano,* Archidioecesis Taurinen., *morte* titularis Paoli Besse vacans reddita est praebenda Decanatus. Hoc beneficium est iuri patronatus obnoxium ex fundatione cuiusdam Philippi Torretta statuentis in suo testamento a. 1823; ius patronatus activum favore Capituli Collegiali loci *Savigliano ;* passivum vero, in primis, favore suorum agnatorum et cognatorum sed cum certo ordine. Videlicet primi vocati sunt 1. agnati de familia fundatoris; 2. cognati in linea masculina (et hodie deficientibus agnatis, titulo cognationis ius passivum obtinet familia Besse); 3. cognati in linea foeminina : 4. sacerdotes orti in civitate *Savigliano.*

Equidem ultimus titularis Paulus Besse, de Ecclesia benemeritus est quippe e faucibus fìsci vindicare valuit praebendam canonicalem uti narrant hodie Carolus Albertus et Angelus Bessè qui enixe ad precantur Sacratissimum Principem ut dignetur indulgere, beneficium hoc conferri cuidam Paolo Besse annorum 22 at nondum s. ordinibus initiati et hinc non praedito qualitate a fundatore exquisita; utpote qui iussit, beneficium conferri Sacerdoti celebranti ; eidemque idoneo ut saltem intra annum,[1] sacras confessiones exciperet.

Preces oratorum, diei 16 Iunii 1902, ita se habent:

« Nella famiglia del fu Bessè Giuseppe trovasi un discendente chierico, Bessè Paolo di Domenico, il quale, essendo ora al Seminario Arcivescovile di Genova e non avendo ancora il carattere Sacerdotale e Celebrante, a senso

delle disposizioni testamentarie, non potrebbe aspirare al Beneficio in parola.

» L7 aspirante però, studente al terzo Corso di Teologia, riceverà la Tonsura nei primi giorni del prossimo luglio.

» Date queste circostanze di fatto, si chiede umilmente alla Santità Vostra che si compiaccia di accordare all' aspirante Chierico Bessè Paolo le opportune dispense per ottenere dall'insigne Capitolo di S. Andrea in Sivigliano la nomina al detto Benefìcio, coli' autorizzazione di assumere un supplente affinchè il Capitolo stesso non risenta la mancanza del Titolare, rimettendosi completamente alle disposizioni che Vostra Santità fosse per impartire.

» Ciò essenzialmente, se non per stretta interpretazione, per le seguenti considerazioni, sia riguardanti le disposizioni della tavola di fondazione, sia riguardanti le condizioni speciali in cui versa 1' aspirante.

» Nella prima parte del testamento il fu Filippo Torretta, dichiara che, non a sorte non gli era stata concessa figliuolanza, perchè alla Chiesa fosse tornata gran parte delle sostanze, che Iddio aveva voluto largirgli ; ed instituiva il Canonicato dichiarando che la massima parte dei suoi beni sarebbesi così devoluta alla Fonte di tutti.

» E faceva obbligo alla moglie Virginia Bessè (ultime parti del testamento) di osservare le sue volontà religiose (ciò che fu fatto scrupolosamente) affinchè, obliando i suoi diritti di sposa, si fosse acconciata a godere sola l'usufrutto dei beni, senza turbare i diritti attribuiti al Beneficio; contemporaneamente alla clausola in cui pregava il Capitolo ad essere longanime tanto, quanto doveva essere longanime la moglie nell'obliterare i suoi diritti.

» Il Canonicato non subì alcuna avventura e sino al 1867 fu goduto dal compianto Canonico Bessè Paolo, percipiendos! da lui i redditi degli stabili descritti nel testamento.

» Vennero le leggi eversive della Sacra Proprietà della Chiesa, ed il Governo immediatamente metteva in suo po-

terô, come mille altri .funestamente, i beni del Canonicato Torretta, procedendo alla vendita di essi ai pubblici incanti.

» Il titolare allora del Benefìcio Can. Bessè Paolo, insorgeva alla novità e di suo arbitrio iniziava lite al Governo, affermando sostanzialmente innanzi al Giudice, che il benefìcio in questione - avendo carattere Coadiutoriale alla Parrocchia di S. Andrea - non era compreso nelle leggi eversive.

» E litigando ed insistendo nella tutela dei Sacri Diritti della Chiesa per parecchi anni e con un dispendio da parte sua di circa cinquemila lire, riusciva dopo giudizi e appelli e ricorsi per cassazione a ottenere confermato quello che era sacro diritto e a vedere condannato il Governo (che non poteva restituire i beni, perchè nel frattempo erano andati all' asta) a corrispondere al Canonico investito ed ai futuri successori un'annua rendita di lire 1970, la quale risulta dal Certificato nominativo col numero 60168 intestato al Benefìcio Canonicale Torretta.

» Ora è a notarsi che il testamento Torretta parla del valore dei beni eretti in canonicato e lo dichiara di lire 15000, il che equivarrebbe ad una rendita lorda di 1. 750.

» La rendita attuale, più che duplicata, si deve esclusivamente alla tenacia, attività ed abilità del fu Can. Bessè Paolo nel difendere insieme ai suoi diritti i diritti imprescrittibili della Chiesa, e così coli' aumentare in perpetuo il decoro e lo splendore della Collegiata di S. Andrea, conservandole ed aumentandole un onorevole Benefìcio, che era stato istituito dasdi avi suoi.

» È poi chiaro e manifesto che il testamento citato, mentre da un lato privava la famiglia di quasi tutta la sostanza ereditaria, mirava ad instituiré nella Famiglia stessa un Benefìcio quasi ad esclusivo vantaggio di essa; ed è ben noto dalla lettura di quello, che (tante sono le categorie di congiunti chiamate) era desiderio del testatore che se vi fosse un Chierico in famiglia questo dovesse succedere.

» Il fatto d' avergli imposto degli oneri, è una conseguenza naturale del carattere della Fondazione al che pare ai sottoscritti si possa con una surroga temporanea provvedere.

» Ma un' altra ragione che non le benemerenze presso la Chiesa, che sono un dovere per chiunque vesta abito talare, appoggerebbe presso la Santità Vostra e presso il cuore di Padre che presiede i destini di tutti i figli suoi nel!' Universo, e sorreggerebbe 1' assunto.

» E la condizione del chierico Bessè Paolo nipote del difensore del Canonicato e nipote altresì del povero Matteo Bessè, successore del Benefìcio e della cui successione si tratta, certi come sono i ricorrenti che l'aspirante saprebbe conservare tutta ed integra la nobile tradizione degli zii.

» Egli è figlio di famiglia onorata e numerosa; non agiata ; non ricercatrice di onori immeritati ; ma convinta che della suprema volontà dei defunti bisogni spesso col cuore cercare *Y* interpretazione, non con freddo calcolo o colle pretese giudiziarie che costarono tante noie allo zio Can. Paolo quando nel 1867 inopinatamente si vedeva del Benefìcio spogliato ! »

Vicarius Generalis preces hisce animadversionibus commendabat :

« Che T aspirante Paolo Bessè, dell' età di anni 22 è studente del secondo anno di teologia e dimora a Busalla, Archidiocesi di Genova frequentando come esterno gli studi in Seminario e vestendo senz' abito talare secondo l'uso del luogo. Il suo Arcivescovo lo dice *buono, ma di poco ingegno e di poca salute,* nè è cosa sicura che gli sia conferita la tonsura per 1' epoca accennata nel ricorso.

» Che il Canonico Bessè, testé defunto (qualunque sia stata la somma da lui spesa per la rivendicazione del benefìcio dalle mani del governo, che l'aveva illegalmente soppresso) ha lodevolmente agito pel bene della Chiesa da bravo beneficiato e potè godere ancora a lungo il frutto delle sue cure.

» Che il Capitolo della Collegiata da Noi esortato a differire anche oltre il mese (come sarebbe volontà del testatore) la presentazione del soggetto annuì benevolmente, desiderandosi da tutti le direzioni della S. Sede per procedere prudentemente in un affare a cui si è dato molta importanza. »

Ast ipsam mentem Emi Archiepiscopi cognoscere peropportunum esse duxi ; quamobrem ei litteras dedi quibus Ipse reposuit die 19 Iulii 1902 «.... non ho in verità nulla da aggiungere. - Osserverei, poiché ne ho l'occasione, che qualora fosse esaudita la domanda sarebbe risparmiato alla Collegiata di Savigliano ogni pericolo di noie per parte dei Signori Oratori, ma non intendo con ciò far pesare la bilancia più da una parte che dall' altra e mi rimetto pienamente alla sapienza degli Emi Padri ».

Re sane vera negotium est gratiosum et pendet a benigna EE. PP. dispensatione quam concèdent iuveni Paulo Bessè si derogent voluntati testatoris praescribentis, instituendum esse in beneficio clericum iam Sacerdotio initiatum eumdemque idoneum, saltem infra annum a suscepto canonicatu, confessionibus excipiendis. - Facta enim hac derogatione, Capitulum invenit in ipsa familia cui spectat ius patronatus passivum personam hoc iure passivo fruentem.

Ceterum ista requisita veluti extrinseca a testatore praescripta non compreendunt neque supplere valent alia requisita intrinseca nempe moralia ex ipso iure scripto et naturali penitus necessaria, videlicet illas animi dotes naturales aut acquisitas vel divina largitate concessas, quibus praestare debet sacerdos, ut, pro suo officio, utile gerat et commendabile ministerium. - Sane quamvis a S. C. C. concedatur dispensatio quoad requisita extrinseca, nihilominus orator non obtinet praesentationis actum nisi Capitulum, per deliberationem capitularem, illum praesentet Ordinario pro institutione. Atqui Capitulares ius habent et onus perpendendi etiam requisita intrinseca cuicumque canonico necessaria. - De hisce requisitis autem Vicarius Generalis no-

bis refert: «Il suo Arcivescovo lo dice *buono ma dì poco ingegno e di poca sedute* nè è cosa sicura che gli sia conferita la tonsura per 1' epoca accennata nel ricorso ». Verumtamen si forte tonsura adhuc iuveni Paulo Bessè collata non fuisset, res modo esse non posset de praesentatione et institutione quae uti exploratissimi iuris est, non competunt nisi clerico : beneficia enim ecclesiastica nisi a clerico obtineri non possunt.

Praeterea quum ad vertat idem Vicarius Generalis, negotium, in praesentiarum, versari - *cui si è data molta importanza ;* - et innuat ipse Emus Aschiepiscopus : « *qualora fosse esaudita la domanda sarebbe risparmiata alla Collegiata di Savigliano ogni pericolo di noie da parte dei Signori Oratori* » inde patet, ipsum desiderium perpinguis praebendae non parum commovere animos et excitare studium ex utraque parte ; quippe ipsi capitulares perspecte intelligunt, locupletem praebendam, ex ipsa fundatoris *praesumpta* voluntate, ei concedendam esse, qui fructus non exiguos sacri ministerii rependere valeat.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset petitioni reponendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re disceptata sub die 31 Ianuarii, censuit : *Arbitrio et prudentiae Emi Archiepiscopi et ad mentem.*

PRATEN. ET S. MINIATIS

DISPENSATIONIS AB INCOMPATIBILITATE BENEFICII

Die 31 Ianuarii 1903.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Cum vacasset per mortem sui rectoris Ecclesia Plebalis loci *Cerreto-Guidi* dioecesis S. Miniatis subiecta iuri patronatus activo Capituli Cathedralis Pratensis, petiit et obtinuit Arturus Ciardi Canonicus Ca-

thedralis Pratensis ut in beneficio plebali ipse institueretur, legitima cum venia sui Ordinarii. - Quare idem canonicus Ciardi hodie petit a Beatissimo Patre sibi facultatem concedi detinendi, una cum beneficio plebali, canonicatum iampridem possessum, imo refert hac de causa se petiisse beneficium parochiale quippe praebenda canonicalis hodie, vix pertingit ad centum et viginti libellas (L. 120), cui onus inest viginti septem (27) Missarum. — Praeterea recolit hanc tenuissimam dotem canonicatus gravi in periculo versari si, ob eius renunciationem, redeat ad manus patronorum laicorum, quorum unus cum pene ad egestatem redactus sit et aere alieno gravatus, dos beneficii facile in manus recideret creditorum. Denique memorat, quamdam controversiam haberi capitulum inter et Ecclesiam Plebalem, agitatam apud S. C. C. mense Septembri a. 1901, eamdemque modo per appellationis instantiam, adhuc sub iudice manentem ; quamobrem opportunum est ut canonicus in isto beneficio instituatur. - Preces ita concludit orator: « Per queste ragioni *V* oratore domanda di ritenere il canonicato e di essere dispensato dal coro, essedo di ciò contento il capitolo stesso, intervenendo al coro n. 19 canonici e 11 cappellani. *U* oratore poi affinchè per la sua assenza nessuno dei Canonici rimanga onerato dell'ebdomada di cantare, dichiara di essere pronto ad incaricare a proprie spese uno dei canonici ad adempiere ad un tale obbligo ».

Die 10 Iulii 1902 Capitulum Praten. in legitimo conventu unanimi suffragio consensum dederunt *«perchè la Sacra Congregazione conceda al prenominato sig. Canonico V esenzione dalla residenza e dal coro con obbligo di soddisfare per mezzo di un collega, alV ebdomada di cantare ».*

Episcopus de sua sententia perquisitus haec retulit: « Richiesto di porgere schiarimenti del perchè alla jjPieve di Cerreto-Guidi sia stato nominato un Canonico, rispondo che la nomina venne dal Reverendissimo Capitolo di Prato che è il patrono di quella Chiesa. Ci fu scritto e detto che i

Capitolari di Prato facevano pratiche per ottenere al Ciardi Canonico, nominato alla Pieve, la grazia e che avrebbero allegate buone e salde ragioni.

» Per noi il Ciardi è l'uomo atto a rialzare il prestigio un po' scaduto della prefata Pieve e il popolo di Cerreto lo attende come una benedizione. Speriamo adunque che il privilegio sia conceduto ».

Modo, pro meo munere, advertam dignam esse quae maxime perpendatur ratio quae ita exponitur ab oratore. « Esistendo alcune questioni tra Pieve e Capitolo, tanto T Ordinario di San Miniato quanto il Capitolo medesimo hanno riconosciuto vantaggioso che di quel benefìzio ne sia investito un patrono ». Sane haec quaestio adhuc viget, quia die 7 Sept. 1901 Plebanus loci *Cerreto-Guidi* quaestionem movit Capitulo Praten. patrono, instans ut vectigal - *ricchezza mobile* - impositum a Gubernio super portione congrua lib. 858, nec non super alia praestatione lib. 418,32 a capitulo solutis parocho-plebano ex legitima conventione, (prouti exponitur in *folio* praecitatae causae) sustinetur ab ipso capitulo, ne congrua nimis et praeter canonicam mensuram, extenuaretur. - Et S. C. C. huic proposito dubio : « *An portiones tum lib. 852, 60; tum libel. 418,32 sint rependendae a capitulo immunes a quacumque taxa iii casu* », rescripsit: « *Affirmative* ». Capitulum petiit et obtinuit beneficium *novae audientiae;* et hodie res adhuc *sub iudice* est ; quamobrem iis adhuc viget Capitulum inter et Ecclesiam Plebalem; et si interest Capitulo eique bonum est - *hanno riconosciuto vantaggioso* - parochum-plebanum fieri unum ex canonicis ; attamen hoc, ex adversa ratione, aeque bonum aestimari non potest ipsi praebendae ; siquidem si onus taxae - *ricchezza mobile* - non amplius sustinetur a canonicis, minuitur in perpetuum praebenda parochialis gravi cum iactura etiam boni spiritualis fidelium.

Itaque ut etiam externe salva maneat necessaria distinctio inter actorem et reum in iudicio, satius videtur, antea

beneficio vacanti constituere defensorem ex officio, cuius sit tueri partes praebendae parochialis usque ad definitionem iudicii, qua edita definitione, postea integrum erit Capitulo quem mavult praesentare ad beneficium vacans.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset petitioni reponendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 31 Ianuari 1903 censuit respondere : *Non expedire.*

MECHLINIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 31 Ianuarii 1903.

Sess. 24, cap. 1, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Secundo ad S. C. Congregationem, redit causa matrimonii, rite celebrati, die 10 Augusti 1885 inter Aliciam et Carolum.

Apud Curiam Mechliniensem iam Actrix sub die 16 Februarii 1893 matrimonium suum ut nullum *ex capite, vis et metus* accusaverat, ac die 12 mensis Octobris illius anni favorabilem tulerat sententiam, a qua, uti par erat, appellatum fuit ad S. C. C.

Animadvertendum autem hic est quod Iudex Mechliniensis sententiam tulerat quin virum eiusque testes discuterei, eo quia haud cognosci potuisset ubi vir commorare tur.

Cumque vero anno insequenti compertum esset virum sub nomine Caroli in civitate Bonaerensi degere; S. C. C. litteris ad Emum Mechliniensem Archiepiscopum die 24 Maii 1895 datis, munus eisdem demandavit processum suppletivum conficiendi, auditis viro eiusque testibus.

Et revera tum Actricis vir, tum testes ab ipso producti rite excussi fuerunt, sed cum horum omnium attesta-

tiones contradicerent depositionibus Oratricis ac testium eius, Curia Mechliniensis, perplexitatibus implicata, ab alia sententia ferenda se abstinuit, ac rem omnem sapientissimo iudicio S. C. C. subiecit.

Quare causa proposita in comitiis generalibus diei 25 Ianuarii 1902 sub rogandi formula: « *An constet de 'nullitate matrimonii in casu* » hoc prodiit responsum : « *Ex deductis non constare de nullitate matrimonii* ». Haec sententia haud arrisit Actrici, quae petiit obtinuitque beneficium novae audientiae, ideoque causa novis aucta documentis iterum hodie discutienda proponitur sub rogandi formula : « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* ».

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Oratricis patrocinator in tres veluti partes orationem suam dispertitur : in prima ad totam causae indolem, illustrandam, machinationes exponit, quibus Carolus eiusque parentes ad matrem Actricis circumveniendam, usi sunt ; in altera metum ab actrice passum novis fulcit allegatis ; in tertia tandem ex epistolis ab adversariis productis nullum erui argumentum ostendere satagit.

Itaque imprimis recolit advocatus, quod Alix nuptiis cum Carolo adversabatur non modo quia nullam erga ipsum propensionem sentiebat, sed etiam quia animadverterat, ipsum aere alieno oppressum, et quia in nuptiis secum urgendis nihil aliud nisi suas opes intendere. Misérrimas in quibus tunc temporis Caroli parentes versabantur conditiones, nuper etiam testatus est Albertus Marchio de Beauffort, Regni Belgici Senator et olim Provinciae Namurcensis Praefectus.

Nihilominus, inquit patronus, mater precibus et protestationes filiae acquiescere noluit, adeo callidis artibus Caroli eiusque parentum fuerat circumventa ! De sua stulta agendi ratione ita ipsa Dna Laura Fischer conqueritur; in nuperrimo suo examine: « C'est seulement quelques mois avant la demande, et à une époque qui a coincide avec la

maladie de mon beau père, que Jeanne et Marie de Villermont ont fait toutes les démarches possibles auprès de ma fille et de moi pour nous faire croire à un amour fidèle et ancien de leur cousin pour Alice.

Epistolae quae nunc exhibitae sunt, quasque Dna Laura Fischer commemorat, luculentissimum sunt testimonium, ait orator, tum anxietatum, quibus Caroli parentes angebantur ob timorem quod propositae nuptiae ob Alicis contrarietatem non conciliarentur, tum eorumdem studii ut matrimonium fieret. Si Alicem tristitia affectam sciunt, statim exagitantur, et moeroris eiusdem causam pharisaice inquirunt.

Verum, observat orator, ut iam notum est contra prorsus accidit, nam Alix cum prima vice Caroli parentes vidit, adeo male natura, agendi ratione et ipsa Caroli matris specie affecta est, ut magis propositas nuptias detestari coeperit.

Praeterea inter alia quibus Caroli parentes, Dñae Laurae Fischer ambitionem noscentes usi sunt ad eam decipiendam, illud est accensendum, inquit orator, quod asseruerint Carolum Baronis titulo, insigniri, dum revera nullo nobilitatis titulo gaudet.

Cum igitur, urget advocatus, Caroli parentes, et propinqui tot usi sint machinationibus ad hoc matrimonium ineundum, nil mirum si postea, quando de eius nullitate agi coeptum est, pro viribus studuerint institutam ab Actrice actionem eludere, absona atque omnino contradictoria proferentes.

In proferendis mendaciis, primus est, ita prosequitur advocatus, Caroli pater qui asserere non dubitavit, evidenter eum in finem ut suipsius et filii cum familia Fischerorum, perantiquam necessitudinem ostenderet, se familiariter usum fuisse cum Alice inde ab anno 1880.

Itaque, arguit patronus, testibus adversae partis optime quadrat notum illud principium , semel mendax , semper mendax. - Ad alteram partem suae orationis gradum fa-

ciens, praenotat Orator testes suos mirifice in unum convenire omnes, eosque sicut numero et honestate ita etiam auctoritate contrariis esse praeferendos.

Iamvero, inquit, hi unanimiter testati sunt Alicem, quae a quatuor annis Carolum nec viderat nec ullam cum eo familiaritatem servaverat, oblatis cum eodem nuptiis, inde ab initio restitisse, eiusque aversionem in dies crevisse, quo magis ac magis sibi persuasit iuvenem eiusque parentes non aliud nisi suas divitias inhiare ; in nuptias tandem consensisse, postquam omnia experta fuerat media ad matrimonium vitandum, coactam a severissima matre, cui omnes, Dno Achille Fischer oratricis patre non excepto, parebant ; quod Dna Fischer partim Caroli nobilitate decepta, partim scandali timore adducta, quod ortum fuisset si nuptiae omnibus iam notae non evenissent, filiae protestationes et lacrimas despexit; praeterea testati sunt consensum Alicis in nuptias fictitium potius fuisse, vitamque communem interruptam, brevem ac infelicissimam, tum ob Alicis erga Carolum antipathiam, tum praesertim ob pessimos Caroli mores.

Iamvero, prosequitur advocatus, haec omnia plene confirmata fuerunt, imo uberius declarata ab iis quae deposuerunt duo testes nuper auditi, quosque fide dignissimus ipse Iudex Mechlinien, in suis litteris ad S. C. C. renuntiat.

Atque dein subiungit: « Aussi n'ai je pas été étonné peu de temps après, quand je le croyais dans la garnison d'Bpernay de rencontrer chez le général Fischer sa fille mariée depuis peu, dans une attitude, qui confirmait tout ce que j'avais pu penser de fâcheux du mariage qu'on lui avait fait faire ». Quare, addit orator, testis minime dubitat quin nuptiae initae fuerint unice sub influxu metus a matre incussi. Equidem ad iudicis questionem: « Avez-vous la conviction que Mme. Alice ne s'est mariée à Mr. Charles que sous l'empire de la contrainte de sa mère? » Ita categorice reposuit : « Oui j'ai la conviction la plus absolue ».

Huic plane consonat Emma Manderlier, quae ab anno 1880 ad 1886 servitio familiae Fischer erat addicta, eaque ab omni collusionis suspicione prorsus immunis, ait patronus, utpote quae, viri sui culpa qui pariter Alicis parentibus famulabatur, Fischerorum domo fuit expulsa. Haec autem rogata a iudice: « Qu'est ce qui aurait engagé Mme. Alice Fischer à se marier à Mr. le Baron Charles? » sub sacramenti religione respondit : « Personne que Madame la mère d'Alice. C'est elle qui l'a poussée à ce mariage. Les cousines de Mr. de Villermont Mademoiselles Jeanne Marie et Henriette venaient souvent voir Madame Fischer, et ce sont elles qui ont mis dans la tête de Madame de marier sa fille à leur cousin. C'était le sentiment que'm'a exprimé Mme. Fiévez mère de Mme. Fischer. Mlle. Alice avait vu très rarement Mr. Charles avant son mariage; ses affections n'étaient pas pour lui mais pour d'autres qu'elle ne nommait ».

Deinde subiungit famula : « Jamais Alice n'a aimé Mr. Charles : la mère le savait, je lui ai entendu dire qu'une fille n'avait pas besoin d'aimer son mari avant le mariage, qu'elle l'aimerait après. Mlle. Alice m'a répété bien des fois que Mr. Charles lui déplaisait. Elle a ajouté que la belle-mère était une femme en l'air une espèce de folle ».

De minis autem a matre adhibitis eadem prosequitur: « Madame était bonne pour sa Mlle ; mais elles ne s'entendaient pas pour le mariage : J'ai assisté bien souvent a des scènes violentes, j'ai entendu aussi que la mère disait à sa fille qu'elle l'aurait enfermée, si elle ne changeait pas ; qu'elle la mettrait dans un couvent. Mlle. Alice se montrait très sensible à ces traitements de sa mère. Il ne se passait pas de jours que je ne la trouvais en pleurs ». Et in altero examine respondit : « J'ai assisté très souvent à des scènes violentes. J'ai vu entre autres que la mère prenait sa fille par le bras et le repoussait avec violence. Alice disait : - Maman est ce que je vous gene ? je ne suis

pas pressée à me marier. - A quoi la mère repondit: — Je n'ai pas envie de vous conduire dix ans dans le monde, ma santé ne me permet pas cela. - Elle faisait alors à sa fille toutes espèces de reproches ».

Quin imo, urget orator , attentis Dñae Laurae Fischer valetudinis conditionibus, Alix matri parere, eiusque votis obsecundare omnino fuisset coacta etsi, quemadmodum affirmant nonnulli ex testibus adversariis, alterius esset naturae.- Enimvero tunc temporis quando nuptiae paratae sunt, Dna Laura Fischer adeo graviter corde laborare videbatur, ut sui timerent, ne repentinis quibus subiiciebatur irae accessurus improviso moreretur.

« Quelques jours avant le mariage, inquit Alix, à la vue de ma robe de noces, j'ai été prise de désespoir et j'ai dit à la femme de chambre que je ne la mettrais pas, ni à l'hotel de ville, ni à l'église. La femme de chambre pour me calmer est allée chercher ma grande mère, qui devant elle m'a dit une fois de plus que si je faisais un pareil scandale je pourrais être sûre d'avoir la mort de ma mère sur la conscience ».

Unde, addit orator, cum hisce in conditionibus miserrima puella versaretur, ut nec matri resistere posset et valeret, nec cuiusvis vel patris vel amicarum quas visere non poterat, subsidio uti, in extrema salutis spe ad invisas evitandas nuptias violentas sibi manus iniicere non dubitavit.

Actrici in fiagitio enarrando consentiunt omnes quotquot illud rescire necessario debuerunt, parentes nempe et famula Emma Manderlier nec non auriga Petrus de Meuve.

Emma Manderlier, affirmat : « Il est certain pour moi que Mlle. Alice s'est mariée, tout-à-fait contre son gré. Dès que le mariage a été décidé, elle a été tout-à-fait découragée. Elle est tombée comme dans le desespoir. Un soir je suis entrée à l'improviste dans sa chambre, je l'ai trouvée la poitrine tout découvert devant la fenêtre ouverte, et sur l'observation que je lui faisais qu'elle pour-

rait contracter ainsi une maladie mortelle, elle m'a répondu qu'elle ne demandait qu'à mourir. « Je préfère cela que de me marier à Monsieur. Trois semaines après elle s'est tirée un coup de revolver, chose à laquelle je m'étais attendue, car j'avais même cherché a lui enlever son revolver; mais elle l'avais caché. Tout ce que je viens de dire, je l'affirme pour en avoir été témoin ».

Ita iudicialibus testibus plene confirmata sunt quae Dr. Lapponi, iudicialiter excussus deposuit, quaeque sub die 22 Ianuarii 1902 observaverat et declaraverat de vulnere in pectore Actricis existente.

Ad aliam vero quaestionem, « se nulla abbia da aggiungere a riguardo » testis inquit: « Niente fuori che questo, che cioè il proiettile è di piccolo calibro, e perciò anche il revolver »; adamussim iuxta ea quae Dominus Achilles Fischer testatus est. Itaque etiam physice de suicidii tentamine constat, ait orator, cum vulnus, in adiunctis quibus reperitur, probabilius - nonnisi per suicidium explicari possit. Uti planum est de suicidii causa seu occasione nihil vir peritus dicere potuit; nihilominus dum asseritur e vuineris cicatrice deduci suicidium attentatum fuisse sexdecim circiter abhinc annis, dum certe constat ipsum constante matrimonio non fuisse patratum, secus illud testes de Villermont commemoravissent, sin minus ad Alicis irreligiositatem statuendam, necessario est inferendum, sponsalium tempore actricem violentas sibi manus iniecisse ad invisas devitandas nuptias.

A proposito nihilominus Alicis mater non récessif, quae uti testis ex officio vocatus Marcellinus De Saegher ait : « était femme à tout sacrifier aux nécessités de ses relations ». Et ipsamet actricis mater ait : « J'ai constaté que ma fille éprouvait toujours la même répugnance pour ce mariage; mais comme les fiançailles étaient annoncées, que le trousseau était commandé, du moins en partie, et que sauf le contrat de mariage par devant notaire, tout était arrêté entre les deux familles, je n'ai pas voulu reculer pour

éviter le scandale d'une rupture, et croyant toujours assurer le bonheur de ma fille ».

Neque tentatum suicidium et media ad illud patrandum ab oratrice adhibita, ait patronus, assertam Alicis timiditatem tollunt, sed hoc unice demonstrant, Alicem absoluta repugnantia propositis cum Carolo nuptiis répugnasse.

Quamvis per suicidii tentamen Alix matris animum flectere non potuerit, haud destitit tamen suam erga Carolum aversionem manifestare. « J'ai eu un vif remords au point de vue religieux d'avoir commis cet acte » declarat Oratrix, « et un grand regret de m'être manquee. Mon aversion pour ce mariage est restée la même. Seulement j'ai senti davantage encore qu'il ne me restait aucun moyen d'y échapper, puisque même ces preuves absolues de répulsion n'avaient pu ébranler ma mère ».

Huius infelicissimi coniugii historia, ait patronus, atque nuper allata documenta, evidentissime ostendunt vehementissimum illum amorem Alicis erga Carolum quo notae epistolae redundant, nec fuisse possibilem, nec revera extitisse, adeo ut hisce epistolis applicari possit notum principium : « Quod nimis probat, nihil probat ». In primis si Caroli dotes et patrimonium considerentur, eaque comparentur cum oratricis conditione, facile statim quisque animadvertet Carolum haud fuisse virum, qui vel ob suas animi dotes vel ob fortunae bona posset puellam aetate adhuc florentem et ditissimam in sui amorem inducere. De Caroli eiusque familiae patrimonio, vel potius paupertate satis dictum est, quoad vero eius ingenium et animi dotes recolere sufficiat rationem, qua ipse erga Alicem se gessit post nuptias, de qua luculentum est testimonium sententia civilis divortii, nec non opinionem quam de eodem Carolo nonnulli ex eius propinquis asserunt se Duae Laurae Fischer manifestavisse.

Insuper, inquit patronus, adiuncta quibus nuptiae comparatae sunt atque nova documenta omnino excludunt Aliciam fuisse adeo stultam ut Carolum contra omnia merita miserrime deperiret, uti nonnulli contendunt.

Atque in hisce asserendis, ait advocatus, oratricem minime mentiri ex eo vel maxime patere, quod tales erant viri conditiones, ut Alix, quamvis libenter Carolo nupsisset, de contracto coniugio contenta esse non potuisset. Etenim Carolus ipsa die celebrationis matrimonii ubi primum cum sponsa colloqui potuit, eidem fassus est se aere alieno oppressimi nihil prorsus habere nisi « cinquante centimes »; sponsi ob pecuniae inopiam voluptuarium iter breviare debuerunt, sicut ipsi adversara fatentur; tandem Carolus ipse asseruit se primis vitae communis temporibus cum sponsa minime concubuisse. Ceterum urget patronus, in dicta epistola die *27* Augusti data, si excipias ea quae nuptiale iter respiciunt ac laudes tributas humanitati, qua viri propinqui sponsos receperant aliasque ineptias, de coniugum relationibus nihil aliud reperies.

Tanta revera fuit inde ab initio coniugalis vitae animorum dissociatio inter sponsos, ut ne duobus quidem mensibus transactis ab initis nuptiis, Alix Carolum deseruerit animo ad eum non amplius redeundi. Id manifestissime constat ex ipsius Caroli litteris ad sponsam missis die 5 Octobris eiusdem anni 1885.

Tandem orationem suam absolvit orator verbis Emi Melburnensis Archiepiscopi in suis litteris die 1 Octobris ad S. C. C. datis : « Hac occasione Emis ac Rmis S. Congr. Patribus commendare maxime libet causam Oratricis, in cuius favorem plurimum facere videntur quae in processu suppletivo ad S. Congr. 14 Iunii misso actitata fuerunt, quaeque ipsa robur ex praesenti processiculo accipiunt ».

DEFENSIO SACRI VINCULI. Ex adverso vinculi defensor contendit multa in actis haberi, quae merito obstare videntur quominus actricis vota impleantur. Et orator ad suam thesim demonstrandam in duas veluti partes orationem suam dispertitur, in quarum prima summam refert argumentorum, quae in prima causae propositione tum a patronis oratricis tum a Sacramenti vindice allata sunt; in altera vero quoad noviter allata documenta suas congerit difficultates.

Omissa synopsi primae partis orationis, referam tantummodo summam argumentorum quae a vinculi defensore in nuper allata documenta congesta sunt.

Iamvero documenta nunc allata potissimum haec sunt : 1. Examen oratricis praesertim quoad adsertum suicidium. 2. Examina suppletiva matris et patris eiusdem, necnon aurigae Petri De Meure. 3. Examen Emmae Manderlier iam famulae penes familiam Fischer tempore celebrati coniugii: necnon Alberti De Beauifort, 4. Particulae quarumdam litterarum.

Haec omnia vinculi defensor ad trutinam rovocans, tria in suis animadversionibus ob oculos EE. VV. proponit, quae, iuxta ipsum, etiam nunc negativo responso causam dimittendam persuadere videntur. Pertingit unum ad credibilitatem familiae Fischer : alterum ad infirmitatem argumentorum, quae ad probandum metum hucusque sunt allata: tertium ad finalem conclusionem, ad quam in casu videtur deveniendum. Et primo ad infirmandam familiae Fischer credibilitatem, censet orator plura opponi posse contra laudes quibus praefatam familiam et Curia et parochus cumulant.

Et reapse, inquit, familia Fischer ex actibus causae semetipsam prodit tamquam crepundiorum scholam, in qua omnia ad matris nutum componuntur ; quae quidem mater, nec sibi vice sua constans, vere crepundiorum minorum magna magistra, hodie diffitetur quae heri erant placita, parata forsan (quum ex praeteritis ad futura argumentan liceat) ad firma proclamanda in crastinum, ea quae hodie evertere totis viribus satagit. Unde orator, credibilitatem huius familiae dubiam retinet ob eius maximam inconstantiam, quam, omnia quae matrimonium praecesserunt et sunt subsecuta, plane, inquit, testantur.

Et revera, inquit, agitur de hisce nuptiis celebrandis? et mater et pater et filia cooperantur licet diversa ratione ad eas conciliandas_____Agitur vero de iisdem nuptiis dissolvendis? in scenam redeunt et mater et pater et filia, ite-

rum diversa sub ratione uni eidemque intentui assequendo conspirantes.

Revera, urget Sacramenti vindex, si adversariis credimus, ex actis haec erumpunt plene probata: *a)* filiam ab hisce nuptiis abhorruisse : *b)* matrem ad eas nihilominus filiam coercuisse : c) patrem, a filia de auxilio contra matris vexas rogatum, huius timore interventum suum denegasse. Unde iuxta eos, conclusio : nuptiae huiusmodi, quum ex gravi metu fuerint initae, robore quovis certo certius destituuntur.

Iam age capitale hoc allegatum argumentum ad nuptias irritas decernendas enervat plurimum maxima inconstantia eorum, qui in eis conciliandis et celebrandis partem habuerunt. Et primo inconstantia matris, quae nulli labori parcere videtur, ut optatas nuptias ad exitum deducat. Liquet id ex iis quae disserens de sponsalibus Aliciae cum Carolo, ad huius amitam inter alia scribebat 10 dec. 1884: « Vous n'ignorez pas sans doute que votre neveu est venu a Bruxelles, tout récemment, avec l'intention de nous demander Alice.... Charles s'est montré si attaché à Alice et si délicat pour nous, qu'il est parti avec notre oui... Nous sommes très-heureux de notre décision etc. ».

Nec solum ante, sed et post nuptias magna animi effusione loquitur mater de hoc coniugio ut liquet ex litteris datis ad eamdem amitam Caroli.

Matrem nuptias celebrandas et celebratas laudantem audivimus, nunc audiamus eamdem easdem nuptias ad nihilum redigere conantem.

Matris inconstantiam , iuxta oratorem, imitata est filia.

Et re quidem vera ante nuptias ad comitissam de V. scribens, talibus utitur verbis, quae nonnisi magno amore aestuanti puellae congruere videntur: « Je suis trop heureuse . . . aujourd'hui pour pouvoir te dire combien . . . je suis contente, qu'un lien de plus m'unisse à vous tous que j'aime tant!... Nous nous aimons bien profondément et plus rien au monde ne pourrait nous séparer jamais etc. ». Nec

soium *ante*, sed, quod longe gravius est, *post initas nuptias* aestuantis amoris luculenta exhibet signa, scribens die 27 aug. 1887 ad eamdem comitissam: « Voilà Te miel de la charmante lune dans laquelle nous vivons en ce moment etc____Nous avons enfin découvert une charmant maison, un vrai nid d'amoureux etc. ».

Equidem fateor, prosequitur vinculi defensor, Aliciam, ut ab inconstantiae nota se purget, invocare *quoad litteras scriptas ante matrimonium* auctoritatem : *a)* tum matris, quae nova caeteris inconstantiae argumenta addens respondet : « Non, ma fille n'a pas exprimé ses propes sentiments, elle a écrit sous mon inspiration et je lisais les lettres, qu'elle écrivait »; *b)* tum et patris, qui et ipse, dum tamen ante nuptias, de adiutorio adversus matris adsertas vexas eum roganti filiae, timide responderat, quasi uxoris iram pertimescens, de « s'adresser à (sa) mère en lequelle il avait toute confiance », nunc, et ipse, uxoris ac filiae inconstantiam imitatus, respondet: « Non. c'est la mère qui lui a dicté les réponses, où tout au moins imposé ce qu'elle devait écrire ». Nec satis esse putat orator ad explicandas citatas litteras post nuptias datas adiuncta, in quibus versabatur, quia nempe : « Je ne pouvais, étant en somme mariée et désirant vivre en paix, tout au moins avec les Villermont de Belgique, leur faire des confidences écrites sourtout etc. », quasi inquit, haec adserta adiuncta satis tenerrimi amoris verba, quae in illis litteris leguntur, sufficienter explicare queant !

Ex quibus arguit orator exigua fide dignam esse familiam Fischer. Et revera, inquit, si dum nuptiae componuntur Dñi Fischer talia dicunt et faciunt quae postea, causae interesse eos omnino suspectus reddente diversissime explicare adnituntur, quis prudens ambigere non incipiet, quod si extemplo, immutatis adiunctis, partes immutarentur, seu, dum hodie familia Fischer contra familiam De Villermont pro invaliditate decertat, in crastinum si familia De Villermont contra familiam Fischer pro nullitate con-

tenderei, stupentibus iudicibus novum crepundiorum spectaculum exhiberent Dui Fischer, enixe clamantes Aliciam liberrime nupsisse Carolo, idque luce meridiana clarius liquere ex epistolis ab ipsa tum ante tum post nuptias datis !

Quod si obiiciat advocatus verba Curiae Mechliniensis testantis acta ita esse confecta, ut nulla sit collusionis suspicandae causa, actricem inscia matre nec praemonitis testibus ad Curiam confugisse____ab his instruendis aut quovis responso eisdem suggerendo sedulo abstinuisse; respondet vinculi defensor, contrarium erui ex actis ; etenim inquit ex novis actis scimus non solum actricem in praecedenti examine siluisse de praetenso suicidii attentato (quod silentium quoad ipsam forsan aliquomodo excusari posset) sed eiusmodi attentatum alto quoque silentio prémisse quotquot de eo aliqua testari poterant ac praesertim patrem et matrem actricis. Iamvero, si hoc ex condicto processit, et quidem ea (certe potissima) causa quam indigitat actrix quando in novo interr. respondet : « Je craignais qu'il n'empressionât défavorablement un tribunal religieux », merito praesumere possumus ex condicto arbitrario alia fuisse vel reticita vel enarrata. Nec dicas : ideo reticitum fuit suicidii attentatum, quia ob varias causas (v. g. ob familiae decus) conventum fuerat, statim a facto, de eo premendo silentio altissimo : « J'avais promis (ait actrix in nov. interrog. N. 5) à ma mère de ne le révéler jamais..... Ma femme (ait pater, item in novo interr. N. 3) m'a dit encore, que nous devions garder le silence sur cet acte reprehensible.... ». Nam respondet orator, haec proposita tunc fuisse facta, quum nullo modo de causa nullitatis instauranda ageretur, et hinc, quum de hoc casu tunc caveri non poterit, certo certius, *ingruente processu,* et actricem et eius parentes, imo et fratrem Georgium, inter se solemnius convenisse de re coram iudice reticencia, unde suspicio gravis aliarum etiam collusionum !

Insuper quoad infirmitatem argumentum, quae ad probandum metum afferentur, advertit vinculi defensor proba-

tionem metus quae actricis eiusque parentum attestationibus nititur, satis superque ex hucusque dictis claudicare, nec multum eam roborari per caetera potiora allata argumenta, seu: testium depositiones, epistolas plures, ac tandem asserti suicidii attentatum.

Et primo quoad testes pro actrice inductos plura obiici posse existimat orator, ut liquet ex iis, quae adnotata sunt ab alio vinculi defensore in prima causae propositione v. g. eo quia (saltem plures) « cum facta particularia ad probandum metum omnino necessaria non in promptu habeant, toti in eo sunt, ut generalibus verbis in animos iudicum imprimant opinionem iudici favorabilem etc., itemque v. g. eo quia nonnulli traducuntur a patronis tamquam interrogati ex officio, qui tamen fuerunt ab actrice inducti etc. Dein adnotat Sacramenti vindex, arbitrario nimis traduci a patronis tamquam nulla fide dignos testes viri. Ecquis, clamat, sanae mentis fidem denegabit hisce testibus, eo quia De Villermont nomen praeseferunt, vel quia pro sponso De Villermont favorabile dant testimonium ?

Imo, contendit orator, sub aliquo respectu esse testes viri , ceteris paribus, praeferendus, testibus uxoris ob duplicem rationem, seu 1. quia stant pro valore matrimonii; 2. quia excludunt metum.

Praeterea addit orator, actricis patroni non rite interpretantur in primo Restrictu facti et iuris regulam traditam a Mascardo, *De Probation. II, Conci. 1052,* nempe quod : magis sit credendum testibus deponentibus de metu quam mille negantibus vel asserentibus de libera voluntate. Etenim iuxta vinculi defensorem, distinguendum est, num testes metum negantes pure et simpliciter de libera voluntate testentur, an potius testentur de libera voluntate excludentes minas etc. quae ab adversariis allegantur. 'Unde scitissime Schmalzgrueber in comment, tit. De his quae vi metusve n. 35 scribit.

Praeterea quoad argumentum deprompitum ex asserto

suicidio ab Alicia attentato ut propositas nuptias declinaret, haec observat orator.

In primis nemo non videt tardam huius adiuncti allegationem alio ex respectu reddere dubiam fidem familiae Fischerorum, quum suspicionem ingerat ne inter eos ex condicto fuerit processum in responsionibus parandis. Insuper ad probationem physicam, quod spectat tentati suicidii seu melius vestigiorum asserti attentati suicidii, nonnisi unius periti testimonium habemus. Iamvero saltem in casu unius periti testimonio credere periculo non vacat, magis quia in casu fuit peritus non a S. Congr. sed ab ipsa actrice marte proprio electus, et hinc peritia per se fuerit extraiudicialis, quamvis postea ex S. C. Concilii ratihabitione iudicialis evaserit.

Praeterea ad probationem moralem asserti attentati suicidii animadvertit Sacramenti vindex, eam totam consistere in affirmatione personarum, paucissimarum numero et auctoritate suspectarum, seu Aliciae, parentum ac famulae Manderlier; auriga enim nihil testatur de suicidii causa. Ecquis, quaerit orator, in fide talium testium certus esse potest ea vere de causa Aliciam sibi intulisse manus, ut nuptias declinaret? Nonne alia de causa id contingere potuit, et quidem tempore plus minusve a sponsalibus remoto, imo forsan iam celebrato coniugio ac abrupta coniugali consuetudine? Frustra enim opponeres illa verba periti: « I caratteri della cicatrice ed il perfetto incistamento del proiettile autorizzano ad affermare, che la lesione si produsse già in tempo assai remoto, che si può valutare a una quindicina d'anni ». Et reapse si ad quindecim cur non (attentis adiunctis) ad sexdecim (seu ante sponsalia) aut ad tredecim (seu post derelictum virum)?

Iamvero, prosequitur vinculi defensor, tunc tantum actricis votis esset faciendum satis, quum evidenter ostensum fuisset agi in casu de eo metu, qui iuxta canonica statuta, nuptiarum validitati obest. At nedum allata hucusque argumenta, iuxta oratorem, infirma sunt ad probandum fa-

ctum illationis metus ; quod in re prorsus capitale est, sive quia matrimonium per se semper praesumitur libere celebratum, sive etiam, quia illatio metus per se seu praescindendo ab intentione subiectiva inferentis et hinc ab eius saltem interdum bona fide, est aliquid criminosi, quod non praesumitur sed omnino et plenissime debet probari : sed dato etiam et non concesso fuisse probatum factum illationis metus, longe abest, ut dicere valeamus fuisse apte probatam naturam metus ipsius.

Et sane, quaerit orator, quaenam minae occurrunt in casu ? Fortasse, quod est magis grave, id est quod refert testis Emma Manderlier, in cuius auctoritate plurimum confidere videtur patronus, quaeque in processu suppletivo bis interrogata fuit nempe 13 maii et 29 aug. 1902.

In primo examine de minis matris interrogata respondit : « J'ai assisté bien souvent à des scènes violentes j'ai entendu aussi que la mère disait à sa fille qu'elle l'aurait enfermée, si elle ne changea pas : qu'elle la mettrait dans un couvent ». In secundo vero rogata, ut uberius explicant phrasim: « de scènes videntes etc. », respondit: « J'ai assisté très souvent à des scènes violentes. J'ai vu entre autres que la mère prenait sa fille par le bras et le repoussait avec violence.... Elle (mater) faisait alors à sa fille toutes espèces de roproches ».

Iamvero si hoc forsan est magis grave ex iis, quae in themate asseruntur, observat vinculi defensor, illud reapse parum esse : I. ob dubiam fidem huius feminae, iam famulae in domo Fischer, et nimis sero productae; nec placet oratori utpote suspecta, ratio data ab Alicia de non evocata antea Emma, ob timorem ne de suicidio loqueretur ; 2. eo quod interrogatorium secundum, ut supra annotavit, est reiiciendum utpote extraiudiciale; 3. eo quia, illae minae et vexae sunt, ut aiunt, *problematici valoris.* Et reapse quod mater filiam reprehendat, manu excutiat, claustri ianuam apertam ostendat, imo et suum ei amorem denegaturam dicat talia non sunt, iuxta vinculi defensorem,

quae gravem metum cui resisti non potest causare potuerint, praesertim in casu, quum ageretur de muliere aetate maiori, quippe vigesimum secundum aetatis annum praetergressa iam fuerat quum denupsit, ac praeterea unica erat filia (praeter fratrem nunc mortuum). Unde multiplex praesumptio oratrici adversa, seu : 1. ipsam potuisse matri resistere, eo magis quod a patre auxilium aliquod gravioribus in adiunctis, v. g. in hypotesi coactae deductionis in claustrum, semper potuisset sperare; 2. matrem non serio illas minas protulisse, quae propterea nonnisi tamquam vana terriculamenta oportuisset aestimare.

Quibus animadversis in utramque partem, propositum fuit enodandum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re large disceptata sub die 31 Ianuarii 1903, censuit respondere: *Ex noviter deductis, constare de nullitate matrimonii.*

FESULANA

PRAESTATIONIS ONERIS

Die 31 Ianuarii 1903.

Sess. 25. cap. 1. **De ref.**

COMPENDIUM FACTI. Canonicus Angelus Maria Bandini per supremam voluntatem in suo testamento diei 12 Iunii 1802 significatam, ex universis suis bonis, quoddam opus pium condidit, destinatum, in primis, institutioni iuvenum pauperum Fesulanorum, tum in litteris italicis et latinis, tum in religiosa et morali; et praeterea iussit, constitui beneficium canonicale a titulo S. Ansani in Cathedrali Fesulana. Re sane vera canonicatus erectus fuit per decretum Episcopi Fesulani die 14 Aug. 1804 iubentis,

novo canonico tribuendam esse annuam scutatorum summam non minorem canonicali praebenda aliorum canonicorum et una simul cavit « *S' ordina di più che la detta beneficenza* » seu ipsa administratio pii operis « *a tìtolo di remunerazione per tale elargita debba pagare ogni anno nel mese di Aprile alla cassa Capitolare la somma di Lire trentuna* ». Elargitio de qua loquitur Episcopus, ea intelligitur facta a Capitulo quod novum canonicum admisit ad turnum Missarum attributarum canonico hebdomadario unde aliquod lucrum cessavit singulis canonicis. Siquidem damnum inde emergens singulis canonicis ob Missas numero pauciores ab ipsis celebratas aestimatum fuit ad libellas Hetruriae unam et triginta (31) in singulum canonicum.

Disceptatio synoptica

Et de hac praestatione oneris hodie quaestio movetur; nam quamvis hoc onus ab initio disertis verbis impositum sit directe ipsi pii operis patrimonio, attamen, progressu temporis, uno vel alio nomine, solutum fuit ab ipso canonico a S. Ansano. Equidem capitulum asserit, solutionem fecisse ipsum canonicum ab 1825; ex adverso hic canonicus contradictor reponit, hanc solutionem initium habuisse ab a. 1809 et in libris rationum sub an. 1832 caveri: « *Dall''opera Pia e per essa ricevuta dal Canonico di S. Ansano* ». Attamen ipse canonicus contradictor non negat et nullimode negari posset, canonicum a S. Ansano usque ad hodiernam promotam quaestionem sol visse summam lib. 32 distribuendam singulis canonicis pro rata parte, sed contendit ex errore et indebite solutam esse; quandoquidem hoc onus in tabulis fundationum impositum fuit ipsi pio operi, at nullimode a canonico debetur, quod proinde pridem solvisse canonicus dicendus est nomine et mandato pii operis, rependentis eamdem summam ipsi canonico ob solutionem pecuniae a se non debitae factam.

Sane hodie haec praestatio nullimode repeti valet ab ipso pio opere quia ob novas editas leges a Gubernio Ita-

lieo de piis operibus, confectum fuit a. 1879 statutum organicum subscriptione signatum ab Episcopo et a canonicis capitularibus, utpote pii operis administratoribus, nec non ab Administro Regio a negotiis regiminis interni : nullibi vero de hac praestatione cavetur.

Porro, uti fertur, adhuc a Pio Opere solvitur quaedam pecuniae summa - *a titolo di laceri per stralcio* - imposita an. 1817, sed haec nullimode confundenda est cum praestatione de qua hodie agitur; sive haec repetatur ab ipso actu erectionis uti opinantur capitulares sive a quodam alio decreto 18 Augusti 1805 uti censent contradictores.

Iamvero origo hodiernae controversiae haec fuit.

Sacerdos Bargigli qui ab anno 1882 canonicatu S. Ansam potitus est, praedictas eidem Capitulo libellas 32 solvit usque ad an. 1892. Verum ab hoc anno dictam summam solvere renuit, asserens se hoc onere non obstringi, imo expostulans ut sibi id omne restituatur quod usque ad illum annum exsolvit. Idem repetit Sac. Ioseph Focardi, qui hactenus solvit quum eundem obtineat canonicatum, volens insuper ut in posterum tali onere immunis ipse declaretur.

Ambo itaque asserunt libellas 32 solvendas esse Capitulo ab Opere pio Bandini, minime vero a canonico S. Ansam, iuxta ea quae tum in actu erectionis die 8 Augusti 1804, tum in decreto die 18 Augusti anni 1805 statuta sunt.

Capitulares dictam summam a canonico S. Ansani sibi deberi autumant titulo compensationis, cum ipsi emolumento nuncium miserint quod sibi antea obveniebat ex eleemosynis Missarum quas per hebdomades quisque canonicus celebrabat; ex quo videlicet canonicus pro tempore S. Ansani earumdem eleemosynarum particeps factus fuerit. Hanc proinde summam ab obtinente canonicatum S. Ansani saltem ab an. 1825 usque in praesens sedulo fuisse solutam asserunt : eamque ex patrimonio eiusdem pii Operis derivari censet Capitulum, adeo ut si idem reditus adhuc apud ad-

ministrationem eiusdem pii Operis maneat, ipsa administratio illum Capitulo praestet; sin autem praebendae canonici pro tempore S. Ansani additus sit, (quod opinantur canonici), tunc solvendi munus ad ipsum canonicum spectet.

Neque mirum, ait Capitulum, si dicta summa saltem ab anno 1825 a canonico S. Ansani soluta fuerit, cum id repetendum iure sit ex eo quod ipsius canonicatus reditus ex lib. 746,76 ad summam lib. 944,60 adaucti sunt, subdens : « E come per questo aumento gli fu accollato *Y* obbligo dell' anniversario e del titolare che gravava direttamente T amministrazione dell' Opera Pia, così il fatto e la pratica almeno di 50 anni c' induce a concludere che lo stesso sia avvenuto per la detta corresponsione al Capitolo ».

Idemque onus etiam post Statutum organicum Pii Operis Bandini spectare ad dictum canonicum vult Capitulum, secus enim non adesset ratio, iuxta ipsum, cur ei praeter lib. 47,48 « per 1'anniversario e il titolo », lib. 55,36 additae fuerint. Aiunt enim «....... l'onorario del canonico essendo di L. 850 ed il suo assegno di fondazione di Lire 746,76 con più L. 47,88 per 1' anniversario e il titolo, presenta un più di L. 55,36 che non apparisce perchè sieno state aggiunte se non per continuare il passaggio della prestazione annua al capitolo ».

Idque vel magis, addit, quod vix edito Statuto administratores qui Statutum condiderant dictam summam a canonico S. Ansani repetierunt, quamvis ab eo postea reclamatum fuerit, illamque solvere detrectaverit.

Nil mirum insuper addit Capitulum quod in eodem Statuto nulla fìat mentio de hoc onere ipsi canonico imposito, cum scilicet agatur de particulari pactione inter canonicum S. Ansani ipsumque Capitulum peracta, quin proinde ipsum Pium Opus attingat.

Ex adverso canonici Bargilli et Focardi; *a)* negant obesse damnum in medium a Capitulo allatum ; eo vel magis quod ipse hodiernus Episcopus Camilli duos erexerit canonicatus, et admiserit ad turnum Missarum, quin idem onus

ipsis imposuerit, videlicet singulis Capituli canonicis satisfaciendi .

b) Pariter negant dictas inter eos intercessisse conventiones praeter id quod in erectione d. 14 Aug. 1804 atque in Statu 6 Maii an. 1879 sancitum est. Immerito proinde dictam summam fuisse ipsis ab eodem Capitulo expetitam asserunt.

c) Animadvertunt insuper se haud oppugnare quae Opus pium, prout ex actu erectionis constat, eidem Capitulo solvere tenetur, sed ea quae singulis canonicis debentur prout in Decreto diei 18 Aug. an. 1805 habetur, quippe haec debentur ab ipso Pio opere, non a canonico.

d) Veritati etiam haud consonum esse aiunt id quod a canonicis • cap. asseritur, videlicet saltem ab an. 1825 canonicum S. Ansani praestationem dictam eisdem capitularibus solvere fuisse solitum, cum hanc potius idem canonicus solverit ab an. 1809 ad an. 1879. Usque autem ad an. 1832 in libris capitularibus id reperiri adnotatum, animadvertunt, a canonico camerario « *dall' Opera Pia, e per essa ricevuto dal Canonico dd S. Ansano incaricato L. 32 ».* Atqui, inferunt, si ab an. 1825 canonicus S. Ansani dictam peregit praestationem, hanc certe solvisse dicendum titulo quo usque ab an. 1809 soluta fuit; et quoniam ab hoc anno pro dicto Opere pio soluta est, evidens esse aiunt, canonicum S. Ansani usque in praesens pro eodem pio Operé eam solvisse.

Quod autem ab anno 1832 in illa exigenda pecunia eadem formula omissa fuerit, id repetendum esse asserunt ex eo quod aliquando sub diverso titulo erronee dictam summam lib. 32 exegerit camerarius. Certum enim est, aiunt canonici, ex errore praescriptionem induci non posse, vi cuius eadem praestatio potiusquam ab Opere pio a canonico exigi valeat.

Ceterum iidem canonici animadvertunt in Statu on?anico inter onera quae canonico S. Ansani incumbunt, dictam praestationem haud recenseri solvendam capitulo. Imo

addunt articulum 51 - *Disposizioni transitorie* - haec de rectore pro tempore habere. « L'Articolo 54 del presente Statuto non sarà applicabile all' attuale Rettore del canonicato di S. Ansano, il quale continuerà a godere, finché rivestirà una tale qualità, delle rendite e assegnamenti annessi al detto canonicato nel modo e alle condizioni con cui ne ha fin qui goduto, fermo stante 1' obbligo in esso dell' adempimento di tutti gli oneri contemplati a di lui carico nel precedente Capitolo VI ». Cum autem in art. 25 eiusdem Statuti inter assignationes haud sermo habeatur de dicta praestatione capitularibus a canonico S. Ansani solvenda, consequens esse aiunt, successores in eodem canonicatu post an. 1879 haud tali onere adstringi, iustitiaeque esse consonum ut ipsis id restituatur quod erronee ab iisdem perceptum fuerit.

Postremo notant canonici contradictores, hodie amplius non haberi damnum pro singulis canonicis ex admissione ad turnum Missarum; quippe « l'elemosina di L. 1,68 nei giorni festivi; e di L. 1,12 nei feriali dovuta al canonico ebdomadario e concessa anche al canonico di S. Ansano » tempore admissionis damnum afferebat singulis canonicis sed non hodie, quum pinguiores eleemosynae modo percipiuntur a quocumque sacerdote celebrante. Hac de causa novi canonici nuper admissi ad turnum Missarum ex hoc titulo nihil praestant singulis canonicis.

Huic rationi respondent reliqui capitulares, controversam praestationem impositam fuisse non tantum ob admissionem turno Missarum, sed etiam quia « lo stesso capitolo debba dare al canonico pro tempore del suddetto canonicato la candela del peso stesso che si distribuisce ai canonici nel giorno dei Morti e Purificazione ed il Palmizio ed a correspettività dell' aggravio che sopra, alla cassa Capitolare il Camerlengo, ossia l'amministratore della eredità ßandini debba pagare L. 7 di detta moneta ». Ita ex actu fundationis ipsius canonicatus.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Haec mihi potiora visa sunt in partium animadversionibus. Pro meo officio haec adverto. Hodierna quaestio, equidem, haec est: an summa lib. 32 solvenda sit a canonico tituli S. Ansani favore singulorum capitularium.- Praeterea iuvat advertere, ipsos capitulares non inficiari, hanc praestationem, a tabulis fundationis impositam fuisse non ipsi canonico, sed patrimonio pii Operis; itemque, omnes capitulares et in his contradictores asseverant de facto hanc summam a remotissimo tempore, forsan ab a. 1809, uti fatentur ipsi contradictores, solutam fuisse ab ipso canonico. Attamen caute advertunt contradictores, usque ad annum 1832 ex rationum libris evinci, et probari solutionem factam fuisse a canonico nomine et mandato pii Operis. Ast ab illa aetate praetermittitur haec clausula in dictis libris, et simplex fit mentio secutae solutionis.

Praestat autem referre quae attestantur ipsi duo canonici contradictores.

« Ma non ci curiamo della inesattezza delle date e concediamo pure, che il titolare di S. Ansano abbia pagato la prestazione dal 1825 in poi senza che apparisca il vero titolo per cui la pagava: ciò nonostante trarremo nel modo più naturale una conseguenza contraria ai Rmi Canonici : poiché se fino dal 1825 il Canonico pagò la prestazione, è evidente che fin d' allora la pagò pel titolo per cui fu pagata dal 1809 in poi ; e poiché dal 1809 in poi veniva pagata per conto dell' Opera Pia come apparisce dagli allegati, ne consegue che fino ad oggi il Canon, ha pagato per conto dell' Opera Pia. L' omissione poi di quella formula, dal 1832 in poi, è effetto di avere ignorato il Reverendissimo Camarlingo, che com' ora anche allora si variava di sovente, il titolo per cui riscuoteva le L. 32, come l'ignorò il Canonico Manuelli Camerlingo quando pose nelle ricevute del 1898-1899, rilasciate al Canonico Focardi, un titolo errato.

» Una omissione di titolo od una forma errata non può costituire un fatto che dia diritto di esigere la prestazione

dal Canonico anziché dall' Opera Pia: E dato anche che un fatto erroneo inducesse la prescrizione, che recisamente si nega, poiché gli errori si correggono, lo Statuto compilato nel 1879 dai Reverendissimi Canonici, approvato dall'Autorità Ecclesiastica, e per le vigenti leggi del Regno d'Italia, dal Ministero, non toglie forse ogni dubbio? L'Opera Pia Bandini rappresentata dai Reverendissimi Canonici, nel 1879 compilò il Regolamento suddetto, inducendovi quelle modificazioni che stimò opportune: per quella parte poi che riguarda il Canonico promulgò gli Articoli 25, 26, 37; in questi sono descritti i diritti e doveri propri del Canonico; ma tra i doveri non apparisce la prestazione ai Canonici ».

Sed cum canonici provocent ad art. 25 Statuti organici, hunc articulum referam advertens, inde constitui regulam ordinariam, cum articulus 51 exceptionem quamdam firmaverit favore canonici tunc temporis obtinentis praebendam; scilicet ne praeiudicaretur iuribus legitime quaesitis. - Art. 25 ita conceptus est. « Il medesimo a titolo di prebenda canonicale oltre 1' uso della villa e l'usufrutto del giardino e terreno annesso, percepirà 1' annua somma di L. 850; a compenso di tutti gli oneri inerenti al canonicato compreso quello della festa del titolare e dell' anniversario prescritto dal testatore rimanendo a carico dell' Opera Pia la spesa per imposizioni e acconcimi, essendo il rettore sostanzialmente custode della chiesa, della canonica e annessi ». — Quia vero hoc in articulo expresse innuitur, fructus praebendales assignari « *a compenso di tatti gli oneri inerenti al canonicato* », advertunt capitulares, inter haec onera optime comprehendi etiam onus solvendi capitulo summam lib. 32.

Eo magis quod, uti supra retulimus, advertunt capitulares « l'onorario del canonico essendo di L. 850 con più L. 47,88 per l'anniversario e il titolo, presenta un più di L. 55,36 che non apparisce perchè sieno state aggiunte se non per continuare il passaggio della prestazione annua al capitolo ».

Hisce autem perpensis, cum ex alia parte canonico tituli S. Ansani solutionem fecerit lib. 32 quin ulla receperit ab Opere pio refectionem expensae, et certe ab a. 1879 seu a condito Statuto organico nullimode haec refectio concedi nec sperari poterat, videntur mire conspirare omnia elementa ad *praescriptionem.* Siquidem praescriptio est iuridicum institutum, suapte natura ordinatum ad auferendas dubietates in rerum dominio et in iurium fruitione, ne lites et discordiae sint pene inextricabiles, uti advertit cap. *Vigilanti, De praes.* « Ephesius enim legislator solum propter vitandam miserorum segnitiem et longi temporis errorem et confusionem, primus tricennali vel quadragenariae praescriptioni vigorem legis imposuit ». Intendit autem lex praescriptionis vitare miserorum segnitiem, nam quisque in sua iura vigilare debet et uti habet lex *Non enim* ff. *Ex quibus causis maiores,* iura seu leges vigilantius subveniunt, non dormientibus. - Inde praescriptio nata est auferre - *longi temporis errorem et confusionem,* - quia postquam aliquis vel in possessione fuit alicuius rei vel iure aliquo fruitus est longo tempore in bona fide, maxime cum adesset titulus coloratus ; quem, in casu, nemo dicet deesse si advertantur quae refert capitulum, nempe in praebenda canonici a S. Ansano habita fuisse progressu temporis nonnulla redituum incrementa quae videntur concessa ad ferendum novum onus controversae solutionis ; omni procul dubio in themate vigere dicemus elementa praescriptioni necessaria, nimirum bonam fidem, rem aptam, possessionem longo tempore continuatam et titulum iustum coloratum seu praesumptum.

Illud autem tempus intelligimus longum iuxta legem Unie. Cod. *De usucap. trans form.;* unde in § 1. *Inst. De usucap.* statuitur: « Cautum est ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (id est inter praesentes decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur ». Controversam vero praestationem pecuniae annuae censemus inter res immobiles, cum in Clem.

Baivi § Proinde, De Verb. signi f. edicatur: « Cumque annui reditus inter immobilia censeantur a iure ».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo esset diluendum

Dubium.

I. « *Utrum annua summa lib. 32 solvenda sit a canonico tituli S. Ansani in casu.* - Et quatenus negative.

II. *An et quomodo sit locus repetitiòni pecuniae indebite solutae in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 31 Ianuarii 1903 censuit respondere : Ad I. *Affirmative* - Ad II. *Provisum in primo.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

PLACENTINA; indulgetur ut amodo pro lectionibus de communi huc usque adhibitis, lectiones propriae historicae recitari valeant.

DECRETA INEDITA.

Placentinae Cathedralis Ecclesiae vetustatem, molis magnitudinem, structurae nobilitatem, styli longobardici puritatem, quibus Sacrae Aedes primarias inter et praestantiores Italiae superioris enitent, animo diu reputans Riîius Dnus Ioannes Baptista Scalabrini Pontifex Placentinorum, ipsius templi instaurationem maturo consilio adhibitisque artis peritis ea lege suscepit, ut illud ad primaevam simplicem speciem revocaretur. Quo opere feliciter, anno superiore, ad finem perducto, idem Rmus Praesul, una cum suo Rmo Capitulo, SSmum D. N. Leonem Pp. XIII, humillimis precibus, rogavit, ut in festo anniversario Dedicationis suae Cathedralis Ecclesiae, pro Lectionibus de Communi huc usque adhibitis, Lectiones propriae historicae in posterum recitari valeant, quarum schema approbandum demississime subiecit. Porro eiusmodi schema quum de more, in ordinariis Ss. Rit. Congregationis Comitiis, subsi-

gnata die ad Vaticanum habitis, Emus et Riîius Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuen. et S. Rufinae, Relator proposuerit; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Pro gratia, et ad Emum Ponentem eum Promotore Fidei.* Die 2 Decembris 1902.

Revisione demum earumdem Lectionum peracta, hisque omnibus SS. D. N. Leoni Pp. XIII, ab infrascripto Cardinali S. eidem Congregationi Pro-Praefecto relatis, Sanctitas sua sententiam ipsius Sacri Consilii ratam habens, suprascriptas Lectiones historicas, ab universo Clero saeculari et regulari dioeceseos Placentinae in festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in posterum adhibendas suprema Auctoritate Sua benigne approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16, iisdem mense et anno.

D. CARD. FERRATA, *Pro-Praef.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Commentarium.

In fine Breviarii, post *Communia Sanctorum* habetur officium pro Dedicatione Ecclesiae, quod inscribitur: *Commune Dedicationis Ecclesiae.* Gavantus (Sect. 8, in princip.) notat: *Commune continet ea, quae ad Horas canonicas sunt necessaria, quando in festis non habentur* propria....; quod cohaeret cum Rubrica generali (Tit. XII, n. 3) dicente: *Recurrendum est semper ad Commune.... ubi pro qualitate festi.... omnia ordinata ponuntur, illis exceptis quae* propria *suis locis habentur.* Et alibi (Tit. XXVI, n. 2): *In secundo nocturno tres lectiones.... si non adsint* propriae, *leguntur de Communi.*

Lex ista applicatur frequentissime, imo quasi semper, pro Sanctorum festis, sed nil vetat quod applicetur quoque pro anniversario Dedicationis Ecclesiae alicuius: imo id valde decet et convenit. Guyetus *(Heorthol.* I, c. 3) opportune notat, Dedicationem Ecclesiae, vere esse *Natale* ipsius, et citat s. Leonem *(Serm. de Machab.);* igitur si in natalitiis Sanctorum legitur hi-

storia eorum, quando agitur de aliqua insigni ecclesia, quae memoranda habeat scitu digna, valde interest ut haec legantur in anniversario dedicationis eius.

In Breviario exempla non desunt; habemus enim historias in dedicatione Basilicarum Urbis, Lateranensis, Vaticanae, Liberianae, Ostiensis; sicut et in *Proprio* ecclesiarum S. Mariae *in Cosmedin,* S. Mariae *trans Tiberini,* S. Marci, et aliarum forsan. Insuper nova non est concessio lectionum secundi nocturni pro dedicatione alicuius Cathedralis, nam S. R. C. eas concessit, uti constat ex eius Decretis, pro Cathedralibus Mutinensi, Vercellensi, Vesuntionensi, Coloniensi, Assisiensi, Praenestina, et recentissime pro Neapolitana et Casinensi, sicut et pro Basilicis S. Mariae Angelorum et S. Francisci Assisii, ac pro vetustissima ecclesia, *Turre* dicta *S. Benedicti,* in Montecasino.

Cum vero, Cathedralis Piacentina, ineunte saeculo vicesimo, magnis curis et sumptibus ad formam primaevam reddita, solemniter dicata fuerit, opportune Episcopus et clerus tres lectiones, quae in compendio ecclesiae Placentinae originem ac vicissitudines exhibent, S. R. C submiserunt, a qua Decretum hoc obtinuerunt adprobationis.

Huiusmodi lectionum concessio, velut *consona* spiritui Ecclesiae, *cono enientissima* et minime *nova,* a S. R. C. non negatur, quando memoriae sacrae scitu dignae non desint, et quando ecclesiae dedicatae excellentia aut dignitas id consulat. Quot illustrium ecclesiarum deperdita est memoria originis, dedicationis, etc., quae certa non esset perempta, si in eius anniversario lectiones propriae exstitissent!

CONGREGATIONIS *Fratrum scholarum Christianarum;* quaeritur an capellani vel sacerdotes fixi, qui apud dictos fratres manent, teneantur in festo S. Ioannis Baptistae de la Salle ad recitationem officii proprii.

R. Fr. Robustianus, Procurator Generalis Fratrum Scholarum Christianarum a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expetivit; nimirum:

Ex concessione Apostolica, Congregationi Fratrum Scholarum Christianarum indultum est, ut festum Sancti Ioannis Baptistae de la Salle, eiusdem Congregationis Institutoris, sub

ritu duplici primae classis cum Octava recolatur cum Officio ac Missa propriis. Quum autem Fratres memorati Instituti ad recitandas horas canonicas minime teneantur, et apud se habeant vel fixos capellanos, qui a Rmo Ordinario designati, sunt addicti ipsorum domibus ad obeunda munera ministerii ecclesiastici, vel etiam Sacerdotes, qui alicui paroeciae, veluti coadiutores, operam navantes, aut ecclesiastico aliquo beneficio fruentes, locum tenent capellani in domibus Fratrum, et sacras functiones ibidem explent, et Sacramenta administrant, hinc quaeritur:

An supradicti capellani fixi, vel Sacerdotes vices capellani gerentes, teneantur ad recitationem Officii proprii eidem Congregationi concessi in festo et per Octavam S. Ioannis Baptistae de la Salle?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Nee primos, nee alteros capellanos teneri in casu.

Atque ita rescripsit. Die 23 Ianuarii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praef.*

L. & S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

Commentarium.

Ut recte intelligatur huiusce Decreti dispositio, notandum est, in quaesito a R. Fr. Robustiano Procuratore Fratrum Scholarum Christianarum, nullum verbum fieri de ecclesia publica apud domum eorumdem erecta, et ab ipsis Fratribus administrata. Igitur si agatur de capella interna, sive etiam de oratorio *semipublico,* capellanus fixus, vel illius locum tenens, Officium S. Ioannis Baptistae de la Salle celebrare neque debet, neque potest. *Non debet,* quia nullo canonico titulo illi adstringitur, sicut beneficiatus ad propriam ecclesiam; *non potest,* quia in casu capellanus non aequiparatur quidem Sacerdoti ad serviendam aliquam ecclesiam deputato, ad mentem Decreti S. R. C 3431[8]. Ergo Officium recitare debet, iuxta calendarium

dioecesis vel religionis suae, etiam in festo S. Ioannis B. de la Salle, cuius Missam tantum in capella Fratrum memorati instituti celebrare poterit.

Quod si iidem Fratres aliquam ecclesiam habeant, vere publicam, propriis domibus adnexam, quae illis quomodocumque pertineant, uti habent pluribus in locis, tunc Sacerdos rector illius ecclesiae, ad mentem Decreti generalis 4025, Officium sub ritu duplici I classis cum octava celebrabit, non tantum S. Titularis illius ecclesiae (et dedicationis si est dedicata), sed et S. Ioannis B. de la Salle Fundatoris persolvet; ac proinde iuxta aliud Decretum 3936[2] variationes opportunas in calendario iuxta Rubricas inserere curabit.

Quod *debeat* dicta festa cum Officio et Missa capellanus seu rector ecclesiae celebrare, probatur 1° ex iure canonico. In Pontificali Romano *{De Eccl. dedicatione)* habentur haec verba ab Episcopo ad fundatorem ecclesiae dicenda: *Scias, frater carissime, quoniam non permittunt iura ecclesias sine ministris ac dote consecrari;* non concipitur ergo in iure aliqua ecclesia, sine Sacerdote rectore. Atqui rector alicuius ecclesiae a Rubricis et pluribus S. R. C. Decretis celebrare debet festa inibi instituta, ergo. Probatur 2° ex concessione Apostolica, qua indultum fuit praedictis Fratribus Scholarum Christianarum, ut festum S. Ioan. B. de la Salle Fundatoris sub ritu dupl. primae classis cum octava recolatur.

A quibusnam recolendum erit? Non a Fratribus ipsis, quia Ordines sacros recipere, et horas canonicas'recitare, uti proprii Instituti lex est, non possunt, ergo a rectoribus ecclesiarum quas iidem Fratres habere possunt.

Ita, salvo meliori iudicio, intelligendum est hoc Decretum.

Monitum.

Munere nobis, quod perhonorificum tenemus, a superiori Auctoritate demandato, in memoriam revocamus tum Revmorum Episcoporum, tum Rectorum Ecclesiarum (Urbis praecipue, quae docere nata est, verbo et exemplo) sequens Decretum, a S. R. C. datum d. 9 Maii 1893, Romana, Dubiorum, n. 3798, ad 1 et 2; peculiariter vero quoad ultimam partem alterius :

« Dubium I. — Num Episcopus Titularis et nulla iurisdictione gaudens possit solemniter assistere Missae per alium decantandae, uti Episcopo Dioecesano Caeremoniale permittit ?

« Dubium II. — Num Episcopo Titulari et nulla iurisdictione gaudenti ius competat, quemadmodum Dioecesano, benedictiones solemniter peragere Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis, in respectivis diebus fieri solitas, nec non Absolutionem facere ad tumulum, *quin Missam ipsemet clecantet?»*

Ad I. *Negative.* — Ad II. Pariter, *Negative.*

Item aliud Decretum S. Congregationis Caeremonialis, *Rectoribus ecclesiarum Urbis,* d. d. 23 Maii 1902, ad VI.

« Absolutionis ritus, post Missam de Requie ab episcopo aut presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis episcoporum aut presbyterorum » (Diaconis enim Cardinalibus, etsi sacerdotali charactere insignitis, non permittuntur, saltem in Urbe, functiones presbyterales) « peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut Purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus ».

———= = = > & ^ g ^ 3 - c r =———

VALENTINA. Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Michaelae a SSmo Sacramento fundatricis Congregationis Ancillarum SSmi. Sacramenti et Charitatis (1).

Quod Valentini Iudices, anxii et scrupulorum aculéis exagitati, iterum testem Ioannem Vinader Caesaraugustanum perpenderint, in eo quippe summam eorum religionem admiror. At exinde inferri non licet prius exarrien irritum esse. In hoc enim altero, quod Valentini Iudices instituerunt, testis Ioannis Vinader examine, obtendit Censor nonnullas contradictiones fuisse deprehensas. Non annuam: at « apparentes » uti ipsi Iudices explicarunt. Nec miror quod, dum testis Servam Dei morte angelicam obiisse dicit ac visione beatifica eam frui pro certo habet, haud tamen eam dignam reputet coelestibus beatorum honoribus. Scrupulis enim praeter modum ipse excru-

(1) Recole Vol. XXXV pag. 292.

ciari visus est. Sunt enim multi, neque ii vulgares homines qui falsa opinione decepti, sanctitatis imaginem extra humanas vires-ponunt omnino, nulli mortali assequendam. Itaque cum testi Ioanni Vinader hinc altissimum prae oculis immineret absolutae sanctitatis fastigium; inde vero angelica Servae Dei virtus splenderet, summa religione se impediri sentiebat quominus sententiam suam rite manifestaret.

Ad Matritenses testes digrediar, quorum tres Censor carpii, scilicet: I. Mariam Alvarez de Bolorques, ducissam de Gor, quae nonnulla rerum adiuncta praeteriit : at quaenam praeteriri? « quasdam parvi momenti circumstantias ». Cur praeteriit ? « vel distractionis vel brevitatis causa ». Verum si de minimis non curat Praetor; si bonae fidei semper ex iure succurrendum est, cur Mariam Alvarez reprehenderis? II. Bernardam Rodríguez: at immerito quidem. Nam etsi «longius et latius circa virtutes Ancillae Dei potuisset declarare » et nihilominus tacuit, non is est Censor qui legitime queri possit. Nobis contra esset iusta querelae causa, qui lucrum amisimus, cum Censoris si vitia arguere, patroni autem virtutes laudare. Cur vero non omnes declaravit virtutes? « ne videretur nimia aviditate vieta aut scrupulis vexata timore exaggerandi! » Nonne haec est excusado legitima? III. Hermenegildum Sancho quia « videtur nimium attenuasse culpabilitatem, quam in controversiis cum Dei Famula habere potuit ». Ex integra oratione patet testem culpam suam, si quando incidisset, non Famulae Dei exténuasse: ab omni culpa enim ipsa fuit immunis. Verumtamen testi plus minusve culpam suam excusanti parcendum est: porro nemo testis in causa sua. Ceterum quanta apud ipsum Hermenegildum sit fides, vel Iudices indicant siquidem dicant « illum quod et de ceteris (testibus) veraciter et sincere declarasse». Insuper controversiae, non iurgia erant: eaedemque modum de puellis periclitantibus hospitio accipiendis unice spectabant, nempe testis : « non si lasciava Madre Sacramento trascinare dagli atti d'ira o di superbia:... però è certo che aveva il suo carattere veemente e viva imaginazione, per cui forse accadde, che per avere tentato io di mettere in un Convento una delle sue ricoverate, mi scrisse una lettera, in cui mi diceva che aveva ripartito le mie penitenti con altri confessori, a seconda del desiderio, che a. Lei avevo innanzi manifestato io medesimo; però da questo risultò che io mi li-

cenziassi dalla Casa facendolo prima colle ricoverate in altra occasione che colla Superiora ». Ipse Testis dixit Servam Dei bona fide in hisce controversiis ductam esse atque eius suavitatem et aequum animum laudavit; « noi c'incontrammo di nuovo nell'ospedale di S. Giovanni di Dio in occasione delia comunione generale e la Serva di Dio, come se nulla fosse passato e senza ripugnanza alcuna, mi si avvicinò pregandomi con buone maniere, a dirigere la parola di Dio per rendimento di grazie, dopo di avere comunicato gl'infermi e le Suore ». Testi talia dicenli cur non credendum? nonne veritas ex inimico pectore gratior esse solet? Nonne is Sacerdos erat idemque Religioso Ordini adscriptus? Nonne iuramento de veritate dicenda se obligaverat? Nonne affectio perpurgatur per iuramentum, uti Pignatellus fuse docet?

Denique non me latet Matritenses testes iuxta omnes interrogationum formulas non fuisse perpensus. Non is sum, qui omissionem tamquam exemplo imitando proponam: quo maioribus cautionibus enim inquisitiones instituuntur, eo plus auctoritatis vindicant ipsae sibi: quin etiam Censori concedam Matritensem Processiculum in hac parte minus perfectum esse: sed cum vel ipse candide dicat « haud inficior iure communi inspecto, quorumdam interrogatoriorum omissionem integrum testis examen irritum non facere », plura in hac sede dicere omitto, quae alibi fusius erunt .discutienda. Accedit quod horum testium dictis in Summarii tabulis componendis nos usi non sumus; non est igitur cur hisce quaestionibus longius Patres Emos detineamus.

At Censor aliunde nos impetit et quaerit quamobrem factum sit ut Matriti, ubi diu nec ignota vixit Dei Famula, exiles testes fuerint. At parce, quaeso : quid est de quo quaeritur in hac causa? Porro de fama sanctitatis! atqui non a Pignatelli et Benedicto XIV traditum est : « fama de iure probatur ex ore duorum testium, qui sint spectatae fidei?» Itaque Matritenses testes, prouti perpensi fuerunt, (si ceteri deessent) nonne ipsi uni famae probandae sufficerent? — Porro in hac defama sanctitatis causa novem inquisitiones institutae sunt: Centum ac quadraginta quinque testes excussi: immensa autem iudicialium tabularum moles novem voluminibus continetur. Frons ipsa adiecti Summarii quot ac quam locupletes fuerint testes primo oculorum coniectu demonstrat? Quid amplius desideratur?

Adversarios multos eosque acérrimos Dei Famulam Censor nactam esse opponit: damus! « Omnes Sancti et Sanctae Dei calumniis semper patuerunt et illi praecipue, qui sanctiores et Ecclesiae fructuosiores fuerunt ». Quinam Dei Famulae sunt adversati? nonnisi amasii illi, quorum amplexibus misérrimas foeminas Dei Famula eripiebat ut Deo traduceret Unde IV Testis Valentinus : « Non c'è dubbio che la Serva di Dio fondò e perseverò nella fondazione della casa delle Abbandonate, solo per la gloria di Dio e salvezza delle "anime, poiché il mondo si ribellò contro di lei e l'innondava d'improperii. Io stessa vidi dalla Sagrestia e dal dormitorio, nel primo anno, che stetti con la Madre Sacramento, che la gente perduta gridava; Morte alla Viscontessa ! morte a cotesta pazza! a cotesta perduta, che è più cattiva delle ragazze, che raccoglie! Lei è quella che deve pentirsi! faccia uscire la tale e tale! - nominando alcune delle ragazze ricoverate. Gli stessi insulti ed altri di uguale indole, sentì la Serva di Dio negli Ospedali e strade e li riceveva con molta contentezza dicendo: « quanto sono felice di patire per la fede di Gesù Cristo e per la salvezza delle anime ». I nemici dell'Istituzione volevano spaventarci, buttandoci de' razzi e facendoci delle gravissime minaccie, ed era cosa molto frequente l'insudiciare con delle immondezze le porte e finestre dell'edificio. In tali occasioni, siccome si raddoppiava lo zelo della Madre Sacramento, la si vedeva piena di condiscendenza ed accarezzare le infelici ricoverate, dicendo con gli occhi mondati di lagrime: Che si deve fare? di più soffri Dio per noi». Eadem refert septimus testis: «tutte quante le offese fatte contro la Serva di Dio non erano altro, che l'opera dell'inferno ». Et decimus: «fu trattata da pazza, e perfino si arrivò a dubitare della sua buona fede e dei santissimi fini, che si proponeva nel raccogliere le Abbandonate. Specialmente le persone, alle quali strappava le vittime della loro turpitudine, la ingiuriavano per le strade e per le piazze e con gridi rinnovavano le minaccie, che di già le avevano fatte nelle Case, alle porte delle medesime. Publica e notoria è la santa rassegnazione, con cui sopportò quelle vessazioni... Non perde, per causa di esse, giammai la sua tranquillità, dicendo: «Che per salvar anime ed evitare un sol peccato mortale, lo dava tutto per ben impiegato ». Vidit hoc idem quartus testis Barcinonensis : « vidi diverse volte in questa capitale e pure in Ma-

drid, che la si insultava vergognosamente da parte di alcune persone, che le reclamavano le ragazze, che si erano rifugiate nel suo Istituto per potere abbandonare il vizio. In tutte queste occasioni osservai nella Serva di Dio molta serenità (quantunque dispiacente) e straordinaria discrezione e fermezza per difendere l'anima, che le si disputava». At Benedictus XIV: «si nonnulli... Dei Servos odio habuerint propter eorum virtutes, tantum abest ut ab his fama sanctitatis minuatur ut potius aucta dici debeat... Si aliqui adversentur eo quod animalis homo divina non percipit... idem de iis ferendum erit iudicium ».

Censor expetit cur alteri ex illis adversariis in iudicium inducti non sint. Profecto Benedictus XIV edixit « non esse audiendum, qui malo animo vel vindicta se opponeret canonizationi ». Et S. Thomas « redditur probabile quod aliquis in veritate testificanda non sit firmus... vel ex defectu rationis... vel ex affectu,... sicut patet de inimicis ». Si acerba hac aetate, in quam incidimus, libellis famosis omnes boni viri, qui arduae virtutis viae fortiter insistunt, impeti solent, quid mirum quod etiam Ancilla Dei impetita fuerit? Quippe celso sublimique loco descendere seque mulieribus quam quae unquam abiectissimis immiscere, eas curare, prolixo sinu fovere, excolere, ad Deum deducere, quale opus redemptionis illud sit, quantum valeat, quaenam emolumenta vel in civilem societatem exinde confluant, haec omnia animalis homo non percipit idemque altam rigidamque virtutem insulsa dicacitate carpere gaudet. Cur igitur hos libellos sine nomine Censor desiderat? Porro qui ex nimio studio scripsit (ut Benedictus XIV sentit) est « instar testis, qui repellitur » imo « totaliter repellendus ». Sacer hic Coetus, ea qua praestat sapientia, semper ostendit quanto despectui habendae sint « hae voces (ita Cicero) contumeliosae, temere ab irato accusatore, nullo auctore, emissae ». Nonne B. Margaritae Alacoque et Claudio de Colombière famosis in vulgus editis libellis de Cultu SSmi Cordis Iesu acriter irrisum est? Summarii tabulas evolvant, quaeso, Emi Patres : quanta sanctitatis fama Ancilla Dei potiretur conspiciant ac denique diiudicent numne in hac causa « fama reapse originem duxerit a personis gravibus, honestis, fide dignis et non interessatis ». Cum res ita se habeant, omnino spernendus est « rumor sine teste, sine iudice... malignus, fallax... cui malitia initium dedit,... cui nulli non innocentissimo posset accidere, fraude inimicorum falsa vulgandum ».

Quod Augustissima Hispaniarum Regina, quod Archiepiscopi breve testimonium ediderint, id non arridet Censori: sed non eiusmodi est quod iure reprehendi possit. Excelsae et singularis dignitatis habita ratione, haud licebat eos longis iudicialibus formulis detineri. Etsi autem brevi oratione testati sint, tam apte tamen dixerunt ut ad famam sanctitatis probandam magnopere contulerint. Si P. Eugenius Libarta, 83 annos natus, qui a confessionibus Dei Ancillae fuerat, propter memoriae imbecillitatem, dixit « il ricordo di quello, che conobbi della sua vita, è molto debole », quid refert? Illud ehu! est in humana natura et ipse Benedictus XIV de testibus loquens, plane docet: « Memoria hominum labilis est »: et Iuris consulti: « inviti testimonium dicere non coguntur senes », ut pateret quantum devexae aetati esset parcendum. Haec in iure. Quod si omnia, ad unum heic mihi liceret dicta afferre ab eodem teste prolata, Emi Patres facile senserint quantum famae sanctitatis probandae apte congruenterque conveniant. — Utrum etiam Ioannes de Deo Montanes fusum vel breve testimonium perhibuerit, non curo: quippe, uti ipsi Iudices aperte fassi sunt, « vir fuit strictissimae conscientiae... territus gravitate iuramenti ». Tum denique, etsi Emmanuel Drouda illud unum dixerit (ut Censor opponit) « che teneva la Serva di Dio... in concetto di grandi virtù e di molto amor di Dio », apprime laetor mihi et Censori gratias habeo. Nonne enim hisce verbis continentur omnia, quae ad altissimam sanctitatis famam et virtutem probandam maximopere conferunt?

Quod testes, qui de Famula Dei fusius loquantur, alumnae sint Sodalitii ab ea conditi, nihil admirationis habet: imo quodam modo necessarium est. Unde Conterolus: « Religiosi et moniales optime probant in causis Servorum Dei eiusdem Ordinis:... a nullo enim melius possunt sciri facta Servi Dei alicuius Ordinis, quam a Religiosis cum eodem conviventibus ». Id admittere videtur Censor: at nimio studio erga Dei Famulam ductas esse opponit. Quid? Nonne iuratae sunt? Dixit enim Benedictus XIV: «non obstat suspicio affectionis: illa enim perpurgatur per iuramentum ». Nonne multae sunt? quia Pignatelli sentit eo maiorem fidem esse testibus adhibendam quo plures sint et adminiculati. Nonne religioso Ordini adscriptae ideoque summa vitae integritate praestabant? Porro ipse Bened. XIV sanxit: « concurrit sanctitas et perfectio Religiosorum, ex quo

magis praesumitur eos veritatem dicere». Nonne denique harum testium dicta cum ceterorum testium dictis, qui ex eodem Ordine non erant, apte congruenterque congruunt? Censor erga Dei Famulam testes nimio studio ferri ex eo coniectare contendit quod una vel duae dixerint: « darei tutta la mia vita, perchè si realizzasse la suddetta di lei beatificazione ». — Sed pace tua dixerim, Censor, hyperbole inter loquendum uti nemo vetatur: plenae exemplorum sunt Sacrae Litterae et divus Thomas: «plerumque verba excedere videntur fidem quod contingit quando id, quod apertum est, vel augetur vel extenuatur, nec tamen a tramite significandae veritatis erratur: quoniam sic verba rem, quae indicatur, excedunt ut voluntas loquentis, non fallentis appareat ». Testis una vel binae dixerunt, non abnuam, « darei tutta la mia vita perche si realizzasse la di lei beatificazione » et « desidero con tutta l'anima la di lei beatificazione». Utinam omnes dixissent! profecto quid est, de quo agitur in causis, quae apud hunc sacrum Coetum aguntur? «De honore universae ecclesiae» ait Pignatellus: «De operibus et mirabilibus Dei » de Matta affirmat. Nos vero prohibuerimus testes quo minus honorem Ecclesiae desiderent, opera et mirabilia Dei vehementi animo exoptent?

Censori visae sunt testes Dei Famulae virtutes exaggerare eo quod dixerint, etsi acri sensu praedita fuerit, tamen ita sui compotem extitisse ut numquam ad iracundiam dilaberetur donec per summam virium contentionem mitissima omnium facta est. Quid est in hoc quod exaggeratum esse videatur ac nimium studium portendat? Rem Schram scitissime explicat: « quemadmodum homo aliter in infantia, aliter in virili aetate perfectus dicitur, qui ultimus status unice in homine status perfectionis dicitur, ita in via spiritus, alia est perfectio incipiendum, per quam excluditur omne quod contrariatur caritati, ut incompatibile cum ipsa, scilicet peccatum mortale: alia est proficientium, qua caritas exercitio virtutum roboratur et augmentatur; alia est perfectorum, per quam homo a peccatis et passionibus purgatus illuminatusque virtutibus per caritatem soli Deo unitur, a rebus creatis alienatus, purissima intentione firmiter in prosperis et adversis illi adhaerens ». Hisce positis, si in Dei Famula quoque tempora distinxeris, testium sententiae inter se constabunt omnino. Utique « aveva un carattere austero, vivace ed energico » non is sum qui negem: at in eo

praecipua nota sanctitatis, qua Dei Famula floruit, plane consistit. Porro animi sui motibus tale bellum indixit ut gradatim eam principem virtutem sit assequuta atque illum vitae quasi quemdam ornatum omnemque sedationem perturbationum animi et rerum modum, quem Tullius in libris suis magnopere laudat.

Ut Schram animadvertit: « passiones per se non modo in. differentes, sed etiam bonae sunt: facile tamen et passim iam una vel alia, iam plurimae per immoderantiam insolescunt ». Quapropter, ratione et pietate duce, oportet ut prorsus cohibeantur. Dei Famula non modo cohibuit, sed ad maius etiam bonum convertit: « Le Suore dicevano frequentemente che molto s'era moderata l'indole di Madre Sagramento ed ammiravano questo cambiamento di carattere in lei e lo attribuivano alla divina grazia dicendo : - Che grande grazia le ha fatto lcb dio Nostro Signore! - Altre Suore, parlando del medesimo argomento, asserivano che senza il carattere energico, che la distingueva, e senza quella santa intolleranza, colla quale riprendeva gli abusi, per quanto fossero stati piccoli, non avrebbe potuto fondare l'Istituto ». Quod idem passim alii testes confirmant: « La Serva di Dio aveva un carattere duro... era severa, ma molto cortese. Negli ultimi anni però della sua vita, la si vedeva cambiata di modo che non pareva la stessa di prima». Atque etiam: «Di giorno in giorno si conosceva che aumentavano il dominio e la moderazione, con cui la Serva di Dio assoggettava i suoi sensi ». Porro in Dei Famula illud S. Francisci Salesii confirmatum est, ad cuius imaginem prope accessit: «Francesco di Sales (Rorhbacher ait) era per natura impetuoso e collerico. A forza di studiare la dolcezza alla scuola di Gesù Cristo, diventò il più mansueto degli uomini ». Quae cum ita sint, quanta fides sit penes testes, quae de Famulae Dei talia enarrant, facile quisque intelligit.

Autobiographiam eiusdem Famulae Dei in Theologi Censoris voto Fidei Vindex diligentissimus se frustra desiderare fatetur. At nonne causae actores eius oculis subiiciendam curarunt? Nonne in processus tabulis habet? Nonne perpendit? Siquid erat obiiciendum, quaeso, cur non obiecit? Nostri foret obiecta discutere. Neque dicas nullam vim probandi illi Autobiographiae concedi posse ! nam Benedictus XIV sanxit « probationis vim et efficaciam habere debere visiones, apparitiones,

quas sibi contigisse Servi Dei referunt... Idem quoque dicendum crederem de ceteris rebus, quae solo Dei Servorum testimonio probari possint si tamen ex aliis documentis de eorum virtutibus heroicis constet ». De testamento spirituali nihil dicam, quum nuper exhibitum sit.

Commentarium vitae Famulae Dei a Vincentio de la Fuente exaratum atque anno 1884 Matriti in lucem editum, quippe qui recentior sit, Censor vi probandi carere insimulat. Non me latet Benedictum XIV generatim non admisisse historias recenter conscriptas: verum sententia eius ad causas antiquas potius pertinere videtur. Rationi consonum quippe est ut quo minus scriptor ab aetate, qua Servus Dei vixit, abfuerit, eo certior de eius rebus gestis habendus sit. At in causis Servorum Dei, qui recenter vixerunt, quomodo, ex natura ipsa rerum, historiae de iis antiquissimae desiderari possunt? Res pro cuiusque indole existimandae sunt atque in legibus interpretandis monet Paulus « inspici solere quod verisimilius est ». Ipse Benedictus XIV tandem docet ex recentioribus quoque libris vim probationis legitime derivari posse, « si vita esset conscripta ab aliquo probato, licet recenti, auctore: si nihil in ea reperiretur quod conforme non esset adductis et comprobatis in processibus etc. ». Res igitur tota in eo posita est ut scriptor vitae integritate et doctrina fidem vindicet sibi: at quantam Vincentius de la Fuente fidem et doctrinam vindicet sibi ex eo coniectari potest, quod opus eius episcopali auctoritate recognitum est et omnia, quae in suo libro exposuit, cum testium dictis quam aptissime cohaerent. Verum quidquid sit, nos huius commentarii laciniis in Summario digerendo usi non sumus : ad abundantiam librum ipsum inquisitionis tabulis inserendum curavimus quo maior lux, si res postularent, accederet: quod consilium equidem minime spernendum esse videtur.

Quod in eodem Commentario typis edendo omissa sint « molte cose soprannaturali, che non conveniva pubblicare », quae tamen in codice manuscripto continebantur, gravem suspicionem ex hac omissione Censor derivare contendit ne in illis donis aliquid sublateret quod a sanctitate alienum esse videretur. At ex ipsius scriptoris verbis manifestum est locos historiae, qui omissi sunt, toto coelo distare ab iis Traiani flagitiis, quae Plinius in panegyrica oratione sua reticuit. Agebatur tantummodo « di cose soprannaturali ». Ergo res erant subii-

mes et coelestes: vitium in ipsis charismatibus non est, sed in profani vulgus imperitia et in ea impietate, qua hac nostra aetate homines sacris omnibus insulsa dicacitate irrident. Si vulgares oculi satis purgati et divinis mysteriis contemplandis assueti essent, nihil intercessisset quominus omnia dona panderentur.

De fama sanctitatis.

Huius causae nobilissimae exitum intercipere Censor iubet quod interdum virtutes et dona, quibus a Deo praedita fuerat. Dei Famulam aperuisse contendit. Quaenam ratio hac in re diiudicanda tenenda sit Benedictus XIV docet: « aliquando Dei Servi vitam suam descripserunt, in qua laudabiliter a se gesta narrarunt et praeterea retulerunt charismata et dona sibi a Deo collata: alii, si scriptis haec non ediderunt, ore tamen retulerunt ». Ut rem tuto iudicio perpendi fas sit, « verba eorum, qai de se loquuntur, diligenter sunt examinanda.... an ex eorum contextu coniici possit an loquens... Omnia referat ad ultimum finem hoc est ad Dei gloriam: investigari debebit agentis intentio, quae... si fuerit ad Dei glorificationem relata, tunc quippe certum erit opus fuisse Deo acceptum». Quid Dei Serva? Utique de se puella scriptis mandavit «che era solita trattenersi due o tre ore *coram SSmo Eucharistiae Sacramento* e che le passava il tempo prestissimo e che alla madre non aveva dato giammai un disgusto nè la minore disobbedienza »: at si cur id scripserit causam perpendens (ut ipsius Benedicti XIV verbis utar), nulla exinde « legitima suspicio ingerì poterit de ostentatione seu vana gloria ». Enimvero, « il P. Complido (sodalis e Societate Iesu, qui ei a confessionibus erat) le ordinò sotto ubbidienza che scrivesse i favori, che le aveva dispensato il Signore, come pure le penitenze, che faceva ». Itaque quo magis animo suo infixa insiderei memoria beneficiorum Dei, Maria Michaela, sanctorum Virorum exempla sequuta, historiam exaravit, qua Instituti a se conditi exordia et prosperum exitum brevi oratione descripsit. Narrationem a pueritia exorditur, summa animi ingenuitate et candore confessa quid boni quid mali seminis in se insitum esset ut constaret quanta sibi tribuisset Deus illumque his verbis laudaret « quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius ». Porro

hanc eius fuisse mentem omnino ex ipso historiae prooemio manifestum fit, siquidem praefatur: «Non è mio scopo di scrivere la mia vita, ma sì bene il modo, col quale il Signore mi andò disponendo, senza conoscerlo, per potere compiere un giorno i suoi santi fini : dirò con tutta ingenuità alcuna cosa della mia vita e costumi, perchè si veda che non incominciò subito, nè con un miracolo mora dell'ordine comune e naturale, nè repentinamente: ma fu sibbene a poco a poco ed in un modo semplice, senza che vi fosse neppure nella mia vita cosa alcuna, che meritasse distinzione ». Si nonnulla igitur Dei Famula exposuit, quae indolem et ingenium suum propius explicarent, nonne ex prooemio ipso ea mente illud fecisse apparet quo magis mirabilia Dei in se humili foemella manifesta fierent ac maior honos et laus auctori omnium bonorum accederet?

Pari ratione perpendenda ac diiudicanda sum ea, quae Famula Dei Abulensi Antistiti de se scripsit: « il Signore mi assicura: non avrai tentazioni d'impurità e da otto anni vedo compiuta questa promessa ». Nam cui haec scripsit? cur? quomodo? Profecto cui scripsit, is Michaelae erat tamquam mysticus moderator: de actionibus suis illi Dei Famula reddebat rationem atque omnia coelestia dona, quibus a Deo praedita fuerat, per summum mentis candorem aperire consueverat. « All'Eccmo Sig. Vescovo d'Avila, che fu D. Ferdinando Blanco la Serva di Dio dava conto della sua coscienza col permesso del Rmo P. Claret». Iudicialis inquisitionis tabulis nonnullae ex hisce epistolis insertae sunt, quae illud plane confirmant; nihilominus pretium operis esse duco ampliora Dei Famulae verba proferre quo de humili scribentis animo clarius constet: « se io dovessi veder presto Lei ne morirei di vergogna considerando che le scrivo con tanta schiettezza e senza velo ciò che sente l'anima mia... Scrivendo a Lei perdo di vista il soggetto... dico a Dio ciò che Le scrivo.... lo dirò a Lei in secreto affinchè lodi Iddio e veda come il Signore mi opprime e confonde a beneficii. Io non so come fare, nè come pagarlo, nè indovinare ciò che vuole... mi danno da pensare le relazioni impure delle persone, che tratto di salvare dentro e fuori di casa. Il Signore m'assicura, non avrai tentazioni d'impurità e da otto anni vedo adempita cotesta promessa ! E maravigliami sempre il contemplarlo fedele ! » Nonne maximam animi remissionem redolent haec verba? Nonne eximium studium di-

vtni nominis celebrandi ostendunt? Mitto nunc dicere sanctissimos viros, qui interdum de excelsae castitatis dono, sibi divinitus impetrato palam, sed nulla iactantiae nota, locuti sunt: de hoc paulo inferius dicam. Illud unum considerare praestat Mariam Michaelam eo admodum consilio coelitus fuisse designatam ut Institutum non qualecumque conderet, sed tale ubi deperditae mulieres e coeno surgerent ac securum perfugium haberent. Maiora quippe castitatis praesidia ei opus erant eademque se, grati animi ergo, a Deo accepisse Abulensi Antistiti profitebatur ut laudaretur Ille, de quo S. Thomas « *qui dat esse, dat et posse* ».

At Censor: Famula Dei sua manifestabat sodalibus dona, suas aliquando aperiebat virtutes! Non annuam: sed illud Benedicti XIV replicabo: « non statim ac... habebitur ut aliqua opera bona et egregia a Dei Servis palam et coram hominibus facta fuissent, iudicium ferri aut legitima suspicio ingerì poterit de ostentatione seu vana gloria: quantum fas est homini, investigari debebit Agentis intentio». Enimvero illud Christi effatum? « sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est», ad omnes homines at praecipue ad eos, qui in coenobiis praesunt, pertinere videntur. Ipsi enim sunt tamquam lucerna super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Quapropter ad spirituale lucrum eorum, quibus praesunt, non prohibentur aliquando virtutes et dona pandere quo maior .gloria Dei nomini accedat; unde apud Benedictum XIV, Abbas Ioannes: « si quid elatius, imo liberius fortasse protulero, quaeso ut non e iactantiae vitio, sed aedificationis vestrae depromptum studio censeatis... Arbitror enim instructionis vobis aliquid posse conferri, si paulisper, humilitate seposita, simpliciter omnem propositi mei patefecero veritatem ». Pariter S. Antonius « discipulis... non dubitabat communicare dona coelestia, quae a Deo receperat; nec spiritualibus filiis (ita S. Athanasius) pura in Christo anima occultare quidquam volebat... De S. Ignatio Societatis Iesu Fundatore in lectionibus Officii habetur, claris adeo illustrationibus eum fuisse recreatum ut postea solitus esset dicere, si sacrae Litterae non extarent, se tamen pro Fide mori paratum, ex his solum, quae sibi Manresae patefecerat Dominus ». Item de S. Dominico enarratur sodalibus ad se morientem adscitis dixisse: « en, Fratres carissimi, in hanc us-

que diem illibata mihi virginitas, singulari Dei munere, constitit: quam si vos etiam persancte colueritis et vitae munditia et odore clarae famae mirum in modum promovebimini ». In relatione Rotae Auditorum in causa S. Philippi Nerii dicitur: « Virginalem castitatem Philippus perpetuo conserva vit, ut ipsemet manifestavit Francisco Buccae, eius in Christo filio, ut eumdem ad castitatem induceret ». Et Paulus Apostolus « loquendo quae egerat, discipulos instruebat ». Unde Dantes apud ipsum Benedictum XIV: « Dico per necessarie cagioni lo parlare di sè è conceduto... quando per ragionare di sè grandissima utilità ne segue altrui ». Quapropter cum ipso Benedicto XIV concludam : « huc usque adducta confirmantur exemplis supra relatis: siquidem in iis neque opportuna occasio neque causae defuerunt et signanter spiritualis utilitas audientium... sufficere ergo deberent ».

Si haec cum Dei Famula compares, nihil est quod reprehendas, omne quod laudes. Porro omnia eius verba ad Institutum, quod ipsa condidit sunt referenda: a quo si animum mentemque avocemus magnus futurus est error. Quid sibi Institutum proponeret: quo spectaret iam diximus. Proiectae famae mulieres colligere, quae erant opprobrium hominum et abiectio plebis: quas civile consortium reiecerat, eas praeclaro exemplo et assiduis hortationibus incitare: ad salutarem poenitentiam officiumque traducere donec coeno ac sordlbus expurgatae civili religiosoque consortio restituerentur; has fovere : has amplecti ; haec opera a Dei Famula sibi proposita erant, angelico potius quam humano celebranda praeconio. Verum ut consilium longe difficillimum feliciter assequeretur, omnibus viribus opibusque connisa est. Quam asperum et pervicax foeminarum genus sit illud, quam consiliis inflexibile, inexorabile, aere, facile intelligitur. Oportebat Dei Famulam inter eas assidue versari, suaviter flectere, suadere « impiegando con loro una certa severa tenerezza » : opus erat se omnium virtutum exemplar praebere ut earum oculi turpibus spectaculis assueti exemplum bonorum operum (ut ait Paulus) iugiter suspicerent in integritate et gravitate: oportebat ut earum aures, quae nonnisi obscoenis verbis antea resonaverant, non modo nihil impurum a profano auditu haurirent, sed coelestium rerum sermonibus assuescerent. Et quoniam quae sunt oculis subiecta fidelibus magis excitant animos, interdum Dei Famula, quando

causae inciderent necessariae, ut; ad virtutem sequendam maiores stimulos subditis adderet easque recrearet, exemplum Davidis sequuta est, qui misericordias Domini in aeternum cantavit.

Si igitur coelestia dona pandens, vestigiis S. Ignatii Patris Dei Famula institit, qui « delle cose proprie ragionava.,, per curare alcuna anima afflitta e col suo consiglio consolarla o per inanimire col suo esempio i suoi compagni e rincorarli contro le difficoltò, che loro si offrivano, » quis iure in ipsam Dei Famulam iactantiae notam congesserit? Nonne eius mens eo spectasse dicenda est: «luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et gloriflcent Patrem vestrum, qui in coelis est? » Unde P. Bartoli praeclara sententia : « alia Provvidenza di Dio si appartiene far sì che per edificazione della sua Chiesa, per gloria del suo nome, per contezza dei meriti de' suoi Servi, se ne risappiano certi più rari effetti della sua grazia in essi... Il modo più somigliante al naturale è muovere e indurre internamente essi stessi a manifestarli... e dove lo spirito di Dio induce e trae i Santi a palesare di sè eziandio cose grandissime, non è possibile, che vi entri e si tramischi lo spirito della vanità; e allora tanto è che parlino ad un popolo intero, quanto ad una o due persone ».

Ut facile perpendatur quanta simplicitate Dei Famulae animus in coelestibus manifestandis muneribus duceretur, illud maxime tenendum est eam nonnisi invitam, imo nonnisi obedientiae officio coactam de se fuisse locutam. Nam cum is, qui ei a confessionibus erat, novisset quanta animarum emolumenta exinde derivarentur, iussit eam, humilitate fere repugnantem, divinae misericordiae thesauros pandere. Referunt enim testes: « il suo Confessore le aveva ordinato che riferisse i fatti straordinarii per edificazione nostra ».

Nec satis: certissimae rectae mentis eius significationes ex humilitate, qua Dei Famula praestitit, sunt repetendam Si enim (Benedictus XIV docet) « ex aliis documentis de alicuius Servi Dei humilitate constet... facile... quae ipse de se dixit, existimari potuerunt immunia a labe superbiae et vanae gloriae ». Dei Famula profecto « si riputava la più peccatrice dell'Istituto. Tutte le buone opere, che aveva fatto le attribuiva alla Divina Grazia dicendo che da sè stessa niente poteva. . . . Mai le notai atti di presunzione, ma bensì osservai che si abbatteva e si unii-

liava molto. Quantunque facesse tutte le ¿pose con la maggior perfezione... giammai ebbe il più piccolo pensiero di vanità. Diceva che Dio Nostro Signore correggeva i suoi spropositi e trasformava in bene il male, a cui potevano dar occasione le disposizioni, che ordinava per il buon andamento della casa. Si considerava come la più gran peccatrice, e si vergognava se si parlava delle sue virtù : attribuiva tutto alla grazia di Dio : ed essa si riputava come un rozzo strumento che non sapeva come secondare i piani del Signore. Reputavasi la più imperfetta di tutte le creature dicendo : che tutto faceva male. Era tanto persuasa che Dio operava per mezzo di lei, che si credeva il suo istrumento, pel quale motivo attribuì niente di buono a sè medesima. Diceva frequentemente che il maggior ostacolo, che aveva veduto sempre per portare avanti la sua opera, era Ella stessa.... desiderando che vedessero le genti che la detta opera apparteneva a Dio e non ad una miserabile creatura.... Tutto sperava dal Signore: niente da sè medesima ». Atque etiam: « Se l'umiltà non fosse stato un altro dei doni, con cui N. S. si degnò di favorirla in grado superiore, non si sarebbero veduti, come si vedevano, ogni momento numerosi atti, che palesavano la sua profonda e vera umiltà, i quali, nello stesso tempo che santificavano sempre più la sua vita, servivano di esempio e di salutare insegnamento a quei, che desideravano percorrere le vie di quella santa virtù ». Umquam nemo in ea deprehendit, « in parole od in opere, vana soddisfazione ed orgoglio: anzi per il contrario era tanta la sua umiltà che sempre si credeva l'ultima di tutte ».

Ceterum Emis Patribus, qui Sanctorum Virorum Vitas penitus Callent ac caelestia munera norunt, quibus Ecclesia Dei mirifice illustratur, neque nova neque insueta acciderint portenta, quae interdum Dei Famula de se enarrabat. Verbis enim exprimi non potest quam bonus sit Dominus sperantibus in eum animae quaerenti illum. Si Ancillae Dei « arrivavano denari per vie inaspettate, » nil mirum : plenae exemplorum sunt S. Caietani Thienensis historiae. Si Christi simulacrum e cruce pendentis amplexa, « udì chiaramente e distintamente i palpiti del Cuore di Gesù », illud fere simile accidisse fertur B. Coscientiae Hoss, quae olim in Franciscali Asceterio ad pedes cruci suffìxi preces effundens Iesu vocem audivit aientis : « hic habitatio tua ». Nec vana jdecepta est specie, nam Christi si-

mulacrum propius inspiciens adhuc hiantia eius labia animadvertit. Si Christus Iesus caput super Ancillae suae pectus reclinavit et pueri specie ei interdum se conspiciendum obtulit, multa huic similia peti possunt exempla ex historiis S. Catharinae Senensis, S. Theresiae et S. Rosae Limanae. Utique Dei Famula vidit «la SSma Trinità nella Sacra Ostia»: sed nonne et S. Philippus Nerius dixit olim alumno suo « che alle volte nella Messa, dopo la consacrazione, Dio gli faceva grazia di vedere la gloria del Paradiso?» In itinere Ancilla Dei sacris interesse vehementer exoptanti, Angelus se videndum obtulit, qui eam in templum deduxit. Nonne Angeli Stanislai Kostkae, sacris epulis desiderantem animam sustentarunt? Erant Angeli tamquam Ancillae Dei solliciti adiutores ? quid mirum ? Crescientia Hoss « col suo Angelo Custode era in continua comunicazione... se lo vedeva sempre al fianco... bastava che l'invocasse ed egli correva tosto in aiuto ». Nonne Deus angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis? Quae cum ita sint, quoniam Dei Famula haud umquam ut inanem sibi laudem captaret, sed moderatorum iussu atque ut maior laus Deo et lucrum animabus accederet interdum dona sibi divinitus indita aperiebat: quoniam dona ipsa eiusmodi erant, quibus coeteri sanctissimi viri praediti esse feruntur, idcirco neque ipsa suae ipsius laudis studiosa dicenda est, neque sodales eius simplices atque in credendo faciliores.

Sui cruciandi modum, quo Dei Famula utebatur, Soror Maria a Monserrato, quae magna pars in cruciando fuit, fuse enarrat ac Censor refert. Quod testis nudatum ipsius Famulae Dei dorsum unguibus acerrime fricaret ita ut cereis carnibus ungium notae imprimerentur: quod testis dicat « a motivo che io aveva le unghie un po' tenere, che perciò mi si rompevano con facilità durante l'indicata operazione... ella (Famula Dei) mi dette una scopetta molto fitta di crini di maiale corti ed aspri... io cominciai a stropicciarle la spalla da sopra a sotto, come se stessi scopettando un legno.... e le lasciavo la spalla rossa come un pomidoro » : quod ipsa testis « la spazzolasse... fino a far zampillare il sangue... e le strappasse le unghie dalle dita dei piedi, dividendole per meL. e tirandole d'ambo le parti fino ad estrarle del tutto » : quod hoc factum sit «per molti anni »: illud cruciatuum genus prorsus insuetum est - non inficiar - sed propter aerem dolorem. Aliquid simile nonnisi in Marty-

rum historiis scriptum legitur. Numne dixerimus hac cruciandi ratione Dei Famulam fuisse usam ut inanem sibi sanctitatis laudem captaret? Sed in cubiculo suo, remotis arbitris, noctu id peragebat, Sorore Maria a Monteserrato «religiosa semplicissima e angelica » una teste ac simul tortore adstante : quam si audiveris nihil Dei Ancillae humilitate praeclarius : ' « Le dette cose (ita Soror Maria a Monte Serrato), che avvennero dai 16 anni di mia età in poi, non le stimava io come penitenze o mortificazioni: primieramente perchè non conosceva io ancora ciò che erano le penitenze... secondariamente perchè la stessa Madre Sagramento mi dava a intendere ed io nella mia inesperienza me lo credeva, che certe cose che io le faceva, erano per suo rimedio... Se io saputo avessi che erano mortificazioni, non mi sarei prestata a servirla... La Madre Sagramento faceva senza dubbio assegnamento nella mia inesperienza ed ignoranza della lingua spagnuola: giacché io parlava soltanto il francese... e stava perciò Ella sicura su questo punto che non m'era possibile riferire alle persone del collegio le cose, che succedevano fra me e lei. Inoltre io ricordo che allora ero molto silenziosa ossia segreta: abitudine che conservo anche adesso ». Neque unum illud cruciandi sui genus Ancilla Dei adhibuit: flagris crura cingebat: interdum rudi subucula ac thorace stridissimo lumbos obligabat'eo dolore ut lacrimae invitae exprimerentur ex oculis. Haec tamen aliorum oculis audita erant : neque rem amplificavit testis, quae dixit : « soltanto una creatura che vive in Dio e per Dio, è capace di mortificare il suo corpo nel modo severo e doloroso, con cui lo fece la Madre Sagramento ».

Profecto si laudis aucupandae causa Dei Famulam illa asperrima cruciandi sui ratione usam esse dixerimus, quid de ceteris viris, quos Beatorum ordini rite Ecclesia adscripsit? S. Iacobus Nisibensis, quamdiu vixit, humi sedit, caprinis pellibus indutus: S. Theodosius Episcopus cilicio et catena ferrea collum et manus devinxit: adeo attritus ieiuniis S. Eusebius evasit ut, emaciatis lumbis, zona ad pedes difflueret. Numne ad gloriam captandam S. Simon Stilita integram vitam in columna degit? Numne iactantiae nota S. Petro de Alcantara inurenda est? qui itinera longissima atque asperrima, capite semper deteeto nudisque pedibus per aestus et frigora suscepit, ita ut, cum nudum caput imbribus et nivi exponeret, interdum

capilli gelu concreti deciderent et aestate praefervide exurentibus solis radiis, capite vehementissime cruciaretur: interrogatus autem respondebat : nefas esse coram Deo tecto capite ambulare. Quid de S. Rosa Limana? In lecto ex lignis, saxis ac textulis constructo et cervicali ex lignorum quisquiliis referto eubabat: manus, quae altae et decorae erant, calce viva ulcerabat. Dixerimus S. Philippum Nerium ad popularem auram captandam «saltò nella piazza di S. Pietro in Vincola: bevve in mezzo alla strada ad un barilozzo:... portò in publico una pelliccia : invitato a pranzo da un Cardinale portò seco una pignatta di lenticchie: andò per Roma con un mazzo di fiori di ginestra: si fece tagliare la mezza barba etc.? » Quid tum denique de B. Gerardo Maiella? « Essendosi accompagnato con taluni giovinastri, si fece legare con una fune ai piedi e fecesi strascinare per sopra una selce scocesa ed a gradoni di pietre vive quasi per un tiro di schioppo, dalla casa delli sigg. Carusi sino al luogo detto la croce, dove arrivò insanguinato per aversi rotto le spalle e il capo: intanto a tal vista i compagni piangevano ed egli rideva ». Atque alias: « Gerardo, per essere a parte dei maltrattamenti di Gesù Cristo, si fece legare e sospendere col capo in giù in una trave e sotto vi fece ardere degli stracci secchi umettati, insinuando alle persone d'intorno che viepiù ardessero de' stracci, mentre, così praticando, gli davano moltissimo piacere: difatti nel suo volto si leggeva l'allegrezza con stupore degli astanti tormentatori ». Ut rem brevi praecidam, illud Friderici Borromaei Card. Patris praeclarum: « videor animadvertere Dei amicos diversis temporibus invenisse sibi quoque novos quosdam mores, idque non temere ab ipsis esse factum ». Conspicimus enim « nasci flores et reliqua omnia, quae tellus gignit, uno calore uniusque solis radiis omnia produci et ali. Idem porro in nobis efficit gratia: uni colorem, alterum alteri : faciesque diversas impertitur. Cur igitur velimus nos unum esse colorem omnium unamque formam?... Voluntatum concordium similitudo propria coeli est, non autem terrae huius afflictae semper et vacillantis ».

Iam supra diximus alumnas, quas Dei Famula in Instituto suo collegerat, eiusmodi esse, quibus ad virtutem deducendis non satis erant ieiuna praecepta et exilis contemplatio sanctitatis, sed vivida exempla requirebantur, quae desides instigarent, réprimèrent praecipites, audaces cohiberent, agrestes mi-

tigarent et ad humanitatem traducerent, mores immutarent atque animos ad Deum omnino converterent. Contra ipsamet Dei Famula fervido et sincero mentis aestu ad ea pietatis exercitia ferebatur, quae demonstrarent nihil in mundo esse nisi fluxum, caducum, fugax, inane, in mortem praeceps: omnia autem in coelis aeterna felicitate potiri. Hinc cogitatione mortis adsidue urgeri: hinc coelum inhiare: hinc Christum Iesum, in cruce pro humano genere redimendo patientem, suspicere.

Hoc duplex Famulae Dei consilium penitus considerantibus haud mirum accidit quod mortis memoriam insolita ratione recoleret. Pugnae simulacra bellicum ingenium acuunt: cogitatione mortis autem sedulo se exercere illud magis magisque morti rite obeundae animum assuescit. Quomodo in mortem cogitandum sit S. Franciscus Salesius docet: «Mettetevi alla presenza di Dio». Et S. Ignatius: «rappresentiamoci la povera anima nostra alla presenza di Dio suo giudice per rendergli conto in presenza del suo corpo, che giace già freddo cadavere, di tutte le proprie azioni »: unde pia consuetudo est repetenda, qua semel in mense Dei Famula bene moriendo se exercebat. « Dinanzi all'altare maggiore collocava un panno nero, sopra il quale si distendeva come se fosse defunta, e faceva accendere quattro candele intorno al panno, e Suor Visitazione, già defunta, le leggeva la raccomandazione dell'anima ». Haec porro tum ipsi, tum sodalibus multo plus quam ieiuna mortis contemplatio valebant iuxta illud: Segnius irritant animos demissa per aurem quam quae sunt oculis subiecta fidelibus. Quinam vero pietatis motus tunc in sodalium spectantium animis cierentur, Soror Helena a S. Cruce nos docet: « ricordo che mi produsse una gran paura la prima volta che vidi questa pratica di devozione ».

Neque iusta causa est cur alteram piam consuetudinem carpas, qua Dei Famula *Novissima* meditabatur. Quantum a fucatae gloriae captandae studio abesset, id, quod Soror Maria Philippa per summum candorem enarrat, aperte docet: « la Serva di Dio a fine di pregare con più devozione, si fece un eremo o un deserto, come essa lo chiamava, di una camera del Collegio di Madrid, molto separata dalle altre, dove aveva uno scheletro pieno di vermi, un teschio, figure di diavoli, un banco coperto di corteccie di alberi, il quale aveva in uno dei suoi estremi una corteccia maggiore in forma di capezzale, ed

adorni campestri. Quando stava in quella camera, nessuno poteva chiamarla, e si chiudeva nella medesima con bastante frequenza ». Neque huius exempla pietatis inter alumnas in irritum cedebant, siquidem testis dicat: « Io aveva paura quando mi avvicinavo alla detta camera, nella quale suppongo che (la Serva di Dio) faceva grandi penitenze ». Quod si dicas Dei Famulam hac in re popularem plausum affectasse, idem de omnibus sanctissimis viris esset dicendum, qui ut magis mortem contemplarentur, demortui hominis caput vel larvas midis ossibus cohaerentes suis in cubiculis custodiebant.

Quod Dei Famula consuesceret sollemnioribus diebus « inginocchiarsi ai piedi delle Suore e collegiali.... baciarli e domandar loro perdono » id maximo eius honori vertendum est. Nonne virorum magis sanctitate praestantium in se exemplum expressit ac propius Christi vestigiis institit, qui discipulorum pedes lavit? Pariter si « un giorno di Venerdì Santo,... presentossi la Serva di Dio portando sopra i suoi omeri una pesantissima Croce... e durante tutto il pranzo rimase inginocchiata... con la Croce sopra i suoi omeri », illud ipsum et pietatem, qua erga Christum patientem afficiebatur, luculentius demonstrat et inexplebile desiderium ut alumnae suae bonorum operum exemplis ad Deum amandum deducerentur. Id enim peregit « poco prima dell'anno, in cui fondò l'Istituto » atque, uti ipsae alumnae referunt, « cotesta umiltà e penitenza produsse una sensazione tale tra i presenti che tutti mangiammo con gli occhi pieni di lagrime ed attirandoci l'attenzione la serenità e tranquillità della Madre ». Ceterum ut maioris hebdomadis diebus inter prandendum sodales in religiosis domibus crucem humeris ferant, id neque novum, neque insuetum: hac alma in Urbe discalceatos Fratres a SSma Trinitate commemorano, apud quos pia consuetudo iamdiu ex instituto viget.

Profanum et imperitum vulgus sanctitatis iudex idoneus esse non potest: ideo ne mireris quod nonnulli « non credono all'eroicità delle sue virtù ». Cur vero dubitant ? quia « se queste virtù fossero certe (inquiunt,) 'Famula Dei sarebbe senza dubbio Santa!»: parce, quaeso: aut non ego intelligo, aut, si intelligo, hoc genus hominum nihil dicit. Accedit quod ipsi imperiti homines existimant eam « una buona cristiana ed esatta osservante della santa legge di Dio » imo « le riconoscono zelo per la gloria di Dio ». Quid amplius desideranda

rant igitur ut sanctitatis imago habeatur? Ipse testis, qui haec enarrat, ingenue profitetur se penes illos homines non audivisse « segnalare altri difetti opposti alla santità della sua vita che il lusso chiassoso, che usava ne' suoi abili,... che poi abbandonò completamente ». At ignorabant illi S. Francisci Salesii sententiam? « la devozione deve essere diversamente praticata dai gentiluomini, dagli artigiani, dai servidori, dai principi, dalle vedove, dalle zitelle, dalle maritate, nè solo ciò, ma conviene adattarne la pratica alle forze, agli affari e ai doveri di ciascheduno in particolare». Atque etiam: «Siate ben acconcia, Filotea, non sia in voi cosa, che abbia del cencioso e del male acconcio, questo è un dispregiar coloro, coi quali si conversa, l'andare fra di loro in abito disaggradevole.... Quanto a me, io vorrei che il mio divoto e la mia divota fossero sempre i meglio vestiti della compagnia e, come si dice per proverbio che fossero ornati di grazia, decenza e decoro. S. Luigi dice in una parola, che ognuno si deve vestire conforme allo stato suo, di modochè i savi e buoni non possano dire - voi fate troppo, - nè i giovani - voi fate troppo poco ».

Quam nobili celsoque loco Dei Famula nata esset nemo est qui non novit: ideoque maximopere ei cordi esse debebat ut decus et honor conditionis suae servaretur. Ipse testis, qui rem enarravit, habet: « Sopra la fama di santità della Serva del Signore, posso dire che è generale tra tutte le persone, che conoscono realmente ed esattamente le eroiche virtù, che ornavano il suo cuore ». Pariter quam pugnantia inter se loquerentur nonnulli, qui dicebant se vidisse in Dei Famula « alcuna mischia di cattiveria della società con il vero spirito di Dio » verba ipsa manifestum faciunt. Nam ubi spiritus Dei, ibi caritas: ubi caritas, ibi virtutes omnes et sanctitatis festigium. Neque praetereunda sunt verba, quibus testis illorum hominum sententias referens, commentatur: « secondo me ritengo che non dovette essere in questo niente, che essenzialmente pregiudichi nè alla verità della sua virtù, nè all'accrescimento, che indubitatamente ebbe in quella ». Denique quod « le persone secolari... la reputavano come signora di gran talento e le Religiose Adoratrici... come persona molto virtuosa » aequo animo ero. Nam qui inter saeculi rumores vivunt ii haud semper iusti virtutis aestimatores sunt, quae abdita in coenobiis crescit, sicut lilium inter spinas.

Porro quum de fama sanctitatis agitur, quo tutius de testium dictis feratur iudicium, fama ipsa a rumore omnino distinguenda est. « Fama proprie est quando tota civitas vel vicinia seu maior pars populi aliquid asserit:... fama est communis populi assertio; rumor autem est sola paucorum dictio ». Praeterea fama vires suas eundo adauget : « rumor contra cito deficit, ex incerto auctore et sola suspicione proveniens». Quanta fama Ancilla Dei extra coenobii septa potiretur manifesto patet. Omnes gravissimi viri, qui ipsi a confessionibus erant, sanctitati eius plurimum tribuerunt. Sacerdos quidam, virtute praeclarus, quem olim Bruxellis Dei Famula conscientiae suae moderatorem habuerat, sanctam eam praedicabat: quod idem sensit sacerdos alter, qui Parisiis eius confessiones exceperat. At maxime omnium Ven. Famuli Dei Clarét valet auctoritas : is « tutto a lei comunicava e le raccontava i doni straordinari e le grazie speciali, con cui favoriva Iddio 'Nostro Signore il suddetto P. Claret. In tutte le angoscie ricorreva egli alla Madre Sacramento per domandarle consiglio... Molte delle persone, che egli confessava, le inviava a consultarsi con Madre Sacramento ». Itemque quum probe novisset quanta emolumenta in regiam aulam ex Michaelae consuetudine redundare possent, eamdem iussit, accitu reginae, aulam celebrare, in qua summopere excolebatur: quod ipsa ex obdientia peregit. Regina vero tam alte de Michaela sentiebat, ut saepe diceret nihil arduum esse, quod sibi, precibus Dei Servae, non felix faustumque succederet.' Quapropter, aliquo premente metu, semper eam lateri suo adesse voluit, ex quo quieta tranquillaque mente consisteret. Quotidie regio carpento Dei Servam ad se vehi iubebat, quae in magis abditis aulae conclavibus una simul mariales salutationes precatoriis globulis decurrebat et sacrorum librorum dulcedinem degustabat. De prospero Sodalitii exitu regina laetabatur illudque fovit atque Rosarium, quo Dei Serva quamdiu vixit usa fuerat, impetratum ubique religiose gesta vit.

Praeterea de Michaelae insigni sanctitate optime senserunt Cardinales Patres, Praesules innumeri, aliique praeclarissimi viri: quorum in numero ante omnes eminent Card. Cuesta S. Iacobi Archiepiscopus, Iuseo Episcopus Salmantinus, Arciniega, Mondoniensis, Lluch Fortunatae insulae, Crespo Toletanus, qui omnes « ebbero elevato concetto » virtutum eius.

(sequitur)

Albulensis Praesul eam appellabat « la santa Teresa del secolo XIX » atque neptibus suis aiebat: « voi siete giovani: la vedrete sugli altari ». Adeo arcanorum conscientiae suae participem ipsam fecerat atque consilia eius tamquam divinitus indita sequebatur. His omnibus addere possum Emum Orbe Cardinalem Patrem atque Archiepiscopum Toletanum; itemque Antistitem Traianopolitanum, Card. Barrio Archiepiscopum Granatensem aliosque plurimos ex omni ordine cives, qui in iudicialibus tabulis numerantur. Ne longius digrediar specialissima viri transeunti Dei Famulae per viam genua flectebant eiusque manus coram osculabantur. Hinc factum est, ut omnes eius instituto operam ferrent illudque inter adversa cresceret.

Nec satis: « I Reali di Spagna, i Prelati della Chiesa, i rispettabili Titoli di Castiglia, sacerdoti esemplarissimi, ed altre molte persone, quando si vedevano in qualche imbarazzo, le scrivevano o la visitavano, riferendole le loro necessità temporali e spirituali e pregandola che intercedesse presso la divina Maestà ed ottenesse loro il soccorso, di cui abbisognavano ». Quin etiam testis quidam aperte affirmat: « Non ho veduto giammai che nè vescovi, nè sacerdoti, nè religiose, nè persona alcuna, fossero trattati, nè considerati con tanta venerazione e rispetto come fu trattata e veneratala Serva di Dio ».

Haec sanctitatis fama profecto virtutum splendori haerebat: unde Hispaniarum Regina: « ebbi occasione di ammirare le sue virtù... non vedeva altro più che quello che fosse per la maggior gloria di Dio e salvazione delle anime ». Testes passim: « Da nessuna persona ho udito parlar male delle virtù e santità di vita della Serva di Dio; anzi per il contrario, ho udito dire che era una Santa, dalle persone, che la conobbero e che perciò lodavano oltremodo le sue virtù. Da nessuna persona ho io sentito parlar male della Madre Sacramento, ma bensì con encomio ed applauso per le virtù di lei. Tutte le persone pie, che la trattavano,... sono concordi nell'assicurare che non era una signora di virtù volgare, ma sì una donna straordinaria: le buone persone, che avevano tratto frequente con la Serva di Dio, l'avevano in concetto di santa. Il suo progresso nella virtù lo indicava chiaramente la fama di santità, di cui godeva fra le classi della buona società ». Porro censebant omnes « che le sue virtù non erano fìnte, ma reali: che giammai commise un solo peccato veniale ». Ut brevi praeci-

dam, « era generale ed erasi sparsa in tutta la Spagna la fama del suo nome ».

Quid Censor? « neque penes sodales suas sanctitatis famam adepta est! » Cur? quia Soror Maria a Monteserrato « religiosa semplicissima » dixit: « confesso ingenuamente che giammai la ritenni per Santa »: at integriorem, quaeso, locum cedat Censor et suus sanctitati constabit honos: « confesso ingenuamente che giammai la ritenni per santa: però attualmente, essendo più riflessiva e giudiziosa che allora, convinta che le sgridate, che mi faceva, (unica ragione, che avevo per non crederla santa!!!) me le faceva per mio bene e ad esse senza dubbio debbo la grazia di Dio di menar la vita religiosa, che attualmente osservo, ed apprezzando i molti virtuosi fatti della sua vita, dei quali fui testimone presenziale, credo che questi, salvo sempre il giudizio della Chiesa, al qual fin d'ora con umiltà e riverenza mi assoggetto, sono sufficienti ed anche meritevoli per cui siasi cominciato questo processo ».

Utique Soror Maria a SSmo Rosario dixit: « sebbene io la tenessi per una persona sommamente buona, giammai la tenni in concetto di Santa»: verumtamen addidit: «tanta devozione, come la sento adesso, non l'ho provata se non dopo la morte di lei e molto particolarmente in questi ultimi tempi, quando ho saputo molte opere della medesima, da me in allora non conosciute, ed ho visto i suoi molli e diversi strumenti di penitenza; tutto ciò insieme all'opinione, che io già m'era formata di lei, è causa per cui ogni giorno innalzi le mie orazioni al cielo per dimandare che, se ha ad essere ad onore e gloria di Dio nostro Signore, venga la medesima beatificata dalla Santa Chiesa ».

Quo melius perpendatur verborum sensus, quae Censor e testimonio Sororis Mariae de Mercede deprompsit, integram laciniam referam: «non ostante che io non abbia alcun dato contro la Santità della Serva di Dio, nè che mi dette ella in vita sua motivo alcuno di resistermi con lei, è un fatto, che mi vergogno di confessare, che non ho avuto mai vero affetto alla menzionata Serva del Signore. A questo potè contribuire una certa severità, colla quale governava essa l'Istituto e la difettosa organizzazione, che questo necessariamente dovette avere ne'primi anni di sua esistenza. In quei primi anni non si potè imporre quella disciplina, con cui si regge attualmente:

mi trovai nella casa di Madrid, la quale era retta in parte da Suore ed in parte da qualche maestra salariata, che piuttosto procurava di intendersela bene colle collegiali che non colla fondatrice. Per certo mio errore e precipitazione, un giorno nel Refettorio della Casa di Burgos, la Madre Sacramento disse che non parlava con me: di dove avvenne che il mio amor proprio si eccitò e ritenessi questa frase « io non parlo con lei » come un vero insulto. Riconosco ora bene che cotesta era una inezia: però il diavolo non ha lasciato di tentarmi, di modo che ogni volta che mi rammento di ciò, me ne risento come il giorno che avvenne. Sono due mesi che, raccontando questo stesso fatto ad una Suora in questo Collegio, sentii nell'animo mio una cattiva impressione di dispiacere e persino moto d'ira contro la Madre Sagramento, talmente appena terminata la conversazione con la suora di nome Mattea, restai come vergognosa e di corsa me ne andai alla cappella à dimandar perdono a Dio e alla Madre Sagramento ».

Neque plurimi facienda sunt verba testis P. Ioannis Baptistae Vinader, quae Censor suum in usum profert. Etenim (ut iudiciorum formulae expostulant) opportune rogatus num haberet affectionem ad causam, apte congruenterque respondit: « non ho professato prima, come neppure professo ora, speciale affetto alla Serva di Dio: nè, umanamente parlando, ho speciale interesse per la sua beatificazione, non ostante che io sia sicurissimo che Iddio la tiene accolta in sua santa gloria; quindi è che nelle mie orazioni mi raccomando all'intercessione di lei ». Tum denique, etsi Testis VIII Valentinus dixerit « ho sentito parlare contro l'opportunità di questo Processo al Cappellano Don Ermenegildo Sancho, che risiede in Madrid », id non curo. Nam Hermenegildus Sancho, tamquam testis inductus atque opportune rogatus, « ho avuto, inquit, particolare affetto alla Madre Sacramento e desidero la sua Beatificazione per maggior gloria di Dio».

In ceteris quanta sanctitatis fama apud sodales Dei Famula valeret, illud documento est quod ipsae dicere consuevissent: « Oh che santa abbiamo fra noi ». Quae magis sanctitate praestabat, « ammiravano in modo speciale la purezza della vita di lei, il grado straordinario delle virtù, e l'eroicità delle penitenze della medesima ». Quin etiam plurimae sodales « credevano fermamente che un giorno la Madre Sagramento si ve-

drebbe sugli altari. Nell'Istituto... si credeva e, tuttora si continua a credere, nella santità della mia Madre Fondatrice »; quo nihil praeclarius.

Quaeritur Censor nihil testes de concursu ad Famulae Dei sepulcrum dixisse. Et nos querimur : nam quum pro certo scimus Christifideles frequentes ad sepulcrum confluere coelestem opem impetraturos, haud parum emolumenti ex testium silentio amisimus. At ipsius silentii causa ex Iudicum et Procuratoris Phisici imperitia prorsus est repetenda: siquidem (ullo absque dolo) interrogationum formulas omiserunt. Quod vero minime impedimento esse potest quin causa ad prosperum exitum evehatur. Porro illud, quaeso, penitus mentibus infixum haereat, heic de sanctitatis fama prorsus agi de qua Benedictus XIV edixit piorum hominum venerationem, qua privatim Servorum Dei sepulcra coli solent ad probandam sanctitatis famam tantum subsidio esse, quum maxime testium dictis haec fama nitatur necesse sit. « Famae probatio (eius sententiam referam) fieri potest duplici modo; per examen videlicet testium et per históricos, qui sanctitatem Servi Dei extollant, perque donaria ac votivas tabellas, quae fuerint eius sepulcro oblatae. Verum, cum forma Commissionis generalis, typis impressa, in decretis Urbani VIII solum loquatnr de examine testium, sequitur ex hoc, quod historici, donaria, votivae tabellae et his similia, non poterunt constituere perfectam sive adaequatam famae probationem, sed erunt tantum pura adminicula ad tradita per Farinaccium quast. 46 N. 282 et seq. et per Mascardum de probat, conclus. 751 ». Idque probe. Fama enim lux est, quae ex benefactorum splendore gignitur : etsi multum subsidii a Servorum Dei sepulcris mutuetur, celebritas per se tamen ipsa manet, ex memoria virtutum maxime aucta, ideoque innumeri viri sanctissimi laudibus celebrantur, quorum corpora Christifidelium oculis abdita iacent. Quod si quis in aliam abiret sententiam, ipsi Basiliani Patres reprehendendi forent, qui in Cryptae Ferratae templo, S. Nili patris exuvias delitescere iamdiu patiuntur iidemque Basilicae Liberianae praesides ob corpus S. Hieronymi doctoris, ibi (ex pia traditione) conditum. Quid de S. Ioanne Baptista dicam ? Nonne eius venerandae exuviae, praeter caput, nobis sunt abditae ? Attamen eius memoria ubique colitur! Quid de B. Innocentio V? Eius corpus abditum iacet: tamen coelitum beatorum honores rite

apud hunc Sacrum Ordinem assequutus est. Quid tum denique de VV. Famulis Dei Martini Moye et Caeseris Sportelli, quorum causae apud hunc Sacrum Coetum feliciter initae sunt, etsi de eorum sepulcro nulla extet memoria?

De Obstaculis.

Christiana animorum perfectio ascensui in montem sanctum merito comparatur. « Quis ascendet in montem Domini? ascendit quidem semel Christus corporaliter (ita divus Bernardus)... sed et nunc ascendit quotidie spiritualiter in cordibus electorum. Si ergo volumus et nos cum eo ascendere, ascendendum nobis est in montibus virtutum de vallibus vitiorum ». Unde Ribet in sua Theologia Mystica: « La contemplation suit un marche ascendant et envahit l'âme progressivement... Dieu observe cette loi du temps dans son action sur les êtres finis pour les produire, les gouverner et les parfaire et y soumet toute la nature... L'expérience atteste que la contemplation, comme les opérations purement naturelles, apparaît à l'état de germe, se développe à travers des péripéties diverses et se consomme dans une suprème étreinte de la charité divine.... Sont comme autant étapes vers la consommation de l'amour ». Est enim S. Gregorii sententia : « cum mentem a vitae corruptelis amore divertimus, quasi quibusdam cordis passibus ad interiora properamus. Nemo autem infirma deserens, repente fit summus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc, procul dubio, velut ascensionibus quibusdam, gradibus pervenitur»[1]. Quinam sint isti perfectionis gradus Schram scitissime docet : «scilicet incipiendum, proficientium et perfectorum » illudque tum Sacrarum Litterarum, tum Patrum Fcclesiae confirmatur sententiis. David enim: « Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum, in loco quem posuit: etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion ». Porro haec erat illa mystica scala, qua Jacob Angelos ascendentes et descendentes conspexit: haec sunt tria oscula illa, quae primo in pedes, deinde in manus, denique in os Domini divus Bernardus consideravit dicens : « in primo sane primordia dedicantur nostrae conversionis: secundum autem proficientibus indulgetur: porro tertium experitur sola et rara perfectio ». Haec sunt illa

charismata, de quibus Apostolus: aemulamini charismata meliora scilicet exercitatione virtutum ex caritate. « Magna enim vis dilectionis (uti Richardus a S. Victore) : miranda vis caritatis. Multi gradus in ea et ipsis magna differentia ». Gradus autem caritatis recensendo enumeravit Augustinus : « numquid mox ut nascitur, iam prorsus perfecta est? Ut perficiatur nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est et mori lucrum ». Et Gerson: «Rationalis spiritus, tamquam nauta... secretis afïïatibus... a mari sensualitatis ad littus aeternitatis, hoc est, a carnalibus ad spiritualia pervenit... Amor enim rapit, unit, satisfacit ». Quapropter illud Divi Thomae praeclarum: « primo gradu quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato... et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat, et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, quod homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhaereat et eo fruatur et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo ».

Si haec omnia profecto mente animoque complectamur: si illud quoque Benedicti XIV teneatur, ex communi theologiae consultorum sententia, ad alicuius Servi Dei sanctitatem probandam satis esse ut saltem postremo vitae suae decennio is altae celsaeque virtutis haud incerta argumenta praebuerit: facile erit obstacula, quae in hanc causam Censor obiecit, omnino sustollere. Enimvero Famula Dei nonnisi gradatim ad perfectae virtutis fastigium evecta est, siquidem ipsamet dixerit : « il Signore mi andò disponendo, senza conoscerlo, per poter compiere un giorno i suoi santi fini... non incominciò subito nè con un miracolo fuora dell'ordine comune e naturale, nè repentinamente, ma fu sibbene a poco a poco, senza che vi fosse neppure nella mia vita cosa alcuna, che meritasse distinzione ». Quae Censor opponit nonnisi ad priorem illum gradum pertinent, quem theologi statum incipiendum appellant: unde David : « cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli». Cum tamen prioris illius

gradus conditio sit a peccatis abstinere, prorsus immunis ab iis Dei Famula evasit illudque caritatis vinculum servavit, qua postea cum Deo omnino coniuncta est.

Non is sum qui negem Michaelam, priusquam Institutum conderet, quum adhuc in saeculo versaretur, theatris, choréis, aequitandi arti aliisque huiuscemodi induisisse. Verum, uti saepe diximus, multum uniuscuiusque loco tribuendum est: « la devozione deve essere diversamente praticata dai gentiluomini, dagli artigiani etc. ». Famula Dei (veluti referunt testes) « si vedeva obbligata per la sua posizione sociale di andare... al teatro e ai ricevimenti officiali ». Ipsamet de se ingenue scripsit: « già ammogliato mio fratello (hispani regis apud Galliarum Regem legationis munere fungebatur) mi portò con mia cognata a Parigi, nei magazzini, conversazioni e ad una vita interamente dissipata, ma non cattiva ». Neque mirum : nam S. Franciscus Salesius sentit: « le danze e i balli son cose di loro natura indifferenti.... le giuste occasioni della danza e del giuoco indefferen<e sono più frequenti, ma, in una parola, ballate, giuocate colle condizioni, che vi ho dette, quando per condiscendere e compiacere all'onesta conversazione, nella quale voi sarete, la prudenza e la discrezione ve lo consiglieranno, perchè la condiscendenza, come germoglio della carità, fa che le cose indifferenti siano buone e le pericolose permesse: essa leva la malizia a quelle, che in qualche maniera potrebbero essere malvagie: perciò i giuochi di ventura, che per altro sarebbero biasimevoli, non lo sono se talvolta a quei siamo indotti dalla giusta condiscendenza. Mi sono consolato nell'aver letto nella vita di S. Carlo Borromeo che Egli cogli Svizzeri si accomodava in certe cose, nelle quali peraltro egli era molto severo; e che il B. Ignazio di Loiola, essendo invitato a giuocare, l'accettò. Quanto a S. Elisabetta d'Ungheria essa giuocava e si trovava nelle adunanze dei passatempi senza interesse della sua divozione, la quale era così bene radicata nell'anima sua. Come gli scogli crescono, essendo percossi dalle onde, così la divozione cresceva in mezzo alle pompe e vanità, alle quali, conforme lo stato suo, era esposta ». Quamobrem aureum Card. Bona effatum : « actiones et verba non in se ipsis consideranda sunt nec referenda ad sanctorum exempla, sed ad principium, sive motivum, propter quod sic operatur ».

Accedit quod etiam valetudinis causa Dei Famula adhibe-

bat « conviti, passeggiate a cavallo, carrozze, teatri, conversazioni, balli, bagni etc. »: nam totidem pharmaca erant (ut ipsa inquiebat) «per il mio dolor di stomaco, che soffrivo in modo penoso ». Illudque iterum animadvertendum est eam in iis oblectamentis « nulla di cattivo » umquam egisse. Praeterea Dei Famula praefervida corporis constitutione praedita fuerat: at natura, quo magis fervida indole aliquem munivit, eo celeriorem motum exigit ut sanguis levior evadat et facilior difiiuaL Sic patientiores laboris efficimur atque facilius a vitiis arcemur. Illud enim in Sacris Litteris praeclarum : melius est corpus validum, quam census immensus. Si anteactae vitae genus in Dei Famula esset nota dignum, quid de S. Francisco Assisiensi? quid de S. Ignatio? quid de S. Francisco Borgia? Nonne et ii huiusmodi oblectamentis induxerunt? Nonne Ven. Maria Christina a Sabaudia idem egit? Quid testes dicant de Ven. Gabriele a Virgine perdolente audite: « nella sua giovinezza era un po' bizzarro nell'acconciarsi delle vesti, amante dei passatempi ed ho inteso dire che amasse anche il ballo ; ed il P. Pincelli, gesuita, maestro di rettorica, una mattina ci disse nella scuola : avete inteso del ballerino? Era di carattere ardente, desideroso di passatempi fanciulleschi. Due anni innanzi che partisse da Spoleto per farsi religioso, si dette a vita allegra, amante di balli, conversazioni, di spettacoli teatrali e di comparire e di fare bella figura, massime nel vestire ». Quae postea memorans Ven. Dei Famulus sic querebatur: «teatri, conversazioni, o Dio, quanti sospiri mi fanno dare! ed oh! in quali abbissi sarei certamente caduto, se Maria Vergine non accorreva ». Quae cum ita sint igitur, nullum exinde obstaculum in hanc causam derivari potest.

Ceterum piam in saeculo Dei Famulam degisse vitam plurimis variisque caritatis refertam operibus vel Censor concedit: siquidem, ea auctore, mulierum, ex nobilissimo Parisiorum ordine, Sodalitium institutum est, quae SS. Sacramento adorando diu noctuque operam darent: templa, quae indigerent, sacra supellectili instruenda curavit: sacella suis sumptibus a fundamentis extruxit. Iter illi ad publica valetudinaria frequens; ostiatim etiam pauperes quaeritabat: infirmos teterrimo manantes odore vel lepra scatentes per summam caritatem fovit: contumaces animas in nosocomiis adibat ut ad Deum traduceret: christianas scholas aperuit optimasque magistras adiecit, quae

curam omnem et ingenium ad puellas probe instituendas conferrent: sacra numismata in vulgus edebat ut Christifidelium pietas excitaretur: donec tandem, gradatim, ducente Deo, Sodalitium maximum condidit

At Censor; semper verum manet eam mundi vanitatibus nimio plus adhaesisse ipsamque in divina exequenda vocatione haesitantem ac segnem fuisse. — Verum mundi vanitates, quibus interdum (etsi invita) cedere cogebatur sic semper adhibuit ut pericula, quae inesse poterant, per summam industriam ac providam mentem caveret. Praeter quam quod id temporis a singulari nutu et arbitrio conscientiae moderatoris pendebat; eo asperioribus flagellis corpus innocentissimum cruentabat, quo splendidiori vestium ornatu induebatur atque eo arctius adhaerebat Deo, quo gravius noverat instare discrimen. Omnem occasionem patiendi alacri animo nacta est. Acatholici viri calumniis exagitata, etsi facile eas fugere posset, laeta pro Christo pati maluit, donec calumniis ultro detectis, maiorem in lucem eius virtus emersit. Precibus assidue vacabat vel oculos somno per noctem frustata. Quotidie ad sacras epulas accedebat, heic pietatis studio reficiens animum, hinc recens atque integra ad virtutem celeriori gradu contendens. Quum, Galliae rege e legitima sua sede exturbato, perduellionum opera, omnia tum humana tum divina penitus evertebantur et cives cum civibus ferro inhumane decernebant, Dei Famula, quae Parisiis id temporis morabatur, quotidianis sacris et coelitum pane se prohiberi non tulit. Ideo, ipsis hostibus mirantibus, quotidie munitiones in aditu viarum extructas superare non dubitavit, quo saepius sacris adesset ac coelestes epulas regustaret. Bruxellis ad summam noctem precibus vigilabat et quando ii, qui legationi praepositi erant, domum, albescente caelo, sese recipere consueverant, Dei Famula, languido lumine illustrata, inter orandum, hoc tempus transegerat. Ipsi vero rem ioco vertentes, sed tamen mirati « en (inquiebant) Michaela ad matutinos psalmos recitandos surrexit ». In ea, quam cum glore, valetudinis causa suscepit, peregrinatione, quot urbes adivit, totidem edidit documenta pietatis. Iter, quocumque pergeret, a Virgine beatissima auspicabatur, quo magis coram Deo et cum Deo deambularet. Brevi, hanc rationem, hoc genus vivendi, quamdiu in saeculo mansit, tenuit: quod quam laude dignum sit clarissime patet.

Neque dicas Deo vocanti segnius Michaelam obedivisse. Nam gradatim (uti iam diximus) disposuit eam Deus. « Il Signore mi andò disponendo, senza conoscerlo... a poco a poco ed in modo semplice ». Non omnes semper eodem modo eademque via vocat homines Deus. Interdum vel minima atque improvisa occasione oblata, nonnulli ad fastigium sanctitatis evehuntur. Dei Famula iamdiu de aliquo sacro ineundo ordine cogitaverat: nondum tamen qualem profìteretur constituerat sibi, quum improviso talis res contigit, unde certam Dei voluntatem deprehendit. Iam nonnullas alumnas collegerat eisque Moniales natione gallicas praefecerat, quae invide in eam coeperunt agere, incertis dictis alumnarum inflare mentes, malignos rumores de eius arrogantia spargere. Res eo deducta est ut olim adeunti sibi Dei Famula coram portam obtrudi vidit, ingressu prohibita. « La superiora le disse che non aveva più niente da fare lì, perchè avevano disposto prendere a sè il collegio ». Viribus dolore fractis Dei Famula ante portam occubuit. Forte oculi in iconem Beatae Mariae Virginis perdolentis inciderant, quae ex adverso pariete pendebat: orat ut sibi via sternatur. Ne quid per iram aut inconsultius ageret, jad Toletanum Praesidem ac Pontificis Nuncium confugit. Diu cum ipsis consilium agitât; iis auctoribus, res civili potestati defertur: inde moniales eiectae: iustitiae partes integrae: ita vero ut nihil Dei Famula de caritatis officio remisisset. « Die parte dell'accaduto all'Emo Card. Arcivescovo di Toledo, il quale la consigliò che s'indirizzasse al Nunzio di S. S... Il Nunzio Apostolico le diede ascolto ed autorizzazione affinchè ricorresse all'autorità civile per regolare l'affare... Malgrado le intimazioni dell'autorità, ricusarono le monache Francesi a lasciar la casa, e in vista di ciò, la sullodata autorità civile dispose che fossero messe in vettura e un picchetto di truppa le accompagnasse per evitare qualche disordine». Quid Dei Famula? erat «col cuore trafitto di pena, poiché le recavano un vero dispiacere le disposizioni adottate dal Governatore e la pubblicità dell'accaduto ». Sed cui imputandum ? Minime Dei Famulae, quae nonnisi iustitiae partes cum caritate componere studuit.

At exinde occasionem excitavit Deus ut eam ad sublimiores sanctitatis gradus eveheret. Monialibus eiectis, subito Collegium puellis excipiendis a se conditum Dei Famula ingreditur: «ordinò che le si portasse da casa sua il letto e quello

della sua donzella per istallarsi entrambe nel detto locale ». Magis magisque orat et subito, divinae gratiae illapsu, se ad inceptum opus acrioribus stimulis impelli sensit atque ei simul, maior humana, vox exaudita est: « perge opus, quod suscepistis hoc esse iubeo ». Neque minus admirationis habet oblata divinitus ipsi Michaelae species, cum videre visa est scalas vértices adhaerentes coelo, perque eas puellas innumeras ascensu ac descensu gradientes quum fastigio moniales insiderent. Quae tamquam sibi nominatim indita interpretata, continuo abdicat se rebus omnibus; humiles induit pannos; caput calantica operit : Sacramenti figuram pectori imponit atque effusam Dei hominumque caritatem, quam celso erectoque animo amplexa erat, sociam sibi et comitem constituit in omni vita futuram. Profecto non in hoc consilia Dei et investigabiles viae eius sunt admirandae? Si quis dixerit segniter Dei Famulam Deo vocanti respondisse, segnior et S. Franciscus Assisiensis esset dicendus, qui nonnisi postquam olim audisset: « si vis perfectus esse... veni et sequere me », Deo se mancipavit. Pariter non certe fortuito factum est ut SS. Ignatius et Ioannes Colombini Sanctorum Virorum res gestas legerent et mores mutarent. Neque segnior S. Franciscus Borgia appellari potest, qui nonnisi postquam Hisabellae Hispaniarum reginae exuvias putrescentes conspexit, a cultu vitae delicatissimo se subduxit et ad Deum convertit. Plenae exemplis sunt sanctorum Virorum Historiae atque omnibus prorsus compertae. — Deus quando vult, spirat: cuius suavi afflatu opera gignuntur admiranda, veluti, spirante vere, tellus floribus exornatur.

Censor séricas vestes carpit, quas primitus Dei Famula vix Collegium ingressa induere perrexit: citarae sonum: pingendi artem: stemmata gentis suae cartulis incisa: gestiendi modum, quo Gallicos concionatores per iocum semel expressit: nomen Hisabellae reginae amicae suae saepe usurpatum: manum affabre a natura perfectam ac saepe inter loquendum ostensam: aliaque id genus. Ante omnia quaerendum esset numne ii, quos testis Ioannis Vinader nonnulla praefata « criticare » audivit, verum referrent? Nam interdum homines, etsi optimis moribus instituti, eos mordere gaudent, qui rigidiorem vitae rationem suscipere aggrediuntur, eorumque propositum in levam partem detorquere contendunt. Haud raro est « sermo (cum Quintiliano dicam) sine ullo certo auctore disper-

sus, cui malitia initium dederit, incrementum credulitas ». Unde S. Gregorius: «sacri eloquii testimonium tenemus ut maiora mala, cum forsitan dicuntur, nisi probata, credi non debeant ». Porro testis postquam nonnulla, quae commemoravimus retulisset, « interrogato d'ufficio come si chiamano e dove risiedono attualmente le persone, a cui ha or ora fatto allusione, il testimone rispose: non rammento le persone con cui ho parlato di ciò, che ho dichiarato ».

At quidquid sit, quae Censor carpit, omnia ad priorem perfectionis gradum pertinebant, qui incipiendum vocatur. Omnium operum longe difficillimum est hominem novum induere. Nemo « infirma deserens, ita S. Gregorius, repente fit summus ». Et S. Franciscus Salesius: « le coeur humain transplanté du monde en Dieu, par le celeste amour,.... se serrera à la divinité, s'unissant de plus en plus en sa bonté, mais par des accroissements imperceptibles, desquels on ne remarque pas bonnement le progrès tandis qu'il se fait, ainsi quand il est fait ». Ut res penitiori intuitu perpendatur, ipsam Dei Famulam ingenue de se narrantem audiamus: « cominciai a formare un piano di vita per me ed a fare quello, che avrei voluto facesse una Comunità, che dirigesse il mio Collegio, e stabilii una vita in questo modo: cominciai col mettermi una veste religiosa: io non mi era mai vestita con abito di lana... Me lo misi di seta un poco elegante... Io andava co' miei lamenti al Signore e gli diceva che mi doveva insegnare la strada ». Sic ab uno disce omnia. Nondum Dei gratia ex eius animo prorsus triumphum egerat: at paulatim Dei Famula ita longe a se omnia ornamenta abiecit, ita se dimisit ac totam se coelestibus rebus tradidit ut sanctitatis fastigium sit assequuta et merito appellata « la Santa Teresa del secolo XIX ».

Vanas somniantis species, inter añiles fabellas amandandas Censor vocat quod Famula Dei de Angelis tutelaribus se et sodalem ad altare SSmi Sacramenti deducentibus enarravit: quod de Christo Iesu ipsam humeris gestante et lateris vulnus sugentem scripsit: tum denique quod iterum de Christo Iesu aures Dei Famulae praebente, quae de levibus labeculis suis confitebatur, sibi videre visa est. At pretium operis esse duco sapientissimi Blosii memorare sententiam, qui in libro suo « Monile spirituale » monet « ne quis perversum quorumdam hominum iudicium sequatur, qui revelationes et visiones divinas

ceu vanissima somnia contemnendo, se parum spirituales esse ostendunt ». Ludit Deus in orbe terrarum, at magis ludit in animabus illis, quibus maximopere delectatur. - Ut paucis exemplis utar, cum in foveam incidisset Philippus Nerius, nonne a tutelari Angelo « fu preso per i capelli e miracolosamente cavato fuori senza nocumento alcuno? » In Vitae Commentario-B. Crescentiae Hoss illud legitur scriptum : « nella festa degli Angeli Custodi, al cominciar di Prima, Crescenzia vide l'angelo di ciascuna religiosa in piedi avanti allo stallo: uno stallo però era vuoto e l'angelo, che era là pareva assai scontento... la religiosa, che doveva occuparlo, se ne era restata a letto per poltroneria ». Quod de Christi Iesu benignitate erga Dei Famulam risu carpere videtur Censor, illud fere simile et B. Margarita Alacoque et S. Veronica Giuliani in se expertae sunt. Fertur enim Christus Iesus se Margaritae videndum obtulisse, ipsi dicens : « Io voleva il tuo cuore interamente puro e non imbrattato da alcun affetto terreno : e per conservarmelo tale, io levai tutta la malizia alla tua volontà, perchè non potesse guastarsi ». S. Veronica vero illud de se refert: «mi sembrò che nostro Signore apri il mio petto, ne tirò fuori il mio cuore e mostrandomelo, tre volte mi domandò: a chi questo cuore? E a ciascuna domanda risposi: a Voi o Signore ». Rideat haec siquis velit: ridentibus respondet Apostolus: « scriptum est : perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobano » ; unde pii, graves et prudentes viri coelestes visiones summa cum veneratione semper sunt prosecuti. — Illud enim in Libro *de imitatione Christi* praeclarum: «Frequens Illi (Deo) visitatio cum homine interno : dulcis sermocinatio : grata consolatio ; multa pax; familiaritas stupenda nimis ».

Nec satis. Censor carpit quod Famula Dei de daemonibus enarrat, qui variis speciebus induti, eam a virtutis tramite deflectere conabantur. At quid in Romano Catechismo ? « Multi sunt qui quod impulsus atque impetus daemonum in se minime sentiunt, totam rem falsam esse arbitrantur... Non est illis pietas, non charitas, non virtus illa christiano homine digna : quare fit ut toti sint in potestate diaboli, nec ullis tentationibus opus est ad eos evertendos, in quorum iam animis, ipsis libentibus, commoratur. At vero qui Deo se dedicaverunt in terris, coelestem vitam agentes, ii maxime omnium Satanae incursi-

bus petuntur: hoo acerbissime odit: his in singula temporis momenta struit insidias ».

Si vera non sunt quae de Famula Dei enarrantur, quid de iis, quae S. Philippo Nerio accidisse feruntur? « Stava un giorno il santo vecchio ritirato in un palco sopra la sua camera : e il maligno, non potendo fargli alcun male, gli imbrattò di sozzure tutta la veste: siccome un'altra volta per offenderlo procurò di fargli cadere una tavola addosso. Quando poi stava ammalato, tenendo la notte per guardia il lume, veniva spesso il demonio e glie lo spegneva. Gli faceva poi rumore in camera quasi per ordinario: onde il P. Antonio Gallonio, che gli dormiva sotto, era sforzato bene spesso a levarsi e andar di sopra per vedere che rumore fosse stato quello, nè si trovava cosa alcuna ». De B. Crescentia Hoss illud idem scriptores habent: « le erano presi di mano gli oggetti, guastato il lavoro, spento il fuoco... una sera verso le otto, Suor Beatrice Leder, trovandosi sul dormitorio vide un tale privo di testa, vestito da cacciatore, entrare nella cella di Crescenzia nel momento che costei stava per ritornarvi... Mentre al Capitolo Crescenzia prostrata in terra diceva la propria colpa, spesso una mano invisibile sbatteva la sua testa contro il pavimento con tanta violenza che le scorreva giù il sangue dalla bocca e dal naso.... In tempo di riposo era peggio. Si sentiva un rumore pauroso innanzi alla cella assediata, come preambolo; poi spettri orribili in forma di bestie, di serpenti, di rospi, di tarantole, di scorpioni riempivano la cella e si avventavano contro Crescenzia... Una notte si udì uscire dalla sua cella un fracasso inaudito, come colpi di staffile, di armi, di fischi. D'un tratto Crescenzia fu balzata fuori e lanciata a pié delle scale trapassando per due porte che erano chiuse: fu trascinata fino al fosso, che traversava il cortile. Quivi gli spiriti maligni la immersero nell'acqua e poi la gettarono sotto un mucchio di legname... A queste tragiche avventure talvolta se ne univano delle comiche. Avvenne un giorno che, mentre essa in cucina badava ad un'enorme marmitta piena di vermicelli e di latte bollente, Suor Giovanna Altaeger, che le stava vicino, vide la marmitta portarsi da mano invisibile sulla testa della vergine, lasciando colare il liquido sopra il capo di lei e producendo così nel capo e nei corpo dolorosissime scottature ». Nihil mirum igitur quod simile Dei Famulae accideret.

At « da molti » Famula Dei (instat Censor) « fu ritenuta per visionaria». Concedam. Quid exinde? Sanctus sanctorum Christus calumniis non fuit immunis, quippe dum verba vitae aeternae hominibus evangelizabat, ab iis ipsis, qui apud Iudaeos doctrinae et pietatis opinione spectabiles erant, traductus est tamquam seditiosus et publicae pacis perturbatur: tamquam samaritanus et haereticus; tamquam insanus et furiosus, tamquam seductor et, eius exemplo, dum viri probi persecutiones passi sunt, consolationis argumenta hinc sibi suppeditarunt Paulus quoque et Stephanus calumniarum tela passi sunt : cum Paulus doctor Gentium exagitatus fuerit veluti haereticus et criminosus et Stephanus tamquam blasphemus in locum sanctum et legem. Notissima pariter sunt crimina falso impacta maioribus Ecclesiae Patribus: cum de S. Athanasio dictum sit quod stuprator fuisse et homicida: de S. Basilio quod esset ambitiosus et superbus : de S. Ioanne Chrysostomo, quod arrogantia tumeret: de S. Hyeronimo quod esset violentus et haereticus: de S. Augustino quod esset auctor novorum de gratia dogmatum : de S. Bernardo quod esset pseudoproheta ». Quid igitur admirationis habet quod Dei Famula quoque, quum fluxis rebus valedixit, tamquam « visionaria » per ora hominum traduceretur ?

Sed inquies: « nel seno di sua famiglia era tenuta... come vittima di fanatismo religioso ». Apud matrem minime umquam: dicere enim ipsa de Michaela puella consueverat: « non so quali sono i progetti della Provvidenza di Dio circa Michelina... o a che l'avrà destinata:., non vedo che commetta un sol peccato veniale. Sempre sta occupata in opere di pietà sia verso Dio che verso il prossimo. Ho molto da imparare da Lei: è il mio vero togli-pene ». Fratrem eam non bene habuisse concedam: imo testis VII Valentinus: « mi consta che da parte del suo signor fratello e famiglia fu trattata con durezza, chiamandola matta e, per più obbligarla, le diceva lui così la qualificava tutta la nobiltà di Madrid, dandole inoltre le qualifiche di ipocrita ed illusa, proponendosi in tutto ciò che desistesse di portare avanti la fondazione ossia l'accogliere nell'Istituto, che stava fondando, le giovani traviate ». At cum Schräm dicam : « purgado passiva partis sensibilis perficitur subinde.... per persecutiones ab hominibus inductas, quales etiam S. Iob ab uxore et amicis suis sustinuit: et cum Ribet: « la persécu-

tion des hommes est aussi un creuset où l'âme s'épure et dépose tout alliage avant d'être élevée à la contemplation.... La peine que causent ces tribulations est plus vive lorsqu'elles procèdent des proches et des amis... On peut dédaigner et s'expliquer les malveillances des étrangers et des ennemis; on souffre toujours en se voyant en butte aux poursuites de ceux que l'on aime et que l'on révère, qu'ils soient de bonne foi ou mal intentionné ». Nonne etiam S. Catharina Senensis a parentibus acerrime habita est? nonne Stanislaus Kostha a fratre? nonne, ut alios taceam, Anna de Xainctonge diuturnum bellum cum suis sustinuit ut institutum suum conderet?

Neque tum denique moveor quod Eugenius Labarta dixerit : « non mi azzardo di assicurare che la protezione e i favori di Dio verso di Lei si credessero straordinarii ». Nam ipse sententiam suam de aliena opinione anxio animo exprimere visus fuit. Neque omittendum est illud quoque se retulisse « nella decorrenza di 26 anni dopo di aver trattato con M. Sacramento .... e di 83 anni che ho... il ricordo di quello che conobbi della sua vita... émolto debole ». Addidit etiam de Famula Dei: « era avanzata nella perfezione cristiana ed in generale le persone, che la trattarono, l'ebbero in buon concetto... le sue virtù furono vere ». Quid denique si dicit se desiderare « la sua beatificazione per la gloria di Dio e l'affetto che le professai ? »

In postrema animadversionum parte obiecit Censor Dei Famulam, quum codesti lumine se illustratam esse ostenderet, interdum contra obedientiam confessario debitam et contra caritatem peccasse. Verum in hoc (cum clariss. Alibrandi dicam) aliquando distinguendum est: «Deus voluntatem subditorum minime inclinat ut legitimi superioris mandata contemnant, sed potest, pro eo quo pollet rerum omnium dominio, humana iussa contra voluntatem suam edita, inania efficere et physicam potestatem subditis adimere ne iussa exequantur... Semel ac vero haec divina voluntas patefacta est per ineluctabilem potentiam, quae subditos vel invitos ad se trahit, ipsimet superiores illi tenentur obsequi; cum enim Dei sint ministri et interpretes, prae ceteris decreta sua decretis Eius conformare debent. Hisce concinunt quae Margaritae Alacoque olim Dominus denunciavit, monens « ch'ella e la sua Superiora combatterebbero invano contro di lui » atque insuper addidit: « l'obbedienza io l'amo e diedi per essa la vita: ma ti farò cono-

scere che sono padrone assoluto dei miei doni e delle mie creature e che niente potrà impedirmi di compiere i miei disegni ». In quo igitur peccavit Dei Famula si, divino instinctu illustrata, res occultissimas, quas in aliis praecaverat, aperte dixit? Utique, cum olim Palentini coenobii templum adivisset, « chiamata dalle Religiose all'inferriata del Coro le salutò con queste parole: la pace sia in questa casa, imperocché ben ne ha bisogno: quella Religiosa, che entra dalla parte del Coro, è proprio quella che l'altera ». Pariter, concedam, alias Sorori Iosephae Alfageme Zamorensi dixisse: «sia lei più sincera col confessore»: sed utraque res vera erat: utraque occulta: quis igitur Michaelae haec aperuit: quis eam docuit, nisi Ille, cui manifesta et aperta sunt omnia? Quapropter nulla contumaciae nota Dei Famula coargui potest, praesertim quum Confessarii iussa « di non far uso particolare di rivelazioni interne » non essent ex summo iure et immoderata potestate interpretanda, sed eo spectabant ne pro libitu ac passim iisdem Michaela uteretur.

Neque dicas Dei Famulam, quum publice occulta reprehenderet, contra caritatem et prudentiam peccasse. Docet enim Benedictus XIV : « de aliquibus sanctis legimus eos occulta peccata publica admonitione aliquando reprehendisse : sed cum occulta peccata non humano modo, sed ope revelationis divinae cognoverint, legi praecedentis privatae admonitionis non erant adstricti. Passim in vitis sanctorum similia gesta leguntur et, ut a recentioribus abstineamus, Palladius in historia Lansiaca, publicam narrat reprehensionem factam a S. Aminone, a Macario Alexandrino, ab Eulogio presbytero, ob occulta peccata, quae ipsi supernaturali modo noverant ». Etiam in inquisitionis tabulis ad ineundam causam Ven. S. D. Margaritae a SSmo Sacramento institutae, fertur ipsa olim accedere non potuisse ubi sacerdos quidam flagitiis onustus, sacris operabatur: iussa autem causam aperire, « res occultissimas de miseri huius sacerdotis statu manifestasse et de ipsius miseria spirituali, quae omnes verae agnitae sunt ». Quamvis Censor obiecisset id contra caritatem esse factum, tamen, cum causae patronus strenue demonstrasset Ven. Dei Famulam res occultas nonnisi divino instinctu aperuisse, causa ipsa feliciter apud Sacrum hunc Coetum inita est.

Eo quod, quum Dei Famula accederet « al confessionale del Signor Claret, si capivano l'uno e l'altra senza parlarsi »,

eam arguit Censor perinde ac si sacram homologesim haud iuxta Ecclesiae ritum perageret. Parce, quaeso: de intima ac mutua animorum discretione, quae inter Ven. Claret et Dei Famulam intercedebat, loquitur testis, minime dicit homologesim haud rite fuisse peractam. Non semel de huiuscemodi munere divinitus indito in Vitis sanctorum hominum enarrari audivimus. Philippus Nerius « vedeva talmente l'interno dei suoi penitenti che... gli erano palesi i peccati... e vedeva i pensieri che passavano loro per la mente ». Numne ideo dixerimus eum aures suas peccata confitentibus non praebuisse neque illos peccata sua voce, iuxta ritum, non enunciasse eo quod Philippus adeundum animum penitus nosset? Prorsus haec est nativa ac germana testis sententia ut Ven. Claret et Dei Famula invicem inter sese intelligerentur in iis, quae ad mutuam sanctitatem spectarent, non in iis quae ad homologesim rite perficiendam necessario requiruntur.

Quae cum ita sint igitur, quoniam actorum formulis ex iudiciorum ordine constitutis omnino satisfactum est, neque ullum verum causae huic ineundae extat obstaculum, spe certa confidimus fore ut Emi Patres proposito dubio propitium ferant suffragium: quod una cum universa sodalitate Ancillarum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis nec non cum Revmo D. Beniamino Miñana, Collegii Hispani in Urbe moderatore atque huius causae Postulatore vigilantissimo enixis precibus flagitamus.

Quare etc.

ACHILLES MARTINI Adv.

ALPHONSUS STERBINI

Die 16 Iulii 1902.

REVISA

ANGELUS Adv. MARIANI
S. R. C. Assessor et S. Fidei Sub-Promotor.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CASSANE N.

IURIUM.

Die 31 Ianuarii 1903.

Sess. 25 cap. 11, De Ref.

COMPENDIUM FACTI. In oppido Syphaeo (hodie *Castrovillari)* dioecesis Cassanen., iam a remota aetate tres extabant Ecclesiae parochiales, altera sub titulo S. Petri *La Cattolica,* altera S. Maria *Bel Castello,* et tertia S. Iuliani. — Verum cum urbis fines ampliarentur succrescente civium numero, domus aedificare aggressi sunt cives in parte editiore et amoeniore montis, cui adiacet urbs vetus. Loci amoenitas, aeris salubritas illuc magis in dies pertraxit incolas Syphaeenses adeo ut pene deserta remanserit antiqua urbis planities. Inde vetustate collapsam nemo reficere studuit Ecclesiam S. Petri prope dirutam ; atque veteres Ecclesias parochiales derelinquere necesse erat quippe non amplius capaces adauctae plebis : quamobrem nova extructa est Ecclesia S. Trinitati dicata in media urbe et facta est nova circumscriptio parochiarum sub a. 1846, quamobrem abolitis paroeciis S. Petri et Mariae *del Castello,* hisce aliae suffectae sunt duae Ecclesiae parochiales, nempe Ecclesia a S. Trinitate et Ecclesia S. Iosephi; haec tamen sub appellatione paroeciae S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe,* quippe huc translata est paroecia veteris Ecclesiae a S. Maria *del Castello.* Hodie vero quaestionis est an haec Ecclesia effecta sit Ecclesiae S. Iosephi subsidiaria et filialis.

Praeterea sub eodem tempore, maxime ut obtemperaretur celebri hprevi *Impensa* clerus receptitius *non numeratas* qui adscriptus erat singillatim tribus Ecclesiis parochialibus, ad certum numerum redactus fuit, et universus sub certis legibus adscriptus est novae Ecclesiae parochiali

a S. Trinitate ita ut cura *habitualis parochialis* haberetur penes clerum. Inde huius cleri partem facere constitutum est etiam tres parochos ; quamobrem cleri praeses ille habitus est qui parochus Archipresbyter ad S. Trinitatis renunciaretur; parochus vero ad S. Iosephi titulo Praepositi; et parochus ad S. Iuliani titulo Primicerii frueretur. Ad haec ordinatum fuit, ut omnia bona diversis Ecclesiis attributa sive parochialibus sive filialibus in unum corpus unirentur, atque per duos distinctos procuratores nimirum per procuratorem Ecclesiae bona Ecclesiarum; et per procuratorem cleri bona cleri administrarentur ea lege ut ex reditibus bonorum communium desumerentur et congruae parochiales et portiones clericorum participantium, nec non expensae necessariae ad divinum cultum aliaque munera spiritualia et ad Ecclesias conservandas et reiiciendas. Haec ordinatio facta est per statuta a clero deliberata et unanimi suffragio approbata in plenariis comitiis an. 1840, et an. 1847 accessit decretum Episcopi executoriale quod iam condita statuta executioni demandari curavit.

Iuvat proinde referre praecipuas ordinationes statutorum quae clerus condidit a. 1840, et Episcopus quoad substantiam rata habuit et executus est decreto a. 1847; et sunt sequentis tenoris :

« Di formare, da ora, l'unione di tutti i Cleri, ed incorporare i medesimi in un solo, facendo una Tabella secondo l'ordine di anzianità dei Sacerdoti, giusta il costume, e di unire dal 1 Settembre corrente anno in una sola massa, le rispettive Clerali Masse grosse e minute, ed in una sola anche le rendite delle Chiese e Cappelle Urbane e rurali, che saranno amministrate da due distinti Procuratori, creati nel modo come per i'addietro, e nel giorno 20 di ogni mese di Agosto, per prendere possesso della carica il primo del seguente Settembre.

» La cura abituale della popolazione intera deve essere nel Clero riunito, l'attuale poi sarà de' tre Parrochi i quali nel!' esercizio della medesima saranno indipendenti l'uno dal-

l'altro, serbando all'oggetto la circoscrizione territoriale delle Parrocchie fatta nella Santa Visita del 1832.

» I Parroci prenderanno il titolo della Chiesa della Cura, ed in essa ciascuno eseguirà esattamente il proprio ministero — si serviranno tutti tre del medesimo suggello del Clero, e conserveranno nell'Archivio della propria Chiesa i libri Parrocchiali.

» Perchè nelle Chiesa della SS. Trinità deve risiedere il Clero riunito, sarà perciò il Parroco di lei il Presidente dello stesso, ed avrà la precedenza su tutti in ogni sacra funzione, in cui interverranno i Sacerdoti.

» L'antica lodevole consuetudine della quotidiana officiatura sarà conservata nella Chiesa della SS. Trinità e nella stessa si celebrerà la Messa Conventuale, nei giorni poi delle festività di S. Maria Castello, e di S. Giuliano, il Clero andrà ad eseguirle nelle Chiese di detti titoli; ed anderà in quella di S. Maria anche ne' Sabati dì Quaresima e nel Giovedì Santo, il giorno ed il tutto secondo il solito. I novenari de'Santi protettori si faranno coli'intervento del Clero.

» Il diritto di cantare le Messe, e la celebrazione delle sacre funzioni, in tutte le Chiese, non eccettuatene le Parrocchiali medesime, ed in tutte le Cappelle, sarà esclusivamente del Clero, il quale vi potrà a suo piacimento intervenire, od in corpo o divisorie Eddomade, o in mezza Eddomada, secondo la grandezza o piccolezza della Chiesa, e Cappella in cui è da funzionarsi, e nel miglior modo che lo stesso determina.

» Le processioni di rito, di divozione, di penitenza, e mortuarie per la Città saranno disposte, ed eseguite dal Clero, e vi sarà in esse la sola Croce Clerale.

» Nelle Chiese, e Cappelle Urbane, nelle quali dovrà celebrarsi qualche sacra funzione verrà eseguita del Parroco, nel di cui territoriale recinto è sita la Chiesa, o la Cappella, ma sempre con l'intervento del Clero, come s'è detto nell'articolo settimo.

» Le benedizioni de' cadaveri sarán del proprio Parroco in conformità delle generali disposizioni.

» Il Parroco della SS. Trinità nella Chiesa e Cappella di sua giurisdizione, e nelle rurali tutte celebrerà le funzioni mere parrocchiali, e quelle di prima Classe: le altre poi saranno eseguite dal Capo di Eddomada, ed in mancanza dal Seniore nell'ordine, i quali pure suppliranno il Parroco in tutto, meno che nella cura delle anime, come s'è per Taddietro pratticato.

» Affinchè abbiano i Sacerdoti della Chiesa in avvenire un congruo sostentamento, e non minore di quello disposto dalle leggi vigenti, onde mantenersi ciascuno con quella decenza e decoro, che richiede lo Stato Ecclesiastico, le rendite tutte Clerali dovendo da ora ripartirsi in trentadue porzioni, stabilendosi il numero dei partecipanti a trentadue individui inclusi i tre Parrochi, i quali oltre alla partecipazione, come a Preti del numero, avranno in ogni Novembre ducati venti per ognuno, in contanti, dal Procuratore, ed avranno ancora i diritti di stola bianca e nera e cedendo pure a loro vantaggio la metà de' medesimi, che spetterebbe ai partecipanti senza però pretendere altro sotto qualunque veduta, Le partecipazioni vacanti saranno occupate da'novelli Sacerdoti, per diritto di anzianità, fino a che non sarà coperto il numero stabilito di trentadue.

» Ogni partecipazione dovrà disimpegnare il peso delle Messe infìsso sulla Massa, nel modo consueto; i Parroci ne saranno esclusi dovendo soddisfare alla Méssa *pro populo*; verranno pure i medesimi considerati come presenti al Coro ed a tutte le funzioni del Clero, quando saranno nell'attuale servizio della cura; e percepiranno di tutti gli emolumenti sì della Massa che delle distribuzioni manuali ed avventizi.

» Per poter eseguire con tutta decenza le sacre funzioni in tutte le Chiese e Cappelle della Città il Procuratore della Chiesa, a richiesta de' Parrochi e del Clero le provvederà di quanto occorre, per il mantenimento del culto, e per la riparazione delle fabbriche ».

Huiusmodi statuta plenam sortita sunt executionem usque ad a. 1866 quo leges assis ecclesiastici eversivae, abolito clero receptitio, eius bona publico fisco addixerunt exceptis portionibus congruis pro parochis ; ast intacta manserunt bona Ecclesiarum utpote earumdem dotem constituentia, cultui divino et curae animarum destinatam.

Verumtamen clerus nihil immutavit in sua intima constitutione et pro bonis communibus, adhuc superstitibus, administrandis suos procuratores elegit, et hi prosecuti sunt in ordinaria administratione usque ad a. 1873 quo Sacerdos Camporota parochus ad S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe* adiit tribunal civile, sibi vindicans adversus Ecclesiae procuratores administrationem bonorum ad suam Ecclesiam et ad Ecclesiam S. Mariae *del Castello* spectantium, et facile obtinuit suam intentionem per iudicialem sententiam diei 16 Februarii 1875, quippe leges eversivae clerum receptitium eiusque curam penitus abolere intenderunt.

Instantiam appellationis instauraverant Ecclesiae procuratores, at spe deiecti ab ista destiterunt, et potius animum adiecerunt ad concordiam ineundam. Ex sententia enim tribunalis civilis maximum damnum obvenerat aliis Ecclesiis: quia ingens bonorum communium quantitas - derivabat ex Ecclesia S. Mariae *del Castello,* veteri Sanctuario, populi frequentia celebri et eleemosynarum et oblationum copia admodum divite. — Itaque ipse Episcopus suam interposuit auctoritatem et iussit Sacerdoti Camporota ut per transactionem discordias componeret et aliarum Ecclesiarum indemnitati consuleret.

Revera initus fuit contractus transactionis in quo interfuerunt et Episcopus Cassanensis ope sui specialis Procuratoris Sacerdotis Salvati, et Sacerdos De Leo Parochus Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, et Sacerdos Camporota Parochus Ecclesiae S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe,* et Sacerdos Pugliese Parochus Ecclesiae S. Iuliani, et Sacerdos Perna antiquior Procurator necnon Sacerdotes Bloise,

et Miglio recentiores Procuratores qui Ecclesiarum Syphaei bona administraverant.

Prodest in medium referre praecipua pacta quae in illo contractu statuta fuere. In ipso partes convenerunt: «Il Parroco signor Camporota per la Chiesa di S. Maria dei Castello non pìii sede Parrocchiale, ma rimasta succursale della Parrocchia di S. Maria del Castello in S. Giuseppe- proporrà in ogni anno uno speciale Procuratore col titolo di Cappellano a Monsignore Illustrissimo che si degnerà approvarlo. Il Cappellano *pro tempore* così nominato custodirà le chiavi della Custodia di Santa Maria del Castello, introiterà colla sorveglianza di tutti e tre i Parrochi le oblazioni dei fedeli credenti per tutto il corso dell'anno, ed allo spirar dello stesso il Parroco Camporota con semplice di lui uffizio inviterà gli altri due Parroci due giorni prima ad assistere alla reddizione del conto di quelle oblazioni : e se dietro lo invito gli altri due Parrochi non interverranno prenderà conto delle ripetute oblazioni il solo Parroco Camporota, e lo spedirà pel visto all'approvazione del Diocesano. Le Messe piane che saranno raccolte nella vigilia e nel giorno festivo della Vergine del Castello, cederanno a benefìcio dei tre Parrochi, e di tutti i sacerdoti secolari, di questa Patria ; ma le messe cantate con emolumento in tutti i giorni dell'anno cederanno a benefìcio soltanto dei Parrochi e Sacerdoti intervenienti debitamente e avvisati. Quelle oblazioni* poi dovranno servire per la manutenzione, restauri ed arredi Sacri della Chiesa di S. Maria del Castello principalmente, e superando quei bisogni il residuo sarà annualmente ripartito a beneficio delle tre Parrocchie in parti uguali, appena però che saranno colmati tutti i debiti ».

Itidem contrahentes convenerunt : « Le rendite annue delle tre Parrocchie ed i pesi .alle stesse inerenti (esclusa la manutenzione del così detto acquidotto di Santa Maria, nella contrada Mattina di questo territorio e le prestazioni che se ne avranno dai terraggiani utenti) verranno tripar-

tite assegnandosi alla Parrocchia della Trinità la rendita di San Pietro la Cattolica, di Santa Maria delle Grazie, di San Giacomo e di Santa Maria delle Armi, ed alla Parrocchia di San Giuliano la.rendita di San Giuliano istesso e di Santa Maria del Carmine, e rimanendo tutte le altre rendite alla Parrocchia di S. Maria del Castello in San Giuseppe. Che se cogli assegni anzidetti le due Parrocchie della Trinità e di San Giuliano non raggiungeranno una rendita annua uguale a quella della Parrocchia di Santa Maria del Castello in San Giuseppe, il Parroco di quest'ultima ed il Procuratore da lui destinato somministrerà il dippiù a ciascuna Parrocchia a terza o quadrimestro anticipato fino ad ottenersi il conguaglio ».

Praeterea convenerunt : « Continueranno a rimanere di esclusivo dominio e possesso della Parrocchia di S. Maria del Castello in San Giuseppe i beni immobili, ed il diritto alle prestazioni degli utenti dell'acquidotto di Santa Maria alla contrada Mattina col peso della manutenzione, intendendosi esclusi dalla presente convenzione. Le così dette quarte funebri dei filiani di tutte le tre Parrocchie andranno a vantaggio esclusivo della Parrocchia della Santissima Trinità. Ogni Parroco per l'amministrazione della rendita assegnata alla propria Parrocchia proporrà nel primo Luglio prossimo venturo e così il primo Luglio di ciascun anno uno speciale procuratore da scegliersi tra i Sacerdoti secolari di questa patria e manderà la proposta a Monsignore Illustrissimo che si degnerà approvarla. Allo spirar di ogni anno riscuoterà poi dal proprio procuratore il conto della tenuta gestione, e lo manderà pel visto all'approvazione di Monsignore. E logica pure la conseguenza che ciascun Parroco nomini direttamente il Procuratore o Cappellano delle rispettive Cappelle succursali o filiali della propria Parrocchia ».

Deinde a. 1881 assentiente curia inter tres parochos alia inita est concordia pro determinandis congruis portionibus parochialibus.

Anno 1901 diem obiit supremum parochus Camporota, et clerus qui hactenus aegre servaverat pacta inita in concordia a. 1875 institit apud Episcopum Cassanen. ut hanc concordiam nullam esse declararet utpote innixam sententiae tribunalis civilis, et proinde ediceret servanda esse vetera statuta a. 1840, executioni data a. 1847. — In id autem potissimum. instabat clerus, ut vetera statuta observaretur praesertim relate ad Eccl. S. Mariae *del Castello* quam esse filialem Ecclesiae S. Trinitatis contendebat.

Episcopus noluit meritum quaestionis attingere, partes remittens ad S. C. C. at provisionale edidit decretum die 1 Iulii 1901 ita conceptum non S. Iosephi.

« Che il proposito De Dieco (nempe parochus hodiernus Ecclesiae S. Mariae del Castello in San Giuseppe) fra un mese da oggi impreteribilmente esibisca il conto della chiesa del Castello dal giorno primiero che ne è entrato in gestione fino al giorno della reddizione del conto stesso : e che la discussione del conto sia fatta insieme agli altri due Parroci De Leo e Stabile in presenza del nostro Luogotenente Vescovile, il quale tra dieci giorni invierà in questa nostra Curia il verbale della consegna e della discussione dei conti, nonché i conti stessi ed i documenti giustificativi. Nè questi conti s'intendono approvati definitivamente se non dopo la declaratoria da noi firmata o dal nostro Pro-Vicario Generale.

» Che il Sac. Carmelo Gesualdo venga riconosciuto provvisoriamente dal 1 Agosto 1901 cappellano della chiesa della Madonna del Castello, salvo ad esservi confermato oppur no, dopo la sentenza definitiva nella vertenza tra il Clero ed il Prepósito De Dieco. Il Gesualdo sarà immesso nel nuovo ufficio dal Nostro Luogotenente Vescovile e dal medesimo Luogotenente sorvegliato nell'esercizio del suo provvisorio ufficio.

» Che nel possesso della Chiesa del Castello venga data al Gesualdo la consegna legale degli arredi di essa riportandosi all'Inventario della consegna precedentemente fatta

al De Dieco, aggiungendovi qualunque altro oggetto fosse stato in seguito acquistato o donato alla Madonna. Di tale inventario si manderà copia alla nostra Curia Vescovile insieme al verbale di possesso non oltre 10 giorni a cura del sullodato Luogotenente ».

CONSTITUTIO FORMULAE DUBITANDI INTER CLERUM ET PAROCHUM S. MARIAE DEL CASTELLO. Inde cleri procurator ex una parte, et procurator parochi ad S. Mariae *del Castello-in S. Giuseppe* ex altera, sequentem dubitandi formulam contestati sunt ; nempe: « Utrum conventio diei 10 Iunii 1875 sustineatur in casu »; et procuratorum animadversiones modo subtexam.

DEFENSIO CLERI. Cleri procurator advertit, non posse approbari initam conventionem, quia quum per vim legum civilium uni de Capitulo vel de Clero plus reddituum adiudicatur quam is habuit in praeterito, certe haec legis iniquitas moderanda est aequis conventionibus ac concordiis. Ita sonat celebre Decretum *Ad dirimendas* diei 22 Februarii 1876 huius S. C: ibi ad 6. « An et quomodo Parochus de Capitulo vel Cleri gremio, qui bona massae comunis accepit a Fisco sub titulo congruae Parochialis, teneatur eadem bona in massa iterum immittere? — Resp.: Generatim loquendo affirmative : in practica tamen executione curet Episcopus rem componere, secus recurrat ad S. C. » ; et videri posset haec quadrare in casum nostrum. Sed non ita est, ait orator, quia lex civilis, ut vidimus sub § 6, nil immutavit in nostro casu circa Massam Ecclesiae, quae pariter unica remansit et integra a redditibus omnium ecclesiarum constituta : ita ut pariter Clerus eligeret Procuratorem ad eam administrandam. Non fuit igitur vis legis causa efficiens et directa dictae conventionis, sed prorsus mala voluntas parochi Camporota, qui principia subversiva invocavit ad sibi exclusive adiudicandum quod erat patrimonium totius Cleri.

Ad meritum quaestionis quod attinet notat advocatus, quod dicta conventio non solum ortum habuit a relata ei-

vili sententia, sed ulterius in illa fundatur et secundum illam regitur, ita ut ab ea totam vim accipiat. Ibi enarratur origo et causa litis et quomodo definita fuerit per civilem sententiam, eademque principia subversiva adamussim repetuntur, vi quorum actus conventionis conficitur. Imo sub art. 1. clare statuitur : « Le narrative sopra enunciate formano parte integrale della presente contrattazione ». Enimvero tum sententia tum conventio duo praecipue supponunt, suppressionem nempe Cleri, et ecclesiam S. Mariae « del Castello » parochialem adhuc subsistere favore parochi S. Iosephi. Hoc secundum autem veritati non congruere instat orator qui recolit Ecclesiam S. Mariae dei Castello non amplius esse parochialem, eamdemque vero non contineri in finibus parochialibus Ecclesiae S. Iosephi; quamvis haec successerit extinctae Ecclesiae parochiali Sanctae Mariae *del Castello.*

Quod autem civilis suppressio Cleri nihil valeat quoad effectus canonicos, pergit advocatus, tritum est in iure; et passim apud hanc S. C. non deest occasio, in controversiis definiendis, hoc iterum iterumque stabiliendi. Revera, in Causa *Platien.* Iurispatronatus, 12 Aug. 1882, S. C. C. docet : « Neque oggeras praedicta beneficia ceu extincta habenda esse, ex eo quod Collegiata civitatis vulgo Terracina in vim legis anno 1867 editae suppressa fuerit, quandoquidem vulgatum in iure est quod quidquid laica potestas de bonis ad Ecclesiam pertinentibus disponat, flocci fieri debeat, etiamsi huiusmodi dispositio in Ecclesiae favorem vergeret. Idque eo vel magis in casu sentiendum esse videtur, cum explorati facti sit quod laicae potestatis dispositio non in Ecclesiae utilitatem et bonum, sed in manifestum ipsius damnum et praeiudicium vertat. *Cap. 10 de Constit, cap. 12 de rebus eccles, non alien.; cap. 8 de arbitr.;* Fagn. in cap. *Quae in Ecclesiarum, n. 30. et 31.* Cuius nullitatis ratio in eo ponitur, quod laici iurisdictione carent sive in ecclesiasticas personas sive in bona ecclesiastica, Fagnan. l.c. ibi: Ampliatur septimo etiamsi statuta laicorum redundent

in favorem et commodum Ecclesiarum, quia nihilominus non valent ex defectu potestatis. Idem docet Piton, in *Controversiis Patron, alleg. 57, n. 70,* et firmat Rota cor. Cavaler. *decis. 194, n. 1.* — Posito itaque quod Collegiata a civili potestate, Ecclesia pro suo posse ex adverso reclamante, suppressa fuerit, nemo non videt, huiusmodi suppressionem nullius roboris, saltem in faciem Ecclesiae, habendam esse, ideoque praedicta beneficia tamquam existentia retineri oportere. Quod enim nullum est, nullum producere posse effectum, tradit *I. 4 § Condemnatum de reiudicat., et cap. Illud, 8 de iurepatr.* ».

Opponitur quod in praxi nihil immutatum fuerit per conventionem, cum omnia ordinata sint secundum vetera Statuta. — Verum hoc etiam admisso at minime concesso, respondet advocatus, quod Clerus parere vult probatis Statutis, non civili conventioni, et vult principium propriae obligationis legale esse et canonicum, non autem illegale et sibi iniuriosum. - Attamen veras immutationes ex conventione diei 10 Iunii 1875 inductas fuisse, ita probat procurator.

a) Vi Statutorum omnia ecclesiarum bona ac redditus communia erant, ita ut unus parochus vel alter illis indiscriminatim usufruebatur iuxta peculiares exigentias. Procurator enim omnibus et singulis suppeditare debebat absque ulla exclusione vel restrictione. Vi autem conventionis bona ecclesiarum ac redditus pari mensura in tres partes divisi sunt et unicuique parocho adiudicata Primo aspectu divisio haec maximam aequitatem praeferre videretur, sed minime sane. Nam una ecclesia maioribus expensis ad cultum servandum potest indigere quam alia; v. gr. in ecclesia SSmae Trinitatis quotidie habetur Missa conventualis, servitium Chori, quibus aliae ecclesiae non onerantur; utpote etiam in altera ecclesia fabricae restauratio urgere potest, vel alia huiusmodi: ita ut diversimode occurratur oporteat diversis necessitatibus. Hinc patet quod unus parochus propriam congruam superfluis reditibus potest augere, dum alter etiam necessario carere potest.

Ulterius urget orator, est adnotandum quod hoc modo translata sit proprietas bonorum ecclesiae in singulos parochos, dum e contra vi probatorum Statutorum proprietas toti Clero inhaerere debet. Quapropter cum deficiat in casu Indultum Apostolicam, etiam ex hoc capite nullitas dictae conventionis magis magisque apparet.

b) Altera gravis immutatio effecta fuit relate ad ecclesiam S. Mariae *del Castello.* Nam vi Statutorum et laudabilis consuetudinis solus Clerus vel Procurator a Clero electus ibi sacra faciebat, quin ullus parochus vel minimam ingerentiam in illa iactare posset. Ipse Procurator dein quotannis Episcopo directe rationem reddebat circa reddituum administrationem et fidelium oblationes. Ita sese exprimit Episcopus Basile in suo Decreto 1874: «Che il Santuario in discorso si amministra e si serve dal Clero riunito fin dal 1840 sotto l'esclusiva dipendenza dell'Ordinario diocesano, e di qui il legittimo tempo, la buona fede, il giusto titolo, e tutti gli altri caratteri da raffermare una incrollabile, sicura e giuridica prescrizione a favore di esso Clero ». Nunc vero e contra maxima deordinatio per civilem conventionem 1875 introducta est. Procurator eligitur a parocho S. Iosephi, et ipse parochus ecclesiam S. Mariae tamquam propriam ac filialem retinet; administrationis autem rationem eidem parocho Procurator reddit. Considerat ergo orator, gravissimam iniuriam quae fuit Clero inflicta per hanc innovationem. - Civitatis Sanctuarium erat sub regimine Cleri, ipse erat eius dominus et Rector ; nunc autem, quamvis in illud sacra facere prosequatur, semper tamen id peragere debet sub vigilantia et imperio parochi vel Procuratoris, qui est ipsius parochi fidelis servus ac subditus. — Addit ulterius advocatus inde damnum evenisse eiusdem Ecclesiae. Nam prius omnia agebantur sub vigilantia Episcopi, qui supremus dominus Sanctuarii iure considerabatur, et quotannis reddituum rationem recipiebat. Sed per funestam dictam conventionem parochus S. Iosophi loco Episcopi successit, ita ut ab anno 1875 usque hodie

una vice vel altera Procurator rationem suae administrationis reddiderit.

Notat praeterea patronus, quod vetera an. 1840 statuta non solum Episcopus pro tempore Cassanen. rata habuit, sed tum a Commissione Episcoporum, tum a Neapolitana Ecclesiastica Nuntiatura rite confirmata fuerunt, ita ut ab anno 1840 usque hodie semper uti lex unica regulatrix habita sint. Quare nullimode fieri potuit, iuxta Advocatum, ut hisce Statutis adeo solemniter probatis, promulgatisque per simplicem privatam conventionem derogaretur. Ad haec, patronus considerat, dictam conventionem initam fuisse absque ullo Cleri interventu, eiusque consensu nullimode requisito. Et quidem, ut ex dictis patet, primus qui maximum hac in re interesse habebat erat Clerus, cui a Statutis exclusive tribuitur, nedum ius functiones peragendi in ecclesia S. Mariae, sed et ius Procuratorem ipsius ecclesiae eligendi, -r- Quod si advertatur conventionem ab Episcopo probatam fuisse, reponit advocatus, Episcopum coacte omnino conventionem probasse, ut aliquo modo vis eluderetur sententiae a parocho Camporota contra omnes canonici iuris sanctiones obtentae. Erat enim idem Episcopus Basile qui Decretum edidit 2 Iun. 1874 et qui a sententia civili pariter damnatus fuerat.

DEFENSIO PAROCHI AD S. MARIAE. EX adverso, advocatus qui patrocinatur parocho ad S. Mariae contendit controversae conventioni omnimode standum esse. Nam transactionum magnus in iure valor et auctoritas est, et eae mutuae litigantium renunciationis vim habent. Quo fit, veluti docent *Cap. I. de transactionibus et Cap. L De litis contest. Decret, in Sexto* ut omnia eorum iura tollantur, pariantque litis finitae exceptionem ; initaeque bona fide transactionem nec si nova quidem deinceps prodeant monumenta e medio tollendae non sint, nisi primum in integrum restitutio impetrata fuerit. « Sub praetextu instrumenti post reperti transactionem bona fide initam rescindi iura non patiuntur » lex 19 C. de Transactionibus.

Inde deducit, adversarios frustra experiri actionem nullitatis, nam, ulterius, advocatus opponit exceptionem *praescriptionis.* Etenim viginti sex annis quibus iugiter transactionem de qua sermo est observarunt, actionis illius exercitium praescriptione amiserunt, cum neminem lateat iuxta Constitutionem Iustinianeam in *lege 12 Cod. Tit. De praescriptione longi temporis,* cunctas actiones post decennium inter praesentes veluti in casu extinctas.

Meritum autem causae attingens patronus, notat nullitatis argumenta ab ipsis allata nullius momenti esse.

Sane adversarii obiiciunt, transactionem illam nullitatis vitio laborare quia Parochus Camporota illegitime Civile Tribunal Cassanense adivit ut favore Paroeciae S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe* bonorum immobilium possessionem et dominium vindicaret. At reponit orator, cum Episcopus Cassanensis in illo iudicio voluntarie interfuerit, inde sequitur, ipsum illo interventu non solum Tribunalis Cassanensis iurisdictionem agnovisse, verum et quod illegitime Parochus Camporota gesserai penitus sanasse.

Quia obiiciunt adversarii, Clerum Ecclesiae Sanctissimae Trinitaiis servitio adscriptum minime transactionem accepisse, respondet advocatus, in iudicio s te tisse Procuratores Miglio et Bloise qui a Clero electi fuerant ut omnium ecclesiarum Syphaei administrationem gererent, ac transactionis diei 10 Iunii 1875 et Parochum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis qui ad formam Statuti anni 1840 erat Cleri Praeses, et praedictos Procuratores participes fuisse : quae ipsos certe inaudito Clero gessisse concipi nequit. - Praeterea notat orator, transactionem de qua sermo est, Clerum et Parochum Sanctissimae Trinitatis ab anno 1875 quo inita fuit, ad annum 1901 perfecte observasse ; quare ambigi ullo pacto potest, eos observantia viginti sex annorum eamdem transactionem comprobasse.

Neque meliori consilio iuxta advocatum, adversarii obiiciunt transactionis de qua loquimur nullitatem esse decernendam ob defectum Beneplaciti Apostolici. Istud enim non

fuit necessarium cum ille transactionis contractus, non alienationem vel distractionem bonorum sive iurium Ecclesiae, sed obligationes invicem initas a quibus nullimode Ecclesiae iura laedebantur, solummodo respexit.

Nam docet Cardinalis De Luca *De canon, et Cap., Discursus 30 num. 17 et seq.* - ibi - « Verum in ista concordia, vel respectivo compromisso verius et necessarium non esse Beneplacitum Apostolicum, neque intrare terminos Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Eccl. non alienan. - Licet enim verum sit, dictae Extravagantis dispositionem procedere etiam ubi agatur de trnsactione inter duas Ecclasias, vel Ecclesiarum Praelatos, aut ministros, attamen procedit, quando agitur de transactione per quam bona unius ecclesiae ab illa abdicentur, seu minuantur ut in aliam transeant vel accrescant, quoniam tunc intrat ratio, quod non debet discooperiri unum altare, ut alterum cooperiatur. Secus autem ubi agitur de concordia inter clericos et ministros, quoniam tunc ab ipsa Ecclesia nihil abdicatur, eiusque ius remanet intactum, sed solum agitur de pertinentia emolumentorum, vel iurium inter ipsos ministros, unde nullum praeiudicium generatur Ecclesiae, cuius nihil refert, an unus vel alter ex eius servientibus ac ministris plus participet ».

Nec secus Rota in Sarsinaten. 1 Februarii 1822 paragrapho 4, coram Spada. - ibi - Cognita hinc, perspectaque iusta transigendi causa, inutilius opponitur defectus Beneplaciti Apostolici. Siquidem certi exploratique iuris est, posse Clericum super pensione sibi concessa transigere sine Pontificis vel Ordinarii licentia. Praesertim vero in specie quia concordia seu transactio inita non versatur super alienatione rei alicuius ecclesiae, sed tantummodo super modo disquirendi, utrum reditus Ecclesiae SS. Cosmatis et Damiani sint pares sustinendae pensioni. Caeterum etiamsi aliquid iuris remisissent Parochi nihilominus nequaquam obesset. Quoties enim non agitur de bonis Ecclesiae alienandis et distrahendis, sed solum de interesse Clerici, eiusve emolumento, necessarium non est beneplacitum apostolicum,

quia remissio non vergit in praeiudicium ecclesiae, sed respicit ius cui possunt Clerici renunciare.

Frustra adversarii adiicient pergit advocatus, in transactionis instrumento statutum fuisse « Che se cogli assegni anzidetti le due Parrocchie della Trinità e di S. Giuliano non raggiungeranno uua rendita annua uguale a quella della Parrocchia di Santa Maria del Castello in San Giuseppe il Parroco di quest'ultima ed il Procuratore da lui destinato somministrerà il di più a ciascuna Parrocchia a terza o quadrimestre anticipato fino ad ottenersi il conguaglio, » notat enim quod istud pactum quamvis cessionem portionis redituum Paroeciae S. Mariae del Castello in S. Giuseppe favore Ecclesiarum Sanctissimae Trinitatis et S. Iuliani constitueret, nihilo secius Beneplaciti Apostolici necessitatem non secumferebat. Siquidem ea cessio non solum respiciebat reditus exiguos et minus utiles pro quorum alienatione omnes Scriptores Beneplaciti Apostolici necessitatem non requirunt in vim canonis *Terrulas et Vineolas,* verum etiam facta fuit in honorem cultus Divini, ne scilicet in iis ecclesiis divinus cultus deficeret ; quin imo ut eiusdem conditio melior fieret, et explorati iuris est in conventionibus in honorem Divini cultus initi, Apostolicum Beneplacitum non requiri, Equidem censuit S. Rota *Dec. 460 , Par. 18, Tom. 2 Recent., nam. 25: «* Posita autem legalitate Capitulorum, dubitari non potest de illorum relevantia et validitate, cum determinent differentias iamdiu agitatas inter illas Ecclesias, quamvis non doceatur de Beneplacito Apostolico, quod non requiritur in istis determinationibus initis pro concordia Ecclesiarum, et pro bono ad tollendas longas controversias in honorem divini cultus ».

Exinde infert advocatus, conventionem seu transactionem diei 10 iunii 1875 esse servandam. Quare ait dubitari quidem non posse pacta quae in articulo tertio illius contractus relate ad Ecclesiam S. Mariae *del Castello* statuta fuerunt servari debere, quia illa pacta validi contractus participant. Equidem de ista Ecclesia ipsi contrahentes, non

excepto Episcopo Cassanensi, fassi sunt, post translationem Paroeciae ad Ecclesiam S. Iosephi, huiusce filialem seu subsidiariam mansisse, proindeque non Clerum, non Parochum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, sed Parochum Camporota eidem consulendi ius habere.

Quod si etiam fingatur, instat patronus, nullum fuisse transactionis contractum, non inde sequitur statutum anno 1840 conditum in pristinum restitui deberi?

Nam cum ob adscriptionem Cleri servitio tantum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, quae locum habuit an. 1846, Paroecia S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe* receptitiae naturam amiserit ideoque ipso iure plenam libertatem, ac plenum suorum bonorum immobilium dominium et administrationem obtinuerit, patet ipsam amplius neque posse neque debere illis regulis subiici, quibus eam eiusque Parochum tum quoad bonorum reditus et administrationem, tum quoad functiones statutum illud subiecerat.

Hisce in utramque partem adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An conventio diei 10 Junii 187o sustineatur in casu.

RESOLUTIO. S. C. Concilii re disceptata sub die 31 Ianuarii 1903 censuit respondere : *Ad mentem. Mens est quod electio capellani S. Mariae del Castello fiat a Clero; et rationum redditio exhibeatur Episcopio; et quoad reliqua nihil immutetur.*

ANAGNINA

IUBILATIONIS

Die 28 Februarii 1903.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Die 3 Sept. 1902 Carni 1 Ius Taggi, Praepositus Capituli Cathedralis ecclesiae Anagninae ad S. C. C. supplicem obtulit libellum, postulans ut sibi iubilationis indultum concederetur seu exemptionis a servitio chorali in diebus etiam festivis cuiusvis ritus, referens «... pel servizio corale rimangono al presente altri dieci canonici e quattro beneficiati, numero più che sufficiente a compiere decorosamente gli uffici divini. Una tale giubilazione venne concessa, consenziente il Capitolo, al fu D. Filippo Onorati Canonico della stessa Cattedrale con Rescritto dato ai 4 di Luglio del 1890 della S. Congregazione del Concilio benché il numero dei Canonici allora rimasti al servizio fosse minore dell'attuale »,

Porrectae preces duplex habent adnexum instrumentum; primum de continuo et laudabili servitio praestito a Camillo Taggi sive ut Canonico per 30 et unum annos, sive ut Praeposito per ultimos 9 annos, in summa, per 40 annorum spatium; alterum de simili indulto die 4 Iulii 1890 a S. C. C. concesso D. Philippo Onorati eiusdem cathedralis Canonico, licet minor tunc esset inservientium numerus. - Utrumque instrumentum exaratum fuit a Capituli Secretario ad illud deputato ex deliberatione capitulari diei 20 Augusti 1902.

Disceptatio Synoptica.

Porro die vero 9 Septembris 1902 , a S. C. C, accepto supplici libello canonici praepositi Taggi, uti de more, Ordinario Anagnino rescriptum est ut « inspectis fallentia.-rum libris doceat de continuo et laudabili oratoris servitio

per 40 annos et_ utrum ex petito indulto damnum obventurum sit chorali servitio ».

Episcopus, iussa faciens ad pleniorem informationem, votum Capituli exquisivit, illudque votum, cui in omnibus adhaeret, die 14 Septembris 1892, ad S. C. C. transmisit.

Porro in coetu capitulari extraordinario, cui 7 interfuerunt canonici, die 13 Septembris habito, omnes capitulares de continuo et laudabili Oratoris servitio testimonium dederunt: sequentes tamen proponunt considerationes.

Falsum esse, aiunt, quod asserit Praepositus Taggi numerum scilicet canonicorum modo esse decem seu maiorem quam tempore Canonici Onorati quo fuerunt octo. Nam in relatione commissionis habita die 10 Aprilis 1902, cui ipse praeerat Taggi, cum de obtinenda dispensatione a can tandis conventualibus ageretur, haec leguntur n. 4: « Dei canonici della cattedrale quattro sono indultarii per ragione d'insegnamento nel seminario diocesano, un altro cioè il Canonico Bianchi da parecchi anni è indultario per infermità, ed infine il canonico Penitenziere spesso deve assentarsi dal servizio corale per ascoltare le confessioni ». Insuper ex medici praescripto, Canonicus Bonderli horis tantummodo matutinis choro interesse potest ita ut mane sex tantum adessent inservientes si Praeposito indultum concederetur , vespere vero nonnisi quinque.

Subiungit Capitulum rationibus omnino specialibus ipsum olim motum fuisse ad emittendum votum in favorem Canonici Onorati videlicet.

1.° Quod numerus canonicorum, uti de facto evenit, brevi duobus canonicis augeretur :

2.° Quod Can. Onorati, sese choro adfuturum atque pro cantu praestitutam operam promisit, uti de facto egit.

Praeterea notant capitulares, per leges capitulorum eversiyas a laica potestate latas, septem canonicatus fuisse suppressus, proindeque missas conventuales ad illos spectantes a reliquis posthac celebratas fuisse ; et adiiciunt capitulares: « E detto gravame ben verrebbe ad accrescersi se accordato

un indulto amplissimo al Proposto le due settimane di suo turno si aggiungessero alle 7 settimane dei canonici soppressi. In tal guisa i nove canonici superstiti (giacché a forma delle constituzioni capitolari, due canonici uno cioè dell'ordine suddiaconale e l'altro dell'ordine diaconale, non sono tenuti alla celebrazione ed applicazione delle messe conventuali) terminato il loro turno che è di 9 settimane dovrebbero accollarsi un turno di altre nove settimane, restando così gravati di un doppio peso che prima non avevano ».

Iniquum vero maxime reputant canonici, cum Praeposito specialia incumbant onera eique idcirco duplum tribuatur stipendium, coeteris absque ulla remuneratione, onera illa imponi. Onera Praepositi haec recenset Capitulum s « Oltre il turno doppio delle conventuali, ha l'onere del canto nei giorni solenniori, di funzionare, in vece del Vescovo, in caso d'infermità o legittima assenza di questo e quando vaca la sede episcopale : ha pure l'onere di moderare il canto e la disciplina del coro, quello d'intervenire, come capo del Capitolo, alle Processioni, di funzionare nella Novena del S. Protettore ; ha il dovere di presiedere alle adunanze capitolari, di reggere l'amministrazione dei beni del Capitolo. Il medesimo è elettore nato nella creazione e scelta degli Ufficiali è tenuto a pagare ordini di pagamento, fogli di distribuzione, riparti di fallenze, ad assistere alla revisione dei rendiconti finali etc. ».

Ideo timent Canonici, si Praeposito iubilatio concedatur, ne Canonicus qui singulis annis in Vice-Praepositum eligitur, tale munus utpote odiosum, nullam adnexam habens remunerationem, abscisse recuset.

Hisce praemissis, atque attento parvo inservientium numero Capitulum existimat aliquod damnum chorali servitio obventurum.

Attamen capitulum ut consuleret casui quo indultum Iubilationis Praeposito concederetur, praeterea in eodem conventu capitulari hanc praeposuit quaestionem : « Se cioè

gli oneri speciali sopra descritti, inerenti alla Prepositura, a tenore delle constituzioni capitolari, ed introdotti da legittime consuetudini, debbano rimanere tutte a carico dell'attuale Preposto fermo sempre a lui restando l'obbligo d'intervenire al coro anche per l'officiatura nei giorni in cui dovrà funzionare esso stesso, intervenire alle processioni, assistere al Vescovo nelle messe Pontificali, od altre funzioni di rito, in cui suol fare assistenza lo stesso Vescovo » atque unanimiter 7 Canonici praesentes per suffragia secreta *affirmative* responderunt.

ANIMADVERSIONES PRAEPOSITI TAGGI. Cui voto Capituli, Praepositus Taggi animadversiones quasdam opponit atque sapienti EE. VV. iudicio subiicit. - Orationem suam in duas partes dispertitur: in prima principia quaedam recolit quibus S. C. in huiusmodi indultis elargiendis duci solet; in altera enuntiata principia praesenti applicat casui.

Et imprimis, auctoritate nisus Ben. XIV in *Inst. eccl. 107, § 9, n. 64j* fundamentale proponit principium, nimirum plenam iubilationem, S. C C. constanti praxi, indulgere solere illis Canonicis et beneficiatis, qui per 40 annos laudabile et continuum praestiterint servitium modo sufficiens remaneat inservientium numerus, nullumque exinde servitium chori patiatur detrimentum.

Deinde inquirit, quot in Capitulo inservientes adsint necesse sit ut alicui eorum indultum iubilationis concedi possit, et praehabita distinctione dies feriatos inter et festivos, reputat diebus feriatis sufficere numerum ad 10 inservientes non attingentem, festivis vero numerum 10 inservientes parum excedentem, vel saltem non esse dubitandi locum quin etiam in ecclesiis cathedralibus 13 vel 14 sufficiant. Primum exinde deducit quod R. D. Vincentio De Santis Canonico Anagnino, concessa fuit iubilatio ad feriatos dies restricta, licet propter leges evasionis, 4 tantum superessent inservientes. Alterum vero exinde eruit quod canonicis Collegiatarum minorum civitatum, antequam supprimerentur, non semel concederetur iubilatio, quamquam

raro in hisce Capitulis, inservientes plus quam decem numerarentur, atque insuper ex eo quod iubilatio concessa fuit Praeposito Cathedralis ecclesiae Brictinor. licet tres tantummodo dicerentur in choro esse mansuri. Ita censuit Sacra Congr. uti videre est in Ripana *Iubilationis* 29 Novembris 1710 lib. LX Decretorum, uti refertur inter *Canones et Decreta Conc. Trid.* in editione *Richter-Lipsiae* pag. 362 (ibi): « In antepenultima congr. concessa fuit iubilatio Praeposito Cathed. Eccles. Brictinorien. non attenta oppositione capituli reclamantis quod tresdecim erant canonici et quatuor mansionarii addicti servitio Ecclesiae et quod tres ex canonicis erant cura animarum praeoccupati, duo mala valetudine praepediti, et alter iubilationis iam fruens indulto; et quod fortius est, licet novem essent canonici comprehenso praeposito et dempto uno qui ad organum, altero qui ad confessarium adstare debet, demptisque aliis tribus qui altari celebrando adsistere tenebantur et sic dicerentur tres tantummodo in choro esse mansuros - S. C. censuit - esse Praeposito concedendum iubilationis indultum ».

Secundo, notat orator gratiam plenae iubilationis non modo Canonicis et Beneficialis sed potiori titulo concedi dignitatibus Capituli.

Patet illud ex ipsa natura iubilationis quae est vacatio ab opere in servitio chori praestando. Etenim si Dignitatibus vel nullo modo vel nonnisi ex parte induceretur iubilatio, illud sequeretur absurdum illos, qui ratione specialium onerum, maiores impendunt vires, minus dignos esse vacationis a servitio laudabiliter praestito. Deducitur deinde ex supracitata decisione S. C. C. in Ripana *Iubilationis,* et ex altera eiusdem S. O. in Fulginaten., qua censuit R. D. I. B. De Iustis iam iubilatum uti Canonicum Decanum Cathedralis Fulginatensis et postea Priorem renuntiatum, nova iubilatione non indigere sed iam obtentam eidem suffragari etiam respectu Prioratus in omnibus et per omnia servata forma eiusdem indulti.

Tertio tandem observat, iubilationem esse exemptionem ab oneribus servitii choralis adeoque haec a reliquis capitularibus esse sustinenda quin ea de causa concessioni gratiae sese opponere valeant uti videre est in una Nullius S. Foropompilii 18 Iunii 1726 in qua S. C. censuit « iubilationis indultum concedendum esse , dempto onere missae conventualis, quod apponere volebat capitulum adiuncta clausula *et amplius* ».

Unde infert Praepositus, onera specialia Dignitatum indulto fruentium, si iubilatio conceditur, a reliquis posthac esse ferenda.

In altera parte suarum animadversionem orator duo ostendere satagit : primo omnes haberi conditiones pro concedendo sibi indulto, deinde difficultates a Capitulo motas nullo niti fundamento.

Imprimis de continuo et laudabili servitio abunde constat tum ex libro fallentiarum tum ex voto Capituli.

Insuper nullum ex concessa gratia, propter defectum inservientium, iuxta Praepositum, servitio chori obveniret damnum. Capitulum enim Cathedralis Anagninae 12 numerat Canonicos et 6 Beneficiatus. Porro ex Canonicis, unus canonicus Bianchi indulto gaudet ratione infirmitatis, quatuor nempe Anelli, Biondi, Franc. Sibilia, Angelus Sibilia simili gaudent indulto ratione magisterii. Ex sex beneficiatis autem unus nempe Profani .indulto gaudet ratione infirmitatis, unus vero deest, quippe ex venia apostolica praebenda nemini est collata et veluti in suspenso manet.

Unde si iubilatio Praeposito concedatur diebus feriatis 10 supersunt inservientes 6 nempe canonici et 4 beneficiati, diebus vero festivis et quibus in seminario non docetur sunt 14, qui numerus, ex dictis abunde sufficiens esse liquet.

Postremo loco Praepositus respondet difficultatibus a Capitulo motis et observat, ut rite comparatio instituatur, etiam beneficiatus in censu esse habendos, atque distinctionem inter dies feriatos et festivos faciendam esse.

Exinde de hodierno statu Capituli asseverat Praeposi-

tus ex supra facta enumeratione inferri, si etiam deducatur Can. Poenitentiarius (quem immerito a numero inserviendum excludi opinatur orator, propter onus audiendi s. confessiones), diebus festivis 13 esse inservientes, ceteris vero 9.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — In primis, non videtur alicui inniti fundamento supposition Praeposito facta, nempe Capitulum in computando inservientium numero, Can. Poenitentiarium excludisse, quippe capitulares hoc nullimode asserunt, aut testantur.

Propius ad controversiam accedendo, animadvertere praestat, iubilationem veluti odiosam haberi utpote imminutionem cultus divini inducentem, eaque de causa requisita rigorose debere impleri, adeoque continuum et laudabile quadragenarium servitii tempus computandum esse deducto tempore absentiae ratione studiorum etiam cum debitis licentiis et indultis, uti declaravit S. C. in Nepesina *Iubilationis* 28 Octobris 1711, et aperte colligitur ex decretis generalibus super dubiis iubilationis die 17 Decembris 1718 ad I dubium.

Eo magis hoc attendi debet in themate cum Praepositus vix excesserit sexaginta aetatis annos et inde viribus polleat integris. - Ad haec, Praepositus non est oriundus Anagninus et canonici timent, ne iubilationis obtento indulto, ipse in suam patriam se recipiat. - Quoad vero indultum a Gregorio XVI concessum Praeposito Ambrosi advertitur in rescripto cautum fuisse « Gratiam elargimur pro causis nobis notis in exemplum non afferendam». Equidem Praepositus Ambrosi viginti annos egerat Vicarium Generalem et sua liberalitate Ecclesiam Anagninam prosecutus est cui moriturus 18,000 millia scutatorum reliquit pro erigenda nova paroecia.

Impletis vero conditionibus, S. C. C. votum Episcopi et Capituli non exquirit ut ad gratiam elargiendam eorum consensu roboretur, sed indultum concedere solet, etiam dissentiente tum Episcopo tum Capitulo uti videre est in

una Civitatis Plebis Iubil. 24 Nov. 1782; Civitatis Castellanae 15 Iulii 1820; Sutrina 21 Februarii 1824; Firmana 9 Aprilis 1859.

imo in una Civitatis Castellanae 17 Sept. 1842, cum, propter exiguum inservientium numerum, Episcopus nollet exequi indultum Archipresbytero concessum, censuit S. C. *« exequendum, salvo Episcopi iure revocandi oratorem ad servitium chorale in casibus urgentis necessitatis* ». Quod ius Episcopi ex pluribus decisionibus S. C. C. constat, uti in una Aquilana 27 Sept. 1659 ad 3. dubium *lib. 21 Decret.;* Sabinen. 3 Octobris 1717 *lib. 67 Decret.;* Civitatis Castellanae 15 Iulii 1820.

Quoad alterum vero, quantus scilicet debeat esse numerus inservientium ad effectum obtinendi iubilationem, nulla generalis regula dari potest sed S. Congr. respondit : « *Dabitur resolutio in casibus particularibus* » ita in decretis generalibus iubilationis die 17 Decembris 1718 ad 3 dubium.

Ultimo recolere non omittitur rescriptum quod prodiit in una Senen. 16 Martii 1726 in qua ad dubium : « *An indultum iubilationis concessum Fabio Ballato olim Canonico ecclesiae Metropolitanae Senen. eidem suffragetur post obtentam in eadem ecclesia dignitatem decanatus in casui* » responsum fuit « *Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat* ».

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. S. C. C. re discussa sub die 28 Febr. 1903 censuit respondere:

Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.

CAIETANA

ERECTIONIS S. FONTIS.

Die 28 Februarii 1903.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In oppido montano *Vallecorsa* dioecesis Caietanae tres extant Ecclesiae parochiales nempe Ecclesia S. Martini in loco editioré posita, et Ecclesiae S. Angeli et S. Mariae inferius eidem monti adiacentes. - Populus late patet etiam in planifie. Unus est fons baptismalis idemque erectus in Ecclesia S. Martini. Hodie parochi ad S. Angeli et ad S. Mariae expetunt fontem erigi in singula Ecclesia parochiali et hoc expostulare vehementer bonum fidelium spirituale ipsi contendunt.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO DUORUM PAROCHORUM. Oratores Parochiarum S. Angeli ac S. Mariae in oppido Valliscursae, iterum iterumque expostulantes fontis baptismalis erectionem, ut plena huius causae cognitio simulque aequa habeatur definitio, ad haec quatuor capita EE. PP. mentem sedulo revocant.

Primo negant ecclesiam S. Martini Valliscursae matricem esse : qui titulus, aiunt, si admitti velit, ut improprius ac honorificus tantum est habendus, quin secumferat quamlibet dependentiam vel subiectionem earumdem parochiarum, scilicet S. Angeli ac S. Mariae, erga ipsam.

Sane animadvertunt Capitulares Constitutiones, quae unicum in iis ecclesiis de hac re documentum praebent, haec referre « *Non si sa V origine* * seu, *fondazione di dette chiese* ». Ex quibus deducunt, haud tuto asseri posse ecclesiam S. Martini matricem esse, alias vero duas filiales, prout nempe pars adversa praesumit.

Quin imo aiunt, ipsarum Constitutionum auctores, inquirentes quodammodo ab origine ipsarum parochiarum sta-

tum, sibi persuasisse videntur unam ecclesiam minime alteri subiectam esse. Sane eaedem Constitutiones ita exordiuntur : « Nella Terra di Vallecorsa di Fondi, si trovano erette tre chiese parrocchiali, una sotto il titolo di S. Martino, l'altra sotto il titolo di S. Angelo, e la terza sotto quello di S. Maria »; quin ideo aliqua habeatur mentio sive de matrice sive de filialibus ecclesiis. Eo vel magis quod,, cum ipsarum Constitutionum sit earum parochiarum praecipue naturam determinare, si praedictae qualitates extitisset, absque dubio eas aperte déclarassent.

Revera dum adnotare eaedem satagunt « anticamente è verosimile che vi fosse la sola chiesa di S. Martino », nec non paullo post « Si suppongono bensì erette e dotate tutte tre queste chiese dalla Comunità », de matricitate tamen, quamvis occasione data, omnino silent.

Confirmari eadem addunt ex episcoporum ipsius Dioecesis actis. Equidem primus inter ipsos qui de parochiis Valliscursae loquatur, et quidem fuse, prout ipsius mos erat, habetur Episcopus Comparini saec. XVI exeunte. Cur enim in visitandis ipse ecclesiis suae dioecesis, dum refert invisisse se « parochiali ecclesiae S. Martini » nil de ipsius matricitate disserit? Cur etiam in adiungendis duobus presbyteris, qui earumdem parochiarum parochos coadiuvarent,. tum de ecclesia S. Martini, tum de ecclesia S. Angeli ac S. Mariae absque ullo discrimine loquitur? Legitur enim in decreto institutionis « Provideatur Ecclesia S. Martini, Ecclesia S. Angeli.... Ecclesia S. Mariae ». Cur pariter quum Ecclesia S. Martini iam pridem sola intra moenia oppidi Valliscursae posita sit domibusque circumdata, quadragesimae conciones quotidie habentur etiam in ecclesia S. Angeli, non secus ac locum habebant cum haec parochia extra oppidum sita erat, neque longe lateque pateant eius fines, prouti patent fines parochiales Ecclesiae S. Martini?

Immerito autem, addunt, adversarii opponunt ea quae in Constitutionibus loquentibus de ecclesia S. Martini ad-

notantur, scilicet « alia quale i Vescovi pro tempore hanno dato anche il nome di matrice ». Id siquidem haud evenisse affirmant tempore quo Episcopus aderat Comparini, videlicet usque ad an. 1598, cum ipse, ut supra relatum est, eam appellet parochialem, prout reliquas duas. Neque ex eo quod serius matricis titulo cohonestata fuerit, ut talis iuxta ipsos eadem Ecclesia haberi potest. Quandoquidem, aiunt, tum parochia S. Angeli, tum parochia S. Mariae, quin dismembratae a parochia S. Martini fuerint, unam e contra eamdemque originem repetunt, « si suppongono bensì erette e dotate tutte tre queste chiese dalla Comunità ». Nulla igitur ex ipsis matrix, nullaque ut filialis habenda.

Neque mirum addunt quod Episcopi matricem postea eam appellaverit, cum id repetendum sit ex eo quod ipsa sola in oppido Valliscursae baptismali fonte fruebatur.

Verum, iuxta ipsos, ecclesiae hunc fontem habentes improprie et matrices appellantur : (baptismales dicuntur etiam matrices, Ferraris *Bibl. Can. Eccl. art. IIL n. 12).* Et quidem Constitutiones ipsae, aiunt, quae haec referunt, paulo post declarare videntur eumdem titulum nullam secumferre prioritatem ecclesiae S. Martini, nullamque aliarum duarum ab ea dependentiam. Huius rei gratia in medium afferunt ea quae Ferraris in Bibl. Can. Eccl. art. III, n. 7 de ecclesia matrice adnotat : « Matrices vocantur illae Ecclesiae quae alias ecclesias aliquo modo sibi subiectas habent ». Quod quidem iuxta ipsos dici nequit de supradictis parochiis, cum Constitutiones subiungant: « Ma anche con tutto questo però i Parochi delle altre due chiese non hanno veruna dipendenza dall'Arcipr. in quelle cose che riguardano il loro ufficio, esercitando le loro funzioni curali indipendentemente da ogni altro; epperò ogni Parroco di dette tre chiese riconosce le case, le famiglie, l'anime della sua Parrocchia, ritenendo presso di sè il libro Status animai rum... Ritiene ancora ogni Parroco appresso di sè gli altri quattro libri curali, cioè del Battesimo, della Cresima, dei

Matrimonii e dei Morti ». Imo, addunt, ipsi Constitutionum conditores veluti abusus praesentientes postea exorituros, haec iterum declarare decreverunt : « In somma in ordine alla cura delle anime, ogni Parroco esercita sopra i suoi sudditi tutti gli atti potestativi, indipendentemente dagli altri due, nella maniera appunto che l'eserciterebbe, se in Vallecorsa non vi fusse che la sua sola Parrocchia ». Quare inferunt, non ex matricitate ecclesiae S. Martini ipsius fontis baptismalis possessio repetenda, cum ea tum Constitutionibus, tum iuri factoque sit contraria.

Secundo - animadvertunt Oratores ea quae adversarii, prae tensa ecclesiae S. Martini iura defendentes, referunt, vel potius effutiunt, de Capitulo potius ac de Confraternitatibus, non de parochia intelligenda esse.

Enimvero praemittunt, suas parochias capitulares etiam appellari, non quidem ab origine, sed exeunte circiter saecul. XVII, videlicet cum singularum ecclesiarum coadiutores ac parochi mutuam sibi operam praestare, eademque manente ipsarum parochiarum natura, per vices sacra expleri coeperunt.

Quare adversariis qui ad probandam superioritatem ecclesiae S. Martini relate ad S. Angeli ecclesiam, hoc in medium afferunt, nempe S. Martini archipresbyterum die S. Michaeli sacrato, ducta pompa ad ecclesiam S. Angeli accedere; respondent, publicas has supplicationes in eadem ecclesia locum habuisse, postquam capitulum efformatum fuerit, cumque eaedem tres parochiae ab uno parocho non amplius regerentur.

Hoc itaque minime ipsarum parochiarum naturam tanrgere videtur, secus enim dictae supplicationes etiam in altera parochia scilicet S. Mariae duci deberent. Nullo igitur pacto eiusmodi ratio suffragari videtur adversariis, pro dicta matricitate tutanda. Ceterum haec historice narrant quoad dictum ritum : « Protettore unico fino al 1780, e da quell'epoca in poi Protettore principale di Vallecorsa è l'Arcangelo S. Michele, verso il quale il nostro popolo ha nu-

trito e nutre tuttora la più tenera e fervida devozione. Fino al 1708 però non si aveva di detto Santo la Statua, per condurla procèssionalmente pel paese il giorno della festa. Il Capitolo d'allora per rendere piti pomposa la festa di esso Protettore, ed anche per omaggio speciale a Lui che in tante circostanze aveva prodigiosamente difeso la nostra Terra, decise di recarsi in processione con tutte le Confraternite alla Chiesa di S. Angelo, la mattina del 29 Settembre, innanzi la Messa cantata. E siccome è stabilito nelle Costituzioni che il parroco di ogni chiesa preceda gli altri nelle processioni che partono dalla propria parrocchia, così uscendosi da S. Martino la presiede il Parroco di essa chiesa. E tanto ciò è verosimile, sebbene non si trovi registrato in alcun documento, che, giunto esso Arciprete in S. Angelo, e detta l'orazione di S. Michele, depone il piviale, e prende posto con gli altri nel coro, mentre il parroco della chiesa, ed in sua assenza il Canonico Coadiutore canta la Messa solenne e presiede l'altra grande processione. Quale segno pertanto di sudditanza di S. Angelo verso S. Martino vi è nel fatto cennato? O meglio non è da riconoscersi in esso un ossequio pubblico e solenne che il Clero ed il paese rendono al Protettore? »

Nil mirum etiam aiunt Oratores si, prout adversarii obiiciunt, solummodo in eadem Ecclesia fontis benedictio peragitur in Sabato sancto, quemadmodum et palmarum benedictio, cum ibi tantum fons baptismalis reperiatur.

Quoad autem palmarum benedictionem, cum ad hanc explendam non tres, prout in singulis parochiis constituti sunt sacerdotes, sufficiant, sed saltem quinque expostulentur, necesse profecto erat hoc munus uni ex illis ecclesiis assignare, duobus aliis Cleris concurrentibus, prout revera actum est in ecclesia S. Martini. Revera cum pro duabus aliis benedictionibus solemnibus, candelarum videlicet ac cinerum, solus parochus duoque coadiutores sufficiant, ab unaquaque parochia independenter ab ecclesia S. Martini eas expleri videmus.

Neque iidem omittunt, solemnia potiusquam in ecclesia S. Martini, agi apud S. Angeli ecclesiam. In hac siquidem Patronus princeps adest, qui duobus festivis diebus, scilicet d. 8 Maii ac d. 29 Septembris solemniter colitur. Ibi pariter ineunte anno a capitulo sacra solemniter peraguntur, quemadmodum postremo anni die ab eodem gratiarum actiones Deo solemnes persolvuntur. Quadragesimales item erga Sacramentum Augustum adorationes, quae maiori apparatu explentur, in ea locum habent, solemnioribus quidem diebus, videlicet Nativitatis Domini, Paschae et Pentecostes.

Ad ea vero quae adversarii obiiciunt, ecclesiam nempe S. Martini oleum dictis parochiis pro Sacramento suppeditare, opponunt quae in Constitutionibus leguntur : « Ogni Parrocchia custodisce nella sua chiesa la Sacrosanta Eucaristia, avanti la quale arde notte e giorno una lampada a spese della Confraternita del SSmo ; (quam quidem asserunt per accidens in ecclesia S. Martini inveniri) la quale ancora somministra i lumi quando si porta per viatico agli infermi, e dà le candele di cera vergine per l'altare maggiore, e quelle del Sepolcro in ogni chiesa nel Giovedì e Venerdì Santo ». Quare cum et ipsa S. Martini ecclesia ab eadem Confraternitate tum oleum tum etiam ceram habeat, quomodo asserì potest, aiunt, illam ceteris eadem subministrare? Nonne et ipsa Confraternitas a Morte, si illud admitteretur, matricitate gaudere deberet, eo quod feretrum tribus parochiis pro efferendis cadaveribus suppeditet?

Neque difficultatem parere aiunt iurisdictionem, prout in medium adversarii afferunt, quam parochus ad S. Martini in duas domus, et quidem parvas exercet in parochia S. Angeli positas ; cum e contra illae quae parochiae S. Angeli subsunt, et in parochia S. Martini sunt collocatae partem oppidi integram (rione) efforment.

Immerito pariter matricitas parochiae S. Martini adiudicanda foret, iuxta adversarios, eo quod advenae primis sex mensibus propriae commorationis in oppido Valliscursae, subditi S. Martini parochiae habeantur. Id siquidem

repetendum esse asserunt oratores ex quadam conventione inter tres parochos eiusdem oppidi inita, eo fine ut et confusio in propriis parochianis dignoscendis arceretur, iidemque ad domicilium acquirendum utile tempus haberent. Sane eaedem Constitutiones haec in propositum habent : « Se un cittadino passa ad abitare da una parrocchia all'altra, se non sono passati sei mesi, si stima di quella parrocchia dove abitava prima ».

Nihili etiam faciendum esse aiunt quod adversarii addunt, videlicet fonte baptismali concesso, mutuas rescindi conventiones nunc inter parochias intercedentes. Id enim in mentem tantum adversariorum pervagari affirmant. Aiunt enim : « È uno spauracchio puerile e niente più. Infatti come oggi le feste dell'Epifania, di Pasqua, Ascensione, Pentecoste, tutti i Santi, Natale si celebrano indistintamente in tutte tre le Parrocchie, e tuttavia non si rompe l'accordo stabilito dalle Costituzioni ; -ÌOS\ non si romperà quando ciascuna Parrocchia possederà il suo fonte battesimale. Come il mattutino di Natale e de' Morti si recita indipendentemente in ciascuna Parrocchia, e perdura l'accordo determinato nelle Costituzioni, così durerà ancora, quando ogni Parrocchia amministrerà nella propria chiesa il battesimo. — Come in ogni Parrocchia si compiono indipendentemente le funzioni di Giovedì e Venerdì santo; si benedicono le candele e le ceneri nei giorni stabiliti dalla chiesa, e tuttavia non vien meno l'alternativa e reciprocanza stabilita per le rimanenti funzioni dell' anno ; così non verrà meno neppure allora che ogni Parrocchia attenderà alla benedizione del proprio fonte battesimale ne' due Sabati di Pasqua e Pentecoste. La divisione finché si starà alle Costituzioni non s'invocherà da alcuno, lo tengano a mente i nostri avversarii. Troppo sapienti sono quelle norme per potersene disfare ».

Tertio — oratores declarare satagunt quomodo, et quanam ratione S. Martini ecclesia in oppido Valliscursae baptismali gaudeat fonte.

Repetunt id primo ex loco quo primitus eadem ecclesia

posita erat. Etenim cum editior pars oppidi Valliscursae ab incolis prior occupata fuerit, eamque ut a crebris praedonum incursionibus tuerentur, muris portisque communita esset, scimus solam S. Martini ecclesiam in illo ambitu tunc extitisse, aliasque duas extra moenia in agro sitas fuisse. Sane Constitutiones referunt : « Questa solo (S. Martino) vedesi situata dentro il recinto della Terra più antica, stando situate le altre due fuori le porte, che fin ad oggi ritengono il nome di Porte vecchie ». Ex quo fiebat ut incolarum aedes iurisdictione parochi S. Angeli ac S. Mariae subiectae a propria ecclesia non parum longe abessent, cum omnes circum S. Martini ecclesiam reperirentur.

Quid igitur mirum si populus facilius ad hanc ecclesiam utpote viciniorem, baptismum suscipiendi gratia accedebat, praecipue cum clausis noctu oppidi ianuis, impossibile prorsus esset iis qui ad ecclesiam S. Angeli ac S. Mariae pertinebant propriam petere parochiam?

Nullam etiam difficultatem secumferre aiunt Oratores, erectionem fontis baptismalis ibi Municipii expensis factam, seu in ecclesia tantum S. Martini. Id enim repetendum esse asserunt ex eo quod per id temporis una Ecclesia S. Martini oppidanis commoditatem praeseferebat, et quia Municipium ipsum, cui onus, pro iure patronatus, incumbit eundem fontem erigendi ac conservandi, optimum duxit unum tantum ibi erigere, incolarum paucitate, eiusque redituum tenuitate tunc ratione habita. Sane notum est, hodie oppidum Valliscursae plusquam forsitan sex millibus civibus constare, dum praeterito saeculo fere duo millia civium numerabat, adeo ut iure inferri possit ante sex vel septem saecula *quingentas* circiter ibi extitisse, pro quibus ideo sufficiens pro certo unicus fons erat; quamvis idem fons *non exclusive* ad ecclesiam S. Martini pertineret, sed eo caeterae porochiae pari iure uterentur.

Hoc sensu interpretanda esse aiunt ea quae in Constitutionibus habentur : « Ogni Parroco ha il *ius* di battezzare i fanciulli che nascono in Parrocchia nell'unico fonte bat-

tesimale, ecc. ». Cui quidem iuri addunt Oratores nuncium mittere non modo ipsi possunt, sed et debent, utpote parochianorum bono tum physico tum morali minime coniuncto.

Quae autem in Constitutionibus leguntur: « Nei due Sabati (Pasqua e Pentecoste) tanto l'Abate di S. Angelo, quanto quello di S. Maria hanno il *ius* di pigliarsi un concone di acqua benedetta dai Fonte battesimale », quid aliud innuere videntur, subdunt, nisi eundem fontem materialiter unum, formaliter autem triplicem esse ? Ad hoc probandum baptismi administrandi praxim a pluribus saeculis vigentem offerunt et adnotant : « Occorrendo amministrare il battesimo ad un bambino della Parrocchia di S. Angelo, il Parroco di questa ne stabilisce l'ora, a meno che un pericolo di vita non consigli diversamente. Muove quindi dalla sua chiesa accompagnato dal proprio sacrestano che reca cotta, stola e rituale, e si porta in S. Martino. Amministrato il battesimo egli solo lo registra nell'apposito libro curale che conserva presso di sè. La stessa candela che occorre alla cerimonia è acquistata dal padrino nella Parrocchia del neonato, e va quindi ad esclusivo beneficio del parroco battezzante, anche allora che egli deleghi altri per l'amministrazione di detto Sacramento. Il pane offerto, perchè con parte di esso il Parroco si purifichi le dita, va parimenti a beneficio del sacrestano della Parrocchia a cui appartiene il neófito. Perfino quella piccola mancia che suole darsi,- alcuna volta, da' padrini, è dovuta allo stesso sacrestano. Sebbene dunque il battesimo si tenga a S. Martino, nè il Parroco di questa chiesa, nè altri percepisce mai nulla e lo stesso Arciprete di S. Martino non può nella sua medesima chiesa battezzare un bambino di altra Parrocchia, senza la licenza del parroco di questa ».

Quare cum parochus S. Martini minime facultate polleat omnes indiscriminatim baptizandi infantes, subditos videlicet aliis parochiis, neque eorum nomina in uno tantum libro referre, nec emolumentum aliquod vel quoddam iuris-

dictionis signum exigere profecto ipsius ecclesiae matricitatem haud tuto comprobari posse autumant.

Quarto - denique animadvertunt incommoda seu mala quae ex praesenti rerum conditione dimanant, tam gravia, assidua, ac generalia existere ut subitum ac necessarium remedium exposcant.

Etenim quaevis humana lex aiunt etiam ecclesiastica, suo destituitur robore, cum scilicet maiori communitatis parti noxia edicitur. Atqui hoc in praesenti casu fieri affirmant. Huiusque rei gratia plurimas afferunt subscriptiones parochianorum tum S. Mariae tum S. Angeli de hac re conquerentium opportunaque ab ecclesiastica auctoritate remedia expetentium ; tum etiam ipsius Archiepiscopi Caietanae Dioecesis testimonium, enixe eadem a S. C. C. efflagitat s.

Interim animadvertunt S. Martini ecclesiam in summitate collis Valliscursae positum esse, ad eamque difficiles prorsus, utpote ascensu ásperas, patere vias, et quidem dissitas ; idque hibernó praesertim tempore. Propter autem aeris inclementiam maiora habentur incommoda, cum scilicet et imbres ruunt oppidum inundantes, et nix congeritur, ventique saeviunt. Quae quidem omnia si difficultatem maximam matura aetate et valitudine pollentibus pariunt, quid de puerulis recens natis sacrum baptismum suscepturis dicendum?

E contra animadvertunt ecclesiam S. Angeli commodiore in loco esse positam, aedibusque valde proximam. Eo vel magis quod ecclesiam S. Martini petentibus opus sit tum prope ecclesiam S. Angeli tum S. Mariae transire.

Relate autem ad topographiam Valliscursae ab adversariis prolatam, haec animadvertunt Oratores : « Quella pianta ha bisogno di spiegazione. Tante case che figurano nei limiti di S. Martino, non sono abitabili, perchè ridotte a semplice uso di fienili e di rimesse. Le vie che si svolgono in un paese sono ben diverse da' segni che si riproducono su di una carta, le tortuosità, i rialzi, gli avvalla-

menti delle medesime dove figurano sulla carta? Le vie non seguono la direzione dei raggi : i due fianchi della nostra collina non sono in piano nè allo stesso livello del dorso, sibbene in un pendìo fortissimo, che obbliga ad una curva lunga di molto, per risalire in alto. Qualche fabbricato che si fa comparire co' confini di S. Angelo e di S. Maria è parimenti un fienile ed una rimessa. Ve n' ha sì qualcuna abitata, ma non passerà il numero di *tre.* Ed anche queste tre abitazioni non possono dirsi definitivamente soggette a S. Martino » ; siquidem addunt, Constitutiones loquentes de aedibus hac illae in agro sparsis, Episcopis facultatem facere ut eas viciniori parochiae assignent: « È da sapersi ancora come da pochi anni in qua a tempi nostri sono state fabbricate molte case suburbie site e poste fuori il recinto della Terra, le quali se mai venissero ad essere abitate nascerebbe lite fra i parrochi sopra li Giussi parrocchiali, stante che alcune di dette case stanno più vicine alla chiesa di S. Martino; altre più vicino a quella di S. Angelo; ed altre più vicine a quella di S. Maria. Onde si spetta che Monsignore dichiari a qual chiesa appartenghino, acciocché in caso etc. non naschi tra Curati alcun litigio, e gli abitatori di dette case sappiano chi sia il proprio parroco, ed in qual chiesa siano obbligati a frequentare i S. Sacramenti ecc. ecc. ».

Quare cum hodiernus Episcopus nil adhuc de iis statuerit, hae familiae valde expostulant ut parochiis S. Angeli vel S. Mariae, utpote vicinioribus, aggregentur. Neque consonum iustitiae foret asserunt, quod quamplurimi alii damnum hoc persentire cogerentur, eo quia tres illae domus, quae circiter quindecim incolas continent, parochiae S. Martini adhuc subdi deberent.

Neque omittunt, ipsum S. Martini parochum easdem viarum difficultates, nec non a dicta ecclesia distantiam in medium attulisse, cum scilicet actum est de petendo sibi a S. C. C. coadiutore ; tum etiam quotiescumque iidem parochiani, aliique de ipsius negligentia in parochiali munere

explendo conquesti sunt. Suam orationem concludunt aientes quod praedicta mala continuo deplorentur ac generalia extent, utpote maior populi pars in planitie consistat, quare parochianorum indignatio magis in dies augetur adeo ut quidam baptismi ipsius susceptionem per hebdomadas, atque etiam per menses differant.

Denique decem familiae quae domus habent in planitie at comprehensas finibus parochiae S. Martini singulae attesta fcae sunt se, ob nimiam distantiam, nunquam accedere ad Ecclesiam S. Martini, ast Ecclesiam S. Angeli habere uti suam parochiam, cui adscribi peroptant et expetunt: attestationes legitime subscriptae prostant in actis.

Ex adverso Archipresbyter S. Martini contradicens his petitionibus deducit in primis, suam Ecclesiam matricitatis iure super aliis Valliscurtiae pollere. Id ut demonstret iura quaedam singularia recolit quibus sua Ecclesia gaudet. Haec inter iura memoratu digna sunt : iurisdictio in alienígenas, etiam in aliarum paroeciarum territorio morantes, qui nondum a sex mensibus domicilium transtulerunt; praeminentia in supplicationibus : benedictio palmarum : et denique - quod propius hanc causam attingit et est praecipuum matricitatis signum - exclusivum ius erigendi et benedicendi S. Fontem ad queni alii Parochi accedere debent. Quae matricitas confirmatum perantiqua traditione, testium depositionibus roborata (n. 1690), et inscriptionibus quibusdam quae leguntur in ipsa Ecclesia. Ius ergo, concludit Archipresbyter, suae Ecclesiae fontem adiudicat. Ut aliis concedatur petentibus Ecclesiis, id pro gratia tantum fieri potest.

Pro gratiae vero concessione, ait Archipresbyter, desunt causae legitimae imo urgentes: quibus cessantibus nedum S. Fontis erectio Ecclesiis dependentibus, sed Ecclesiis quoque independentibus denegatur, praesertim ubi consuetudo refragetur. Quaenam autem causae legitimae et urgentes sint habendae ex quibusdam huius S. Congr. decretis, S. C. C. die 24 ian. 1885, iuxta oratorem eruitur: quae sunt 1) ut suus cuique pastor Sacramenta administret, 2) nota-

bilis locorum distantia, itineris asperitas, et grave puerorum baptizandorum vitae discrimen tempore hiemali. Haec omnia iuxta Archipresbyterum, desunt in casu.

Et revera Vallicurtiae prima ratio non est applicanda, quod ibi quisque parochus pueris suae paroeciae baptismum ministrat quamvis hoc facere debeat in Ecclesia S. Martini, et baptizatorum libros quisque servat in sua paroecia.

Nec, prosequitur Archipresbyter, existunt in casu distantia et asperitas locorum et vitae puerorum discrimen. Valliscurtia, enimvero, in montium declive iacet et prominet, ab aequore maris, altitudine m. 350. Est montibus qui ventis sese opponunt, omni parte circumdata, ea excepta quae ad septemptrionem vertit. Si quando ningit, quod perraro evenit, aeris benignitate nix quamprimum funditur. Distantia vero, prosequitur Archipresbyter, inter Ecclesiam S. Martini et duas alias paroeciales Ecclesias est vix centum passuum ut patet ex mappa quae in actis exstat. Viae autem admodum faciles nam : « Le vie sono ripartite in tanti ripiani divisi da cordonate, l'acclività dei quali, in media, non supera i trenta centimetri d'altezza : e questa acclività maggiore si riscontra soltanto nella via che dalla Chiesa filiale di S. Angelo conduce a quella di S. Martino. Il dislivello di questa via appena tocca i trenta metri, i quali ripartiti in ripiani hanno, in media, un'altezza da 10 a 20 centimetri. Abbiamo detto in media, perchè, tranne quei pochi ripiani che intercedono dal vicolo.Fiore a quello di Riccardi, gli altri, sia per il piti dolce pendìo della collina, sia per la maggiore distesa dei ripiani hanno un'acclività anche minore. Questa via che da S. Angelo mena in S. Martino, è la piti interna dell'abitato, la principale, la più larga ; sicché per antonomasia, vien denominata Via Grande: e, tolta una piccola curva, è la più diretta del Paese. Essa via dal Comune, nel 1869, fu resa assai più agevole, e vi si aprirono dei chiusini (come anche nelle altre) che ne deviassero le acque piovane ».

Quod cum ita sit, si attendatur et Ecclesiam S. Mar-

tini in medio civitatis sitam esse, nullum sane habetur incommodum pro civibus qui pueros ad baptismum ducunt.

Recolit Archipresbyter, erectionem fontis S. C. C. negasse Ecclesiae cuidam civitatis Itri dum ibi eadem fere quae in casu nostro distantia inter ecclesias matricem et filialem, sed maxima aeris asperitas et ventorum impetus. Si autem facta est fontis concessio aliquando, eadem etiam in civitate, Ecclesiae non parochiali haec mille passibus ab Ecclesia matrice distabat : et incommoda permulta ob viarum longitudinem et asperitate, ibi e venerant, quae hic omnino absunt. - Ibi ipsi parochi cum civibus testabantur de magno incommodo, in casu vero nostro, prosequitur Archipresbyter, dum parochi incommodum testantur, cives ad Ecclesiam S. Martini valde mane accedunt ex finitimis paroeciis ut Missae intersint : et Parochi ipsi eo frequenter se conferunt ut muneribus capitularibus fungantur.

A veritate ergo aberrant causae quas petitiones pro paroeciis S. Mariae et S. Angeli exhibitae afferunt ut fontem unaquaeque paroecia obtineat; et, ait Archipresbyter, valde timendum est ne potius iniuriam Ecclesiae S. Martini iniicere intendant oratores, quam bonum animarum prosequi.

Vero, prosequitur Archipresbyter, negari non potest aliquando Valliscurtia baptismi administrationem aliquibus diebus retardari; sed cum hoc eveniat etiam pro pueris familiarum prope Ecclesiam S. Martini degentium, causam cunctationis nullam esse ex adductis ab actoribus certum est, sed potius quod tantum suppleri debeant caeremoniae cum sacramentum ab obstetricibus iam sit ministratum, vel quod patrinos cives expectant ex finitimis vicis adventuros, vel etiam quod puerpera vult et ipsa convivio baptismali adesse. Qui abusus saepius sed frustra inter concionandum ab Archipresbytero S. Martini reprobati sunt.

Nec morari oportet in aliis causis ex adverso adductis refellendis, prosequitur Archipresbyter. Expensas enim graves pro mutata civium plurium conditione non verificari in casu planum est ; quia si in Ecclesia parochiali S. Angeli

vel S. Mariae pueri adducantur expensae non minuentur. Immo, si quid est dedecoris in paupertate, id augetur: nam ad Ecclesiam S. Martini patet accessus per vias remotas et etiam exteriores : contra ad Ecclesiam S. Mariae, et praesertim S. Angeli accedi nequit, quin transire oporteat per vias civium commercio frequentiores. Municipium denique oeconomica ratione ductum unum tantum fontem (in Eccl. S. Martini) erexisse, nec verum esse nec veri simile ictu oculis apparet. Nam Municipium, ut patet ex constitutionibus, omnia quae ad divinum cultum sint necessaria suppeditat : tanta vero largitate ut pro animarum bono rurales Ecclesias aedifica veri t et instruxerit. Quis credat tum solum expensis ipsum pepercisse quum agebatur de fonte in aliis duabus Ecclesiis erigendo? eoque magis quod pro fontium manutentione nihil omnino est expensarum. Denique Archipresbyter memorat anno 1834, baptismalem fontem erectum, invito Archipresbytero in Ecclesia S. Angeli re ad S. C. C. relata, remotum fuisse : quod sane persuadet, hodie eumdem non esse erigendum quum adiuncta eadem sint.

Hisce animadversis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 28 Februarii 1903 censuit respondere : *Pro facultate iuxta petita, nihil innovato quoad functiones religiosas et benedictionem fontis in Sabbato Sancto, quae secundum consuetudinem, in Ecclesia S. Martini tantum erit perficienda.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

P4CTEN.

INTERPRETATIONIS REI IUDICATAE.

Die 22 Augusti i 902.

COMPENDIUM FACTI. In oppido vulgo *S. Fratello* dioecesis Pactensis duae extant ecclesiae cum cleris respectivis, quarum una a B. Virgine sideribus recepta nuncupatur, et altera a S. Nicolao. Inter utrumque clerum quaestiones de privilegiis et praesertim de matricitate cui nempe ecclesiae haec competeret plusquam saeculares exarserunt: quas cum compescere non valeret Ordinariorum auctoritas, tandem controversia deducta est ad S. Congr. Ep. et Regularium, quae die 18 Martii 1879 proposito dubio - *An et quomodo ecclesia S. Mariae manutenenda sit in possessione suorum iurium et privilegiorum* - respondit - *Nihil esse innovandum et ad mentem.* Mens autem erat; ut vacante Archipresbyterali ecclesia S. Mariae, cuius titularis parochus Archipresbyter duas praefatas ecclesias regebat, Episcopus procederet ad duas novas delimitationes, et duos parochos independentes crearet.

Ad tramites praefatae resolutionis Episcopus Pactensis vacata paroecia processit ad determinationem limitum duarum paroeciarum obtenta sanctione nedum ecclesiasticae sed etiam civilis auctoritatis, et die 28 Martii 1882 indicto concursu postea duobus renunciatis parochis Bullas nomina-' tionis expedivit. At cum in Bulla parochus ecclesiae S. Mariae titulo Archipresbyteri prae alio parocho S. Nicolai esset condecoratus, hoc maxime displicuit Clero S. Nicolai, qui conquestus est ab Episcopo non esse institutas duas paroecias vere independentes iuxta S. Congregationis mentem. Tunc S. Congregatio ad omnem amovendam litem expediens esse censuit concedere titulum Archipresbyteri etiam parocho S. Nicolai. Sed neque haec prudentialis dispositio pacem inter duos Cleros reduxit : siquidem novae et acrio-

res lites exarsere circa pertinentiam iuris Matricitatis et alia privilegia. Quare S. Congregatio ad obtruncanda plus quam saecularia haec litigia iussit ut causa in petitorio coram se proponeretur concinnatis sequentibus dubitandi formulis.

I. *An constet de re iudicata super matricitate aut maioritate favore ecclesiae S. Mariae in casu?*

Et quatenus negative.

II. *An et cuius favore constet de matricitate aut maioritate in casu?*

III. *An et quae iura competant praeter matricilia Ecclesiae Matrici declaratae in casu?*

IV. *An et quo sensu servandus sit titulus Archipresbyteri parocho S. Nicolai, posita declaratione Matricitatis Ecclesiae S. Mariae?*

V. *An tradendae sint ecclesiae S. Nicolai reliquiae SS. Patronorum cum simulacro et sacris ornatibus et cum exclusivo iure peragendi processionem per omnes oppidi vias usque ad ecclesiam Montis?*

VI. *An et a quo tempore ecclesia S. Mariae rependere debeat ecclesiae S. Nicolai annuum canonem 20 unciarum vel potius restituere quartam fundi partem in casu?*

VII. *An sit locus novae limitum constitutioni inter duas paroeciales ecclesias?*

Quae dubia die 28 Februarii an. 1890 sequenti fuerunt dimissa responso. - Ad I^um. *Affirmative.* Ad II^um. *Provisum in primo.* Ad III^um. *Affirmative quoad pulsationem campanarum in Sabbato sancto tantum; et quatenus clerus utriusque ecclesiae ultro conveniat ad aliquam functionem ecclesiasticam affirmative etiam quoad, praecedentiam cleri matricis ecclesiae firmo caeteroquin remanente quoad processiones Episcopi decreto diei 1 Iunii 1883.* Ad IV^um. *Affirmative honoris causa tantum.* Ad V^um. *Negative.* Ad VI^um. *Negative in omnibus.* Ad VII^um. *Negative et amplius.*

At neque haec suprema resolutio finem imposuit controversiis inter duos cleros. Siquidem uti constat ex V° dubio clerus S. Nicolai nedum sibi vindicabat reliquias SS. Patronorum, sed etiam ius exclusive peragendi annuales processiones cum praefatis reliquiis usque ad ecclesiam Montis in quo ipsae inventae fuerunt. Cum autem S. Congregatio

ad dubium negative responderit nempe reliquias non esse tradendas cum iure exclusivo peragendi processiones, ex adverso Clerus S. Mariae asseruit sibi hoc ius spectare exclusive, et consuetudinem hoc sensu invexit; reclamante clero S. Nicolai iterum quaestio ad trutinam revocari oportuit pro interpretatione resolutionis quinti dubii.

Disceptatio synoptica

DEFENSIO CLERI S. NICOLAI. Hic per suum procuratorem contendit praetensionem ecclesiae Matricis peragendi *exclusive* processiones SS. Patronorum fundari non posse neque in decisione S. Congregationis diei 28 Feb. 1890 mox relata neque in decreto Episcopi Pactensis diei 1 Iunii 1883 ideoque esse respuendam. Sane in quaestione agitata circa matricitatem et privilegia duarum ecclesiarum Clerus S. Nicolai petiit ut sibi tribueretur ius exclusivum perficiendi pocessiones SS. Patronorum, ut ex,quinto dubio supra relato liquet. Hoc ius exclusivum cum ex responso S. Congregationis, ei fuerit denegatum, non sequitur ipsum adversae parti fuisse adiudicatum ; secus enim haberetur concessio *ultra petita* cum tertii praeiudicio, abhorrens ab aequitate et iustitia, cui semper decisiones S. Sedis esse conformes praesumuntur. Quod autem hoc ius exclusivum Clerus S. Mariae non petierit ex eo revincitur, quod patronus eius tunc temporis proposuerat S. Congregationi, uti constat ex allegatione, ut processiones praefatae gererentur alternatim a duobus cleris. Insuper huic exclusi vitati iuris obicem parat consuetudo plus quam centenaria, cuius quanta sit virtus neque qui ius canonicum summis attigit labiis, ignorat: confer *Beiffenstuel - Ius canon. tit. IV. de consuet. n. 194.* Hinc advocatus concludit : si ex tali consuetudine declaratum est clero S. Nicolai non esse tradendas reliquias SS. Patronorum, utpote quia in earum possessione non inveniebatur, pari ratione aequum est ut manuteneatur in iure faciendi processiones una cum clero S. Mariae cum in sui favorem militet huius iuris quasi possessio plus quam centenaria.

Nec iuxta advocatum item adversae parti suffragatur decretum Episcopi Pactensis diei 1 Iunii 1883. Per ipsum enim cautum fuit ut functiones et processiones fierent a respectivis parochis intra limites propriae paroeciae ; et hoc

iuri maxime consonum erat quia nulli parocho licet invadere iurisdictionem alterius: sed in hoc decreto conprehendi non poterant processiones SS. Patronorum. Sane id eruitur primo ex antecedentibus et contextu ipsius decreti. Ante divisionem paroeciae variae existebant conventiones et observationes apud Cleros duarum ecclesiarum ; merae functiones et processiones modo ab uno clero modo ab altero fiebant : erectis an. 1882 duabus paroeciis iuxta praescriptum S. Congregationis statuta et observationes vigentes cessarunt utpote non amplius utilia ut ait Episcopus in suo decreto, hinc novum ius firmatum fuit ; sed hoc extendi non poterat ad processiones SS. Patronorum, tum quia de his non est sermo in decreto, tum quia hoc fuisset derogare iuri communi quod facultatem Episcoporum excedit. Re quidem vera iuxta *Pignatelli tom. IV consul. 30 et S. Cong. Concilii in Fanensi 6 Feb. 1590, 13 Nov. 1600,* ad processionem Patroni cleri aliarum ecclesiarum nedum intervenire possunt, sed etiam cogi sub censuris ut tenuit eadem *S. Conc. Cong. die 19 Maii 1818.* Sed pro clero S. Nicolai in themate et alia ratio specialis aderat nempe factum consuetudinis plusquam centenariae.

Episcopi Pac tenses usque ab annis 1607 et 1724 statuerant ut festa SS. Patronorum mensibus Maii et Septembris in communi ab utroque clero celebrarentur : progressu temporis post haec statuta, circa alias functiones lites exarserunt, at non circa rationem agendi praedicta festa, quae semper immota mansit, utpote antiquis pactis et decretis firmata.

Quin imo, subdit advocatus, in ipso Episcopali decreto diei 1 Iunii 1883 hic usus videtur servatus per ea verba - *Praesenti tamen decreto non intendimus menomare iura et privilegia______quae in 'usu existunt* - hoc profecto sensu id est interpretatus uterque clerus a die illius publicationis usque ad an. 1886, quo clerus S. Mariae autumavit sibi spectare exclusivum ius peragendi dictas processiones.

Tandem advocatus advertit quod in resolutione tertii dubii supra relatae causae diei 28 Feb. 1890 additum fuit - *firmo ceteroquin remanente quoad functiones et processiones Episcopali decreto diei 1 Iunii 1883.* - Atqui iuxta forensem praxim, si citatum decretum complecteretur etiam processiones SS. Patronorum responsio ad V. dubium fuis-

set sequens. Negative et quoad processiones SS. Patronorum provisum in tertio.

Itaque adversae partis praetensioni adversantur decretum Episcopi Pactensis diei 1 Iunii 1883, ius commune et ipsa S. Congregationis resolutio.

PRO CLERO ECCLESIAE MATRICIS S. MARIAE. EX altera parte praemisso quod post resolutionem S. Congregationis diei 28 Feb. 1890 processiones cum reliquiis SS. Patronorum mensibus Maii et Septembris actae semper fuerunt ab Ecclesia Matrice S. Mariae, huius Clerus propugnat sibi hoc ius exclusive tribuendum et praetensam participationem a clero S. Nicolai directe pugnare cum decisione S. Congregationis diei 4 Aprilis 1879 et cum decretis Episcopi Pactensis diei 13 Martii 1882 et 1 Iunii 1883 nec non cum ultima nuper allata decisiones. Congregationis diei 28 Februarii 1890.

Re quidem vera Episcopus Pactensis exequens iussum S. Congregationis diei 4 Aprilis 1879, diviso territorio duas paroecias ab invicem autónomas erexit sub die 13 Martii 1882 et ambo eorum titulares etiam Archipresbyteri titulo sunt ornati ad invidiam inter duos cleros prorsus extinguendam: cum autem ortae quaestiones essent circa functiones et processiones propter inolitas iam consuetudines, Episcopus Pactensis altero decreto controversias omnes dirimere censuit separando functiones et processiones utriusque ecclesiae, ita ut hae proprias ecclesias et respectivum territorium non egrederentur : haec vero dispositio nedum sanctione auctoritatis politicae diei 16 Novembris 1883 sed etiam responso S. Congregationis diei 28 Feb. 1890 fuit roborata.

Evidens itaque est, cum reliquiae SS. Patronorum ad Ecclesiam Matricem pertineant, ad hanc etiam privative spectare earum solemnem delationem seu processionem : si enim hoc ius clero S. Nicolai daretur, actum esset de autonomia ecclesiae Matricis, haberetur invasio iurisdictionis alterius ecclesiae, et independentia ex iussa S. Congregationis inter duas ecclesias statuta ad pacem inter duos cleros fovendam, in tenues resolveretur auras. Quare iure merito S. Congregatio resolutione diei 28 Feb. 1890 in responso ad tertium dubium firmatum voluit Episcopale decretum diei 1 Iunii 1883. - *Firmo caeteroquin remanente*

quoad functiones et processiones Episcopali decreto diei 1 Iunii 1883.

Neque oggeratur, subdit Archipresbyter ecclesiae Matricis, Episcopi decretum loqui tantum de particularibus processionibus, et non de communibus uti essent illae SS. Patronorum. Haec enim distinctio praeterquam quod respuitur ex ipso decreti contextu, insuper directe contrairet ipsius decreti substantiali dispositioni quae statutam voluit ex utraque parte independentiam. Vis huius argumenti ab ipsis adversariis recognita fuit, et ad hanc eludendam proposuerunt speciem quamdam concordiae inter duos cleros nempe alternativam ; in processionibus peragendis. Sed huic concordiae clerus Ecclesiae Matricis consentire non putat. I°. Quia Ecclesia S. Mariae tradere deberet reliquias SS. Patronorum pro processione agenda, ad quam traditionem ipsa non astringitur iuxta S. Congregationis resolutionem. **II°.** Quia timor fundatus extat quod rixae et discordiae iterum excitari possent ex tali traditione et concessione : quare Clerus S. Mariae petit ut contraria petitio omnino respuatur.

Haec sunt iura compendiose sub utraque parte deducta ad solvendum sequens

Dubium

An vi sententiae editae ab H. S. Congregatione sub die 28 Feb. 1890 Ecclesia Matrioo ius acquisierit exclusive peragendi processiones SS. Patronorum intra limites sui territorii, vel potius festum et processiones dictae celebrari queant ab ambabus paroecialibus ecclesiis iuxta praxim ab immemorabili inolitami

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Ep. et Reg. rationibus hinc inde deductis sedulo pensatis, die 22 Aug. 1902, respondit: *Nihil innovetur circa praxim ab an. 1900 usitatam.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FESULANA

PENSIONIS FAVORE PATRONI

Die 6 Septembris 1902 et 28 Februarii 1903.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Maria Comitissa Digerini Nati, vidua Comitis Ioannis Piccardi, patronatus iure fruens super parochiali beneficio a S. Pancratio, in pago *ai Sabbioni* dioecesis Fesulanae, suo pastore viduato die 28 Sept. 1901, supplicem S. Sedi obtulit libellum die 25 Apr. eiusdem anni, adprecans ut, attentis eius necessitatibus et meritis praeclaris sui quondam Consortia erga Ecclesiam et regulares personas, ei concedere dignaretur annua super ipsum pensio ad proprias necessitates sublevandas. Innuebat, ipsam unicam patronam factam fuisse ratione bonorum ei assignatorum, peracta divisione patrimonii familiaris, in loco Sancti Pancratii *ai Sabbioni* et beneficium pingue esse, quia, ut ipsa asserit, praeter liquidum Lib. 3900 reditum ex fructibus agrariis evenientem, alium Lib. 2000 reditum habebat ex quadam fodina *della lignite* provenientem, adeo ut pensionis onus ferre faciliter posset. Asserebat, eius miserae conditionis extitisse causam praecipuam, expensas suorum bonorum dotalium et extradotalium (quasi valoris Libellarum 400,000) factas ad conservandum et e naufragio liberandum patrimonium Consortis, qui, dum adhuc in vivis esset, totum se dederat in efficacem Congregationum et Institutionum Religiosarum protectionem, et propriis sumptibus non parcens, id praestare non dubitavit. Namque hic optimus et pientissimus vir, bene utens sua politica auctoritate uti Consiliarius Municipalis et Provincialis, et F. Minores morantes in Conventu *del Vivaio all'Incisa,* et So-

rores constitutas in loco *Montughi*, et Sorores a SS. Crucifixo et illas a S. Maria Magdalena protexit; cuius eximii operis inter alios S. Sedes testis fuit, cum ei, per Breve 10 Maii 1892, contulit insignem Comitis titulum.

Unde humiliter repetebat pensionis gratiam etiam ad exolvenda, saltem in parte, debita a suo viro ob finem adeo pium contracta.

Has preces, ceu de more, ad Episcopum S. C. C. pro informatione et voto remisit iubens ut, audito parocho si beneficium esset provisum, aliter constituto paroeciae defensore ex officio eoque pariter audito, referret de statu activo et passivo beneficii et de legitima petitionis causa. Iussa fecit Episcopus, et modo relationes ab eo transmissas referre iuvabit.

Hic praemittens comitissam Mariam Digerini Nuti indubie, prout demonstravit, veram et unicam esse Patronam beneficii a S. Pancratio *ai Sabbioni,,* redituum atque beneficii expensarum retulit notulam a praeposito eiusdem defensore die 18 Dec. 1901 exaratam, cum iam parochus e vivis sublatus esset ; ex qua liquet, integrum statum activum in libellis 8997 et cent. 64 consistere, passivum verum libellas 5562 et dumtaxat cent. 39 absorbere; quibus ab activo detractis libellae 3435 et cent. 25 liquidae supersunt.

En tenor relationis factae a Defensore beneficii ex officio :

« Sebbene il Patrimonio Beneficiale della chiesa Pievania di S. Pancrazio sia per ragioni locali già addivenuto uno dei migliori della diocesi di Fiesole, pure credo di essere tenuto a fare alcune osservazioni sopra la portata che l'Eccellenza Vostra si è degnata rimettermi :

« *Osservazioni sopra alcuni cespiti di rendita.* — Sembrami che sia esorbitante l'annua rendita per i beni di suolo in L. 4500: 1.° per le grandi spese che esige adesso l'industria agricola; 2.° per l'attuale deprezzamento dei generi; 3.° per gli eventuali disastri che sovente si ripetono.

Laonde ritengo che in media proporzionale sia sufficiente la cifra di L. 4000 per i beni suddetti.

« Richiamo poi all'osservazione dell'Eco. Vostra la rendita di L. 5000 per le concessioni della escavazione della lignite: 1.° Perchè il Rettore *pro tempore* per disposizione governativa deve ritenersi per se sole lire duemilacinquecento, e deve poi versare le altre al Regio Economato per essere rinvestite in tanta rendita del Debito Pubblico, che si accumula annualmente col vantaggio fruttifero per il Beneficiato. Laonde (se l'autorità governativa non varia questa ingiunzione imposta) questo cespite di rendita invece di L. 5000 è di sole L. 2500, a vantaggio del Parroco. 2.° Siccome tutti i giorni per la continua escavazione vien meno la produzione delle cave, non vi è da ripromettersi di poter rinnovare il contratto di affitto ad un prezzo sì elevato.

« Osservazioni ad alcuni cespiti di uscita. — Trovo deficiente la somma in L. 600 per il mantenimento annuo del Benefìcio: 1.° Perchè con questa somma devesi provvedere al mantenimento di n. 4 poderi ed altre terre ; 2.° al mantenimento di n. 4 case coloniche, della vasta canonica e della chiesa parrocchiale ; 3.° ad una qualche retribuzione all'amministratore, giacché il Parroco da solo non vi può attendere, ne è decenza che vi attenda. Laonde non credo che sia troppo elevato questo cespite di uscita portandolo a L. 1000.

« Inoltre siccome nella portata qui annessa non si fa alcuna menzione di altre uscite necessarie ed inerenti all'ufficio parrocchiale, credo conveniente di esporle all'Eccellenza Vostra affinchè non addivenga effimera e troppo appariscente l'entrata netta del Parroco, su cui deve basarsi il concetto per l'assegno della pensione richiesta. Però ritengo doversi aggiungere le presenti uscite:

« 1.° Per mantenimento del Parroco, che ha l'onere di tenere il Cappellano per il servizio del popolo, L. 1500.

« 2.° Per soddisfazione di obblighi, spese di culto ed elargizioni ai poveri, L. 500.

« Infine per meglio considerare la proporzione, che passa fra l'entrata e l'uscita di questo benefizio, le - accludo una portata da me redatta secondo le osservazioni esposte, la quale ha per risultato un eccessivo di entrata netta in L. 3435,25, sopra la qual somma deve basarsi il concetto per la pensione richiesta. Laonde son di parere che se le autorità competenti daranno il loro assenso, la pensione richiesta in favore della nobil donna Signora Contessa Digeriti Nuti vedova Piccardi non debba eccedere la somma di lire duemila (2000) all'anno. E siccome la maggior rendita di questo Beneficio consiste nell'escavazione della lignite, e per ciò molto oscillante e precario, la pensione dovrà essere assolutamente personale per la richiedente, senza diritto di estendersi ai sucessivi Patroni ».

Interim Patrona, quae iam novum parochum D. Narcisum Palviani praesentavit, sibi annuam pensionem libellarum 3000 concedi adprecatur, nec non ut eidem fas sit quasdam arbores, quercus, ad libellas 8,000 aestimatus in fundis beneficialibus caedere ad proprias necessitates oeconomicas levandas atque ad plura debita solvenda, in primis ad reddendam sororibus Clarissis summam lib. 20,000 ab istis mutuo datas familiae Piccardi; et ex his 10,000 directe ipsi Comitissae, reliquas 10,000 Corniti defuncto; itemque ad satisfaciendum cuidam legato Missarum fundato in Cathedrali Eccles, per reditus annuos lib. 411,60; at non integre satisfacto in praeteritum, in vim libel. 1440,60 adhuc debitarum nec non ad alia eiusmodi onera explenda. Si expetitam impetret pensionem Oratrix spondet, beneficium reddere et efficere liberae collationis post eius obitum, pensionem vero intelligi perpetuam adeo ut post eius mortem transeat in manus Episcopi in subsidium pauperum paroeciarum ; hac postrema sub conditione « di far celebrare dodici messe all'anno, cioè una al mese in suffragio proprio o dei defunti più cari delle famiglie Digerini-Nuti-Piccardi, e cinque Messe nell'Anniversario della morte dell'esponente stessa ».

Parochus ad beneficium praesentatus litteras dedit die 20 Dec. 1901 subscriptas, ex quibus patet eum libenter acceptare quantitatem pensionis super beneficio a Patrona petitam, cui consonat defensor, qui licet videatur indulgere tantummodo summam L. 2000, attamen postea Episcopo viva voce declaravit, ut hic refert, in summam lib. 3000 consentire.

Denique Episcopus Nobilem Patronam etiam atque etiam commendat et extollit eius merita et illustris olim Consortis O. Piccardi, eorumque religionem, mores et christianam liberalitatem erga Ecclesiam, S. C. C. suadens ut annuere dignetur precibus quoad pensionis quantitatem et formam in debitis solvendis, et subdens vera esse omnia quae Oratrix exposuit.

Litterae commendationis ab Episcopo datae, inter alia, haec habent: « Attesto per la pura verità: 1) che è vero tutto quanto è stato esposto dalla Patrona nella supplica diretta al Santo Padre a fine di ottenere un'annua pensione sulle rendite del predetto Benefizio parrocchiale, sia rispetto alle sue disgraziate e compassionevoli condizioni economiche, non rimanendole per vivere, come si può far constatare da documenti, che la sola rendita di lire 1500 all'anno ; sia rispetto alla singolare pietà e munificenza cristiana del defunto di Lei consorte Conte Giovanni Riccardi, il quale fu anche da me ben conosciuto per il suo zelo verso la Religione e verso la Chiesa ; 2) che sulla cospicua rendita della Chiesa surricordata in L. 8835,23 chiede, sua vita naturai durante, un'annua pensione di L. tremila (3000), non tanto per il suo onesto e conveniente sostentamento, quanto per poter pagare a poco a poco integralmente alcuni debiti, che ha verso persone religiose di questa Diocesi; debiti che, non soddisfatti fin qui per impotenza, la tengono tanto angustiata ; e per soddisfare puntualmente ogni anno all'obbligo di Lire 411,60 che deve al Rmo Capitolo di questa mia Chiesa Cattedrale per la Messa cantata quotidiana, detto obbligo dei Benefattori ; 3) che detta

pensione di L. tremila ha dichiarato che sia devoluta in perpetuo, dopo la sua morte, a favore di Chiese parrocchiali povere da designarsi dal Vescovo di questa Diocesi ; 4) che per poter soddisfare ad un debito di Lire 1440,60 che ha col prefato Capitolo per la suddetta corresponsione annua di L. 411,60 ed in buona parte agli altri doveri di giustizia suaccennati, chiede che le venga accordato l'intero ricavato dalla vendita di un numero di querci del valore di circa Lire 8000, secondo che è detto nella Dichiarazione del Sacerdote Poi vani.

« Il Difensore però del più volte ricordato Beneficio parrocchiale ha espresso il suo parere favorevole per una pensione annua di L. 2000 a vantaggio della Patrona ma, com'ebbe poi a dirmi a viva voce, egli ritiene ed io pure che quel Benefìzio potrebbe sostenere senza danno dell'Investito una pensione ancora maggiore di quella domandata, essendoché va di continuo aumentando nella rendita per la escavazione della lignite, della quale si è aperto già una nuova cava nei terreni del medesimo e che ora non comparisce nella portata del suo stato patrimoniale.

« Considerato pertanto che tanto della pensione annua di lire 3000, quanto del ricavato dalla vendita delle querci suaccennate la Patrona si servirà a soddisfare obbligazioni verso la Chiesa e verso persone religiose, e che dopo la sua morte ha acconsentito che la suddetta pensione sia devoluta in perpetuo a favore di Chiese povere parrocchiali di questa Diocesi, sarei del sommesso parere che cotesto Sacro Tribunale si degnasse accogliere favorevolmente la supplica della prelodata religiosa e pia Patrona in ogni sua parte e che dopo la sua morte assegnasse in perpetuo, ora per allora, L. 1000 alla poverissima Chiesa parrocchiale di S. Gaudenzio... ».

Ipse Episcopus in litteris diei 3 Aprilis 1902, subdit: « Partecipai le disposizioni di cotesto Sacro Tribunale, comunicatemi... alla Signora Contessa Maria Digerini Nuti Vedova Piccardi, ed in risposta mi rimise un memoriale, di

cui Le accludo copia autentica, ove si permette con filiale riverenza di fare alcune considerazioni in merito alla condizione impostale, di rilasciare cioè una regolare obbligazione, a favore delle povere Monache Clarisse, per le Ventimila lire da esse prestate alla Casa Piccardi ».

« In. base a tali considerazioni, come dall'unito documento, la prefata Contessa ritenendo troppo gravosa la suindicata condizione, invece si obbligherebbe, oltre a rinnovare nelle forme legali l'obbligazione per la somma di L. 10,000, che realmente ebbe in proprio conto, a rilasciare per le altre diecimila lire prestate al suo defunto marito, Conte Giovanni Piccardi, lire 6000 sulla somma di L. 8000 che ha domandato alla S. Sede di poter ricavare dalla vendita di un certo numero di querci, esistente nei beni del Benefizio di San Pancrazio ne' Sabbioni, già designato per il taglio. Bene inteso che per le residuali lire quattromila non passerebbe alcun frutto, ma dovrebbero le creditrici concorrere alla liquidazione definitiva del patrimonio redatto dal Conte Giovanni Piccardi. Per altro ho avuto notizia che la Contessa e le persone interessate in tale affare intendono di far di tutto perchè le povere Clarisse siano rimborsate integralmente anche di queste quattromila lire.

« Considerate frattanto la pietà dell'Oratrice e l'assoluta necessità, come Ella si esprime, di provvedere al proprio sostentamento e ad impegni ingenti e sacrosanti:

« Considerato che alla sua morte renderà il predetto Benefìzio di libera collazione, nelle forme prescritte dai Sacri Canoni, con preghiera che in suffragio dell'anima sua e dei suoi cari siano fatte applicare annualmente diciassette Messe nel modo indicato nell'accluso memoriale.

« Considerata inoltre la Beneficenza esercitata in larga copia dalla medesima e specialmente dal defunto marito verso Istituti e Congregazioni religiose, sarei del remissivo parere che cotesta Sacra Congregazione prendesse in benevola considerazione la domanda da essa avanzata alla S. Sede, sia riguardo alla pensione, come pure riguardo al taglio

delle querci, alle condizioni suaccennate ed espresse nel più volte ricordato memoriale ».

Disceptatio Synoptica.

Viderentur autem Oratricis preces non esse erudiendae. Absonum enim est a SS. Canonibus ut, tam vacante quam sede plena, beneficium aliqua pensione gravetur. Reapse ne alimentorum titulo quidem aliquid suppeditari posse dubium non est, cum ex SS. Canonum praescripto praesertim vero ex cap. *Nobis* de Iurepatr., sola patronatus praerogativa haud suffragetur ad alimentorum actionem aliarumque causarum admittendam, nisi cum hac qualitate duo probentur; nimirum quod patronus in vera egestate reperiatur, et quod in beneficio tanta sit redituum abundantia, ut deductis oneribus supersit summa pro patrono in alimentorum causam; ceu explicans relatum caput fuse disserit S. Rota in Salernitana *Alimentorum* 11 Ianuarii 1712 cor. Scotto § 2. Quando autem intelligendum sit superesse Beneficii reditus, docent Vivian, *prax. lurisp. lib. 1, c. 2, n. 20;* Barbosa *Iur. Eccl. lib. 3 de lurisp. cap. n. 217;* quibus consonat Piton, *de Controv. Patron, alleg. 44, n. 20* - ibi - « Primo loco relinqui debet Rectori, seu beneficiato ex eisdem reditibus tantum, quantum potest commode vivere, et secundo loco relinqui debet alia pars redituum sufficiens pro necessariis expensis Ecclesiae, ut apud Lambertini, *de iurep. lib. 3, quaest. 3, art. 3, n. 1, n. 7 in fine et n. 8...* Quibus deductis quidquid superest est assignandum in alimenta Patroni». Nec secus tradit Ferraris *Biblioth. verb. Ius patronatus art. 4, n. 126* - ibi - « Primo enim loco et ante omnia Ecclesia seu Beneficiatus debet providere propriae necessitati, et cultui divino, et deinde, si ultra necessaria ad suam congruam et honestam sustentationem, et Ecclesiae seu beneficii reparationem et manutentionem, reditus adhuc supersint, de his subveniri debet patrono ».

Quibus in iure praelibatis, in facto de veritate indigentiae reliquarumque rationum Patronae inspiciendum foret ; at cum ipsae in dubium revocari nequeat, videndum cum Fargna *de Iurep. tom. 1, part. 1, can. 3, caus. 1* et Surd. *de aliment, tit. 7, quaest. 26, n. 11* num ipsa absque propria culpa ad talem conditionem sit redacta ut alimenta super Ecclesiae bonis petere possit, quod probatum non apparet. At licet hoc concedatur, tamen petitio libellarum 3000 titulo pensionis quotannis solvendarum et libellarum 8000 (ex arboribus caesis) ad minorem summam redigenda videtur iuxta votum defensoris beneficii.

Sed e contra praestat animadvertere Oratricem valde dignam esse, quae ei concedatur petitio in quantitate ab ipsa determinata, et quidem titulo pensionis quia actualis parochus sponte et libere paroeciam acceptavit etiamsi tali pensione a S. Sede gravaretur. At quidquid sit de titulo pensionis evidentissimi iuris est, tum ex *can. 38, Conc. Tolet. IV, caus. 16, quaest. 7,* tum ex *cap. Nobis 25 de Iurep.* quod pia mater Ecclesia Patronis, eorumque filiis tribuat alimenta in beneficio recipienda, si forte ad egestatem dilabantur ita ut SS. Canonum scriptores in definitione iuris patronatus hoc significent communiter dicendo, quod ius patronatus sit ius honorificum, onerosum et utile in Ecclesia competens : honorificum quia Patronus habet honorem praesentandi, etc.; onerosum quia habet onus defendendi Ecclesiam, quasi pater rei patronatae, quam deduxit de esse ad non esse; et utile quia habet ius alimentorum. Qua de causa apud Canonum doctores hoc inolevit enatum ab Hostiensi relatum in cap. *Nobis* cit. - ibi - « Patrono debetur honor, onus, emolumentum ; Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus ».

Siquidem nedum ex iure hoc dimanat, sed etiam ex constanti praxi S. C. C. quae eorumdem inopiae, meliori quo potuit modo, opitulata est, quandoque per administrationem beneficii, quandoque per suspensionem nominationis, quandoque demum per onerum reductionem, ceu patet in

Taurinen. 30 Martii 1776; Ferrarien. *Reductionis Missarum, 22* Februarii 1793; Ianuen. *Cappellaniae,* 21 Augusti 1819 ; Sorana *Suspens. Nominat.,* 3 Decembr. 1831, *§ Iam vero,* et Camerinen., 20 Decembris 1634 ; quinimo constat eorumdem inopiae non solum succurrisse de beneficio vacante, verum etiam de ipso beneficio pleno, Camerinen. *Canonicatus,* 5 Sept. 1847, '§ *Verumtamen;* Veliterna *Subsidii,* 17 Dec. 1853. Nec solum huiusmodi liberalitatem S. C. exercuit erga patronos quum de eorum absoluta paupertate constiterit, sed et quando relativa premi Patroni visi sunt paupertate, ceu crebris probatur eiusdem S. Ordinis responsionibus, ut in Asculana *Dispensationis* 20 Maii 1786; Aquen. *Cappellaniae,* 3 Febr. 1787; Montis Alti *Beneficii, 27* Iunii 1829; et Camerinen. *Cappellaniae,* 15 Martii 1819 aliisque quamplurimis.

De nobilis Patronae autem egestate non esse ambigendum, amplissimum Praesulis testimonium supra relatum suadet. Ait enim ei deberi huiusmodi subsidium, habita ratione eiusdem miserae conditionis. Inutiliter autem opponerentur insufficientes reditus Beneficii. Ecquis enim facile crederet in tam pingui beneficio detrahi quotannis non posse summam libellarum 3000? « Nec obstat, (ait Lambert, *de iurep. I. 3, q. 3, n.. 6)* quod dicitur per Boffredum, hoc esse durum Ecclesiae, quia ut... supra diximus, Ecclesia dat de his, quae sibi supersunt, et in quantum sibi superest, quod omnino dandum esset pauperibus.... magis ordinata charitas est, quod detur patrono, uxori, filiis et servitoribus, quam aliis pauperibus, qui ab alio quaerere poterunt ».

Quapropter sive consideretur misera Patronae conditio, sive damnum quod Sororibus Clarissis in dies pauperioribus et Capitulo Fesulano obveniret ob non solutum debitum, sive conditio (maxime ponderanda) reddendi beneficium *liberae collationis,* ipsius preces omnino exaudiendae viderentur.

PROSECUTIO CAUSAE. — In plenariis comitiis diei 6 Septembris 1902 proposita fuit haec causa iudicio EE. PP. et rescriptum prodiit : *Dilata et ad mentem.* Mens fuit ut ab Episcopo plenior exquireretur notitia de certa quantitate redituum praebendae parochialis annuae pensioni lib. 3000 subiiciendae iuxta petitionem oratricis nec non de ratione qua arbores caedere propositum fuerat in sylva fundi parochialis. Episcopus haec retulit die 23 Nov. 1902.

« Per ciò che riguarda la rendita dei beni di suolo della Chiesa di S. Pancrazio nei Sabbioni di questa Diocesi, mi consta che questi sono stati dati in affitto per il canone annuo di L. 4200, non compresi i bestiami e il bosco ceduo, di guisa che credo si possa assegnare come equo e non esagerato il limite maggiore di L. 4500 espresso dalla portata del R. Subeconomato, nonostante gli apprezzamenti fatti dal difensore della Chiesa suddetta, tanto più che le spese a cui esso allude per l'industria agricola sono produttive di una maggior rendita a chi le impieghi giudiziosamente. Ciò risulta anche da testimonianze dell'Agente dei beni medesimi, il quale fa ascendere la rendita annua del possesso a circa L. 6000.

« Quanto alle rendite provenienti dall'escavazione del Lignite, è vero che per disposizione governativa il Rettore *pro tempore* percepisce sole L. 2500, cioè la metà : ma siccome l'altra metà viene accumulata annualmente e resa fruttifera a vantaggio della Chiesa, si può con sufficiente fondamento ritenere che le rendite ordinarie e fìsse del Beneficio Parrocchiale aumentino ogni anno di L. 100, aumento che sta a compensare la diminuzione eventuale del Canone di affitto contemplata dal difensore nella rinnovazione futura del contratto.

« Quanto poi ai cespiti di uscita indicati nella portata del difensore, mi sembra che non si debba tener conto, almeno interamente, della cifra di L. 1500 per il mantenimento del Parroco e del Cappellano, poiché una tale spesa

appartiene piuttosto all'erogazione della rendita netta rilasciata all'arbitrio dello stesso Parroco.

« Dal fin qui esposto apparisce che la rendita netta totale della Chiesa in parola, cioè la somma erogabile per il decente mantenimento del Parroco e della Chiesa si può agevolmente portare a L. 5435,26 insistendo sulla portata medesima del difensore: tuttavia questa cifra è da reputarsi inferiore al vero, e ciò per un fatto sicuro e certo, che si ha dalla quota di concorso pagata dal Beneficio in L. 406,80. E indubitato infatti che il Parroco non avrebbe in alcun modo accettato una tassa così grave, se avesse potuto esimersene legalmente nell'accertamento della rendita netta del Beneficio. Ora essendo la detta quota dovuta nella misura del 5 0{0 dai Beneficii Parrocchiali, la cui rendita netta eccede Lire 2000, ne consegue che questa eccedenza è stata calcolata per il Benefizio in parola in L. 8136, e perciò la rendita totale annua è di Lire 10136 netta da qualsivoglia onere.

« E quand'anche si voglia ridurre quest'ultima cifra a più modeste proporzioni, tenendo conto dei rilievi fatti dal difensore della Chiesa circa le spese di mantenimento annuo di coltivazione, deprezzamento e scarsità di raccolte etc. rimane però sempre un reddito annuo netto nella cifra approssimativa e media di Lire 8000, che può ritenersi come base equa e accertata per l'assegnamento della pensione implorata in L. 3000. In sostanza il Rettore *pro tempore* può, come ha asserito lo stesso presentato Sac. Narcisio Polvani, agevolmente sopportare questo carico colle rendite provenienti dai Certificati Nominativi, riservandosi tutte le altre rendite provenienti dai beni di suolo, e dall'escavazione del lignite.

« Venendo ora agli altri capi contenuti nel venerato foglio del l'È. V. Riha debbo rilevare che il taglio proposto delle querci adulte non è tale da indurre un generale diboscamento del fondo, ma solo un dirado, che verrebbe

col tempo supplito mediante l'accrescimento delle piante lasciate ovvero sostituite.

« Credo ancora di dovere insistere remissivamente per la perpetuità della pensione implorata, almeno in parte, cioè riguardo alle somme già designate per le Chiese di San Gaudenzio e di Figline, che ascendono complessivamente a L. 1500, come già fu esposto a cotesta Sacra Congregazione nella mia lettera del 17 Gennaio del corrente anno, essendo queste due Parrocchie importantissime e in estremo bisogno di un provvedimento di tal natura.

« Aggiungo finalmente che la rinunzia dell'Oratrice al suo diritto di Patronato è legata alla condizione della pensione nella cifra di Lire 3000, e ciò non tanto per le strettezze personali in cui versa, quanto ancora, e maggiormente, per il desiderio che nutre di adempiere quanto prima agli obblighi pecuniarii che tiene verso Enti Religiosi, come ebbi a dichiarare nella succitata mia lettera.

« In base pertanto ai dati suesposti prego instantemente TE. V. Rma e gli altri Emi Signori Cardinali componenti cotesta S. Congregazione a volere accogliere favorevolmente le preci della pia Signora Contessa Digerini-Nuti Vedova Piccardi e le mie per la perpetuità della suddetta pensione a vantaggio almeno delle surricordate due Chiese Parrocchiali.

Hisce animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re disceptata sub die 28 Februarii 1903 censuit respondere : *Pro facultate, iuxta petita et ad mentem.*

BRIXIEN.

IURIUM

Die 28 Martii 1903.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. In civitate Brixiensi constituta est ab a. 1502 parochialis ecclesia S. Agathae, ad praescriptum Const. *Iniunctum nobis* Alexandri VI, in eaque curam agit animarum Praepositus parochus cum tribus aliis perpetuis capellanis, congrua praebenda instructis, « qui, uti iubet Constitutio, una cum dicto Bartholomaeo et pro tempore existente dictae Ecclesiae Rectore in ipsa Ecclesia horis canonicis interesse ac curam animarum parochianorum praedictorum exercere, in ipsaque Ecclesia personaliter residere et per seipsos non autem per substitutos, impedimento cessante legitimo, deservire ac singulis diebus missas per se vel per alios celebrare tenerentur ». Processu temporis exortae sunt controversiae de iuribus capellanorum ad curam animarum et S. C. C. rescripto diei 24 Iulii 1875 edixit ipsis ius competere « exercendi curam animarum dependenter ab ipso Praeposito », in executionem cuius rescripti Episcopus confecit decem ordinationes et has approbavit S. C. C. rescripto diei 22 Sept. 1877. Haec quoad ius et constitutionem Ecclesiae.

Accidit autem ut, aegrotante parocho alterius ecclesiae extra civitatem, huic Episcopus suffecerit, titulo vicarii, unus ex tribus cappellanis curatis, nepos Praepositi, dictae ecclesiae S. Agathae, ea quidem ratione quia iste solus repertus est, prout ipsa Curia testatur, ad illud munus explendum idoneus.

Quare eodem absente ab Ecclesia S. Agathae, ne animarum cura ex parte deficeret, in eius locum Praepositus-parochus Episcopo quendam proposuit Sacerdotem,) cuius electioni libenter ipse annuit. Verum, licet idem Praepositus tum ex bulla *Iniunctum Nobis,* tum ex statutis Episcopi

a S. C. C. die 22 Sept. an. 1877 approbatis, sibi competere autumet vicarium temporaneum sufficiendi potestatem, qui capellani ad tempus absentis vices in parochiali munere gerere possit, adversarios tamen expertus est caeteros duos capellanos, hoc ius eidem denegantes: adeo ut officium capellani absentis etiam in praesenti, prout ipsa Curia advertit, adhuc vacet, cum illud, contradicentibus capellanis curatis, vicarius designatus minime suscipere potuerit.

Praeterea alia controversia agitur a capellanis adversus Praepositum, qui asserit sibi competere ius proponendi Consilio Fabricae Ecclesiae sacerdotem deputandum in Praefectum Sacristiae, ^etiam inauditis capellanis.

Ordinarius die 5 Sept. anni 1902 ius dixit favore parochi Praepositi, tum scilicet quoad ecclesiae ipsius regimen, tum quoad ius deputandi vicarios, haec decernens :

« Questo Ordinariato Diocesano, vista la Bolla Pontificia di Papa Alessandro VI, colla quale erigeva le Cappellanie Curate di S. Agata, vista la Costituzione del Prevosto Del Pozzo, vista la sentenza della S. Congr. del Concilio 24 Luglio 1875, giudica, soltanto però in via amministrativa, che l'unico diritto attribuito ai Capellani titolari di S. Agata sia quello, *exercendi curam animarum dependenter ab ipso Praeposito,* il quale diritto di cura di anime non è certamente il *plenarium ministerium curae animarum,* che obbliga il solo Prevosto al governo della Parrocchia, quindi si ritiene libero il Prevosto di proporre alla Fabbriceria quel Sacerdote che crede più opportuno all'Ufficio di Prefetto di Sagrestia.

« Giudica inoltre che nessuno può togliere al Vescovo il diritto di disporre di un Beneficiato e di sostituirlo con un Vicario e che nel fatto tale diritto è concesso anche al R. Prevosto di S. Agata dalla Bolla summentovata là dove dice agli esecutori della medesima che *quod dictis Cappellanis absentibus dictae Ecclesiae Rector alium seu alios loco absentium substituere possit* etc. Quindi, essendo legittima-

mente assente il Rev. Volpi D. Giovanni, il Rmo Prevosto può liberamente al medesimo sostituire un Vicario ».

Verum cum eidem sententiae parere renuerint capellani, Praepositus Parochus Volpi ad S. C. O. recursum instituit, haec pro re sua animadvertens.

Praemittit enim praesentis controversiae causam esse repetendam ex praepostera interpretatione decreti a S. O. O. sub die 24 Iulii an. 1875 editi, ad applicandam Constitutionem Alexandri VI. *Iniunctum Nobis* diei 9 Sept. 1502.

Siquidem in eodem decreto (quod caeteroquin, iuxta ipsum, peculiaribus rerum adiunctis instantibus editum fuisse sibi videtur, ob leges scilicet civiles tunc eiusmodi bona usurpantes) curae animarum exercitium, quod iuxta eamdem Bullam pro ipsis capellanis munus et simplicem obligationem importat, ut ius recognitum est. Ex quo evenit, ait, ut iidem capellani eamdem parochialem iurisdictionem qua Praepositus gaudet sibi vindicaverint, adeo ut quadam honoris tantum praerogativa contentus ipse esse debeat, prout ex. gr. primum locum in choro tenere, solemnitatibus pluviali indui, etc.

Exinde vero plura mala dolet exurgentia, siquidem ut adnotat: « Non riconoscere alcuna dipendenza dal Prevosto Rettore ; anche il *dependenter ab ipso* che leggesi nel Decreto non intendono in senso di sottomissione obbligatoria, ma solo come un espediente a schivar conflitti ; — non ammettere il diritto accordato dalla Bolla Pontifìcia al Prevosto Rettore di sostituire altro personale ai cappellani assenti, e impedire ciò con tutti i modi, fìnanco resistendo alle disposizioni del Riho Ordinariato; assentarsi dalla residenza quando e come lor piace senza pur darne notizia al Prevosto Rettore, il quale non deve mai sapere se e quali coadiutori potrà avere all'indomani in residenza; pretendere di avere azione diretta nel governo della Chiesa, nella scelta del prefetto di sacrestia, degli inservienti e di altri cappellani temporarii, e quindi non riconoscere il prefetto perchè non proposto da loro, protestare contro qualsiasi dispo-

sizione che venga presa dal Parroco senza il loro intervento e consenso, ravvisando in ciò un attentato e una lesione dei loro diritti, e via dicendo ».

Quare ex hoc illud a iure prorsus alienum provenire, ait, ut eadem ecclesia a quatuor parochis, pari iure pollentibus, manifesto quidem cum animarum discrimine, regatur.

Quapropter ut iuri etiam successorum in eadem Praepositum consulatur, idem orator a S. C. C. haec declaranda petit: « 1. Ha diritto il Prepósito Rettore di S. Agata di usare la facoltà concessagli dalla Bolla Pontifìcia di nominare e provvedere per le Cappellanie vacanti, senza intervento e consenso dei Cappellani presenti in Ufficio?

« 2. Ha diritto il Prepósito stesso di usare la facoltà, concessagli dalla Bolla, di sostituire altri ai Cappellani che per alquanto di tempo debbano assentarsi dalla residenza? e nel caso affermativo, a carico di chi devono stare le spese per il sostituto?

« 3. Deve ammettersi e ritenersi, che in forza delia Bolla *Iniunctum Nobis* e della conseguente Costituzione 1515 del Prevosto Del Pozzo istitutore delle tre Cappellanie, abbia a competere ai Cappellani Beneficiati la piena e perfetta parrocchialità a parità col Prepósito medesimo, di guisa che il Parroco fondatore abbia inteso mettersi al loro livello, spogliarsi della sua autorità e commettere a loro il governo della sua chiesa?

« 4. Se la frase - *una cum Rectore Praeposito* - proposta dall'istitutore e conservato nella Bolla, intesa nel senso di piena parrocchialità produce così disastrose conseguenze, non sarebbe più razionale e giusto intenderla nel senso di unione, di buon accordo, di premurosi intendimenti in una azione salutare, come appunto si dice che il soldato combatte *una cum duce* senza che diventi capitano, o che l'operaio lavora nella officina *una cum domino* senza che diventi padrone, o come diciamo *una cum grege sibi credito* nella orazione *pro pontifice?*

« 5. La cura d'anime, che devono esercitare i Cappel-

lani coadiutori consiste (come è per tutti i coadiutori parrocchiali, sia pure con riserva nel caso nostro della potestà ordinaria e della inamovibilità) nell'amministrazione dei Santissimi Sacramenti, nel catechizzare e predicare, nell'aver cura dei poveri e degli infermi e nel prestare il servizio di chiese ; o deve anche intendersi estesa alla reggenza e governo della chiesa?

« 6. Qualunque sia il senso della frase *una cum Rectore Praeposito,* questa fu apposta nella Bolla al primo dovere dei Cappellani cioè *interesse horis Canonicis?* o devesi anche intendere ripetuta per gli altri doveri successivamente enumerati, specie il *missas quotidie celebrare* e il *deservire,* mentre il Prevosto non è obbligato alla quotidiana celebrazione, e se anche egli deve servire *una cum, capellanis,* si avrebbero quattro servi senza uno che comandi? »

Ex facto denique constare animadvertit eisdem capellanis coadiutoribus numquam onus fuisse impositum festivis diebus Missam pro populo applicandi, nec homiliam alterne cum Praeposito habendi, sed tantum eo absente suas vices gerendi, iuxta omnium coadiutorum parochialium morem.

E contra Capellani negant, *primo,* ius Praeposito Volpi eligendi, absque scilicet eorum consensu, sacerdotem qui praesentandus erit Fabricae procuratoribus, pro sacrarii praefectura obtinenda.

Hoc enim electionis ius etiam ipsis competere autumant, utpote necessario in facultatibus sibi concessis pro animarum cura, una cum Praeposito exercenda, contentum, *una idest communiter cum Praeposito,* argumento ordinationis confirmatae a S. C. Concilii 22 Septembris 1877.

Quod quidem plenum ius eorumdem capellanorum Sanctae Agathae relate ad curam animarum comprobatum fuisse asserunt tum ex Bulla citata Alexandri VI. *iniunctum Nobis,* tum ex possessione pacifica, et antiquissima, scilicet 300 annorum, consuetudine; tum etiam ex pluribus sen-

tentiis tribunalium Brixiae, Mediolani, ac Romae : quae quidem omnia in opusculo relata sunt « Acta S. Congregationis Concilii Tridentini in causa iurium Parochialium inter Praepositum et Capellanos Curatos S. Agathae civitatis Brixiae ».

Brevitatis causa tribunalis mediolanensis sententiam tantummodo exhibent « il diritto di piena Parrocchialità, e quindi canonicamente di assistere ai matrimonii in detta parrocchia, spettare a parità e reciprocanza in vigore di fondazione così ai Coadiutori titolari, come al Parroco Prevosto ».

In iis autem solummodo capellani curati autumant eos subdi Praeposito, quae eadem S. Congregatio ipsis servanda praecepit, ut scilicet in exercitio parochialium iurium collisio arceretur: « Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso iuxta ordinationem, etc. » (S. C. C. *24* Iulii, an. 1875).

Iamvero ista parochialium iurium parilitas, aiunt, nonne tribuere dicenda est eisdem capellanis facultatem sese ingerendi in iis etiam quae ipsius ecclesiae bonum spectant? Quanam ratione ipse Praepositus eiusque antecessores de exquirendo capellanorum consensu usque fuere solliciti, tum scilicet pro electione laicorum aedituum, tum etiam pro quolibet alio parochiali negotio gerendo?

Secundo, relate ad electionem vicarii, qui suffectus est in animarum cura capellano S. Agathae Sac. Ioanni Volpi, cum hic ab Episcopo ut vicarius parochi in oppidum loci vulgo *Alfianello* missus fuerit, asserunt se reclamasse, ne exinde eorum iura detrimentum caperent.

Etenim in Ordinationibus a S. C. O. confirmatis, normam constituentibus iurium quae mutuo inter Praepositum et Capellanos curatos exercentur, haec leguntur: « che vi sono attribuzioni connaturali ai Cappellani Curati, che debbono rimanere integre, e che lo stesso Prevosto non può perturbare o diminuire « *ipsis integre maneant ex officio connaturales attributiones, quas Praeptositusp>erturbare aut*

minuere nequeat ». E se queste attribuzioni del predicare dell'amministrare i Sacramenti ecc. non possono essere diminuite dallo stesso Prevosto, lo potranno essere da un semplice Sacerdote?

« Leggiamo nelle stesse Ordinazioni che il Rmo Prevosto, per causa legittima, può compire le funzioni designate ai Cappellani Curati,' ma personalmente e dietro avviso, e quindi mai per sostituti o vicarii (Ordinazione III).

« Leggiamo ancora, che mancando ii Rmo Prevosto del celebrare funzioni riservate a sè, lo dee supplire il Curato di settimana, non quindi altri Sacerdoti non Curati, nè investiti. (Ord. V.).

« Leggiamo sempre in quelle Ordinazioni, che nelle assenze o del Prevosto o dei Curati debbono tra loro accordarsi, acciò taluni fra loro siano pronti ad assistere i fedeli nei sacri ministeri « *ut aliqui ex ipsis praesto sint* etc. »; non dunque estranei Sacerdoti ». (Ordinazione X).

Inter autem praecipua onera a coadiutoribus explenda in Ecclesia S. Agathae , recensent homiliae recitationem alternis vicibus, Praeposito praemonente, peragendam, tum munus adiuvandi Praepositum, in cathechesis explanatione ; quae munera proinde nonnisi a capellanis curatis expleri posse contendunt: « onus praedicationis ita commune sit Praeposito et Coadiutoribus ut ipsi homiliam habeant— iidemque eum adiuvent in catechesibus » (Ordinat, n. II).

His igitur suae Ecclesiae ordinationibus freti, necnon facto constanti, vi cuius in ecclesia S. Agathae tum Praeposito, tum Capellanis curatis, mortis vel translationis causa deficientibus, nunquam vicarii vel oeconomi electi fuerint; contra dictam electionem vicarii, absente sac. Ioanne Volpi Capellano, peractam, iure reclamasse recurrentes contendunt, simulque a S. C. C. expostulant :

a) Utrum S. Agathae Praepositus, absque eorumdem capellanorum consensu, Sacrarii Praefectum eligere possit?

b) Utrum idem S. Agathae Praepositus vel quidam ex capellanis curatis, ipsis absentibus, vicarios nominare pos-

sint, qui animarum curam aeque ac capellani curati, parochialibus facultatibus ordinarie pollentes, exercere valeant?

In hanc complexam quaestionem haec advertenda videntur. Quamvis plures a contendentibus proferantur quaestiones, tamen pro stylo S. C. C. videntur practice et obiective reduci ad duo quaesita, quibus in suo decreto respondet Ordinarius. Nihilominus serio perpendere praestat an decisio reddita ab Ordinario mereatur EE. PP. confirmationem.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Rem a suo initio repetens animadversum est, originem capellanorum perspicue explicari in Const. *Iniunctum Nobis.* Inde enim eruitur Ecclesiam S. Agathae usque ad a. 1502 unum tantum obtinuisse Praepositum Parochum. Hoc anno exeunte Bartholomaei quidam, eo tempore Praepositus, a S. Pont. Alexandro VI petiit ut tres aliae capellaniae perpetuae cum fructibus pro capellanorum sustentatione de suis reditibus magna ex parte assignandis erigerentur, qui una cum pro tempore existente dictae Ecclesiae Praeposito-Parocho horis canonicis interesse, residere, celebrare et animarum curam exercere, tenerentur. - Quae postulaverat Bartholomaei obtinuit, uti evincitur ex verbis Constitutionis relatis sub initio. Qua Constitutione proinde factum est ut erigerentur vera et propria beneficia eademque residentialia cum cura animarum.

Equidem, progressu temporis, capellani se aemulos exhibuerunt Praepositi-Parochi, eidemque omnimode pares se ostendere et gerere curarunt, et eiusmodi intentionem capellanorum ratam habuerat et firmaverat sententia tribubunalis Mediolanen, iam relata a capellanis, edicens eis competere *il diritto di piena par r o dualità... a parità e reciprocanza ;* et haec sententia submissa fuit examini S. C. C; die 24 Iul. 1875, uti reperii in Thesauro Resolutionum S. CC.; nam *in actis* non exhibetur. Sane ad dubium : « *An et quomodo sententia Curiae Mediolanensis sit confirmanda in*

casu, rescriptum prodiit : *sententias primi et secundi gradus esse reformandus: Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso ': iuxta ordinationem ab Episcopo proponendam et ad Sacram Congregationem transmittendam •».*

Hoc rescripto sapienter statuitur, curam animarum capellanis competere una cum Praeposito, et inde ius habere adsistendi matrimoniis absque Praepositi delegatione, nihilominus, ne gravis exoriatur confusio, dependentiam Praeposito a capellanis servandam esse.

Praeterea animadvertatur, capellanos participare curam parochialem; sed in munere parochi et rectoris Ecclesiae continetur etiam ius administrandi, tutandi, servandi *bona* Ecclesiae et beneficii, nec non advigilandi in Fabricam Ecclesiae. Atqui unum ius alterum necessario non sequitur; quamobrem, uti exploratissimi iuris est, parochus suspendi valet tantum ab officio parochiali quin ab beneficii administratione suspendatur. Inde hoc sequitur, capellanos ius habentes exercendi curam animarum, non necessario ius obtinuisse administrandi Ecclesiam et bona parochialia; quin immo eiusmodi ius assequutus esse non satis probatur nisi expressa exhibeatur concessio ipsis facta istius iuris. Revera Praepositus Bartholomaeus ut obsequeretur praecepto Concilii Tridentini *Sess. 21, cap. IV De ref.* iubentis - in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere sacramentis ecclesiasticis ministrandis vel cultus divino peragendo, rectores debere *sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et ad cultum divinum celebrandum* - dictas capellanías erigendas curavit. Quo factum est ut dismembratio quaedam seu divisio haberetur in cura animarum, sed haec non secus ac in omnibus dismembrationibus intelligenda est stricte ; videlicet non magis censetur concessum quam expresse concessum fuisse significetur. Disertis verbis capellanis tribuitur cura animarum seu administratio sacra-

mentorum aliarumque functionum parochialium; ast forsan tributum fuisse intelligendum est ius administrandi bona beneficii, aut ipsam Ecclesiae Fabricam? Quia versamur in odiosis quod minimum est sequi debemus iuxta Regulam 30 Iuris *in Sexto.*

Hae animadversiones videntur persuadere, Praepositum iure se gessisse dum Consilio Fabricae proposuit Praefectum Sacrarii, inauditis capellanis. Hic enim Praefectus praesumitur ea gerere, pro suo munere, quae ad Fabricae bona administranda pertinent.

Non item et Praepositus et Ordinarius videntur rite rem expediisse dum effecerunt ut capellanus, derelicto loco residentiae et suo officio, alio se conferret. Nam hae capellaniae sunt residentiales et legi residentiae dispensare uni S. Pontifici permissum est. - Ad haec, ex alio capite, laesae forsan fuerunt tabulae fundationis, si propter constitutum vicarium, vel graviora ceteris capellanis onera effecta sunt, vel minuti sunt reditus certi aut incerti suae capellaniae. Equidem, uti advertit Ordinarius in suo decreto, constitutio *Iniunctum Nobis* facultatem facit Praeposito Parocho ut ipse alium seu alios loco absentium substituere possit, verum - posito semel onere residentiae in eiusmodi capellanus erectis Pontificia auctoritate - decernet Sapientia EE. PP. an legitima dicenda sit absentia Capellani Volpi, qui ab Episcopo ad aliam Ecclesiam translatus fuit. Quod si etiam advertatur in cit. constitutione caveri, « *collationem* et *provisionem dictarum trium capellaniarum in perpetuum reservatam et concessam fuisse* ». Praeposito Parocho tamen quae onera fundationis insunt in dictis capellanus videntur neque a Praeposito neque ab Episcopo, ordinario iure, derogari posse.

Ceterum in actis non prostant Ordinationes ab Episcopo confectae auctoritate S. C. C. ab eaque approbatae; at hae prae oculis habendae sunt in determinandis taxative limitibus quibus continentur singulae functiones, et specialia iura capellanis attributa, aliisque Ecclesiae administris. -

Inde ex his Ordinationibus normam capellani desumant oportet in resol vendis aliis quaestionibus, quas ipsi aut Praepositus innuunt quasque proprie ad praesentem quaestionem non pertinere patet.

RESOLUTIO. S. C. C. re disceptata sub die 28 Martii 1903 censuit respondere: *decretum Episcopi sustineri, dummodo translatio capellanorum fiat ad b>"eve tempus et ad Ecclesiae necessitatem; Vicarios vero nominandos esse a Praeposito et ab Episcopo approbandos, quin necessarius sit consensus capellanorum coadiutorum: in reliquis serventur Ordinationes Episcopi a S. C. C. approbatae anno 1877.*

OSNABURGEN.

DUBIA CIRCA PERCEPTIONEM FRUCTUUM PRAEBENDARUM i

Die 28 Martii 1903.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. In capitulo Cathedrali Ecclesiae Osnaburgensis haec dicta est lex in statutis capitularibus a S. Sede approbatis, ut ascensus ad praebendas vacantes fìat ipso iure neque expressa optio neque novus possessionis actus requiratur, quamobrem canonicus qui ordine immediate sequitur canonicum defunctum aut promotum, huius praebendam *ipso facto* obtinet et fructus facit suos ; iubet enim § 13 statutorum : « Canonici et Vicarii qui ordine defunctum vel promotum sequuntur, ascendunt et a die ascensionis reditus Canonicatui seu Praebendae adnexos percipiunt ». — Applicatio huius articuli modo quaestionibus implicatur; siquidem a. 1890 die 11 Iunii Antonius Thiele, primus in ordine canonicorum defunctus est; exinde secundus Can. primam obtinuit praebendam 4200 marcarum annuos reditus proferentem. Tertius autem canonicus qui ad secundam praebendam eundem annuum reditum proferentem habuit ascensum, scilicet Canonicus Clemens

Cosse iam ab a. 1888 mente captus suum consensum nullimode significare valuit ad capessendam vacantem praebendam; quapropter dubitatum est, an reapse ipse altiorem praebendam adeptus, sit. — Inde sequutum est alterum dubium, nempe an quartus canonicus Henricus Meurer ascendere ad tertiam praebendam vel magis ad secundam prouti ipse postulabat et contendebat, siquidem propter vitium mentis canonici Cosse, eadem secunda praebenda uti vacans hactenus habenda erat. Quum vero tertia et quarta praebenda reditus annuos referant 3000 marcarum, inter secundam et tertiam praebendam differentia annuorum redituum est circiter 1200 marcarum; et hi fructus a die 11 Iunii 1890, ob exortam controversiam, neutri canonico soluti sunt sed deposito collocati sunt sub annuo foenere, et hodie creverunt ad summam circiter 2900 marcarum.

Interim Canonicus Henricus Meurer die 5 Iunii 1901 diem obiit supremum et in suo testamento postulavit prouti refert Episcopus : « ut pecuniae summa differentialis de qua dissentiebatur, pro sua parte ad pias causas aut dubio soluto per Eminentissimos Patres Sacrae Congr. Concilii, aut insoluto, consentientibus haeredibus Canonici Clementis Cosse, exhibeantur ».

Interea idem Clemens Cosse die 21 Februarii 1902 mortuus est, et intestatus decessit, haeredes autem fere 32 vel 35 relinquens in dissitis regionibus disseminatus, quorum proinde consensum expostulare pene impossibile est. Quocirca Episcopus hoc proponit dubium resolvendum EE. PP. « Utrum canonicus Clemens Cosse mente plene destitutus in altius beneficium quod nullatenus cognoscere potuit, ascendere et reditus praebendae adnexos percipere debuerit ».

Deinde aliam movet connexam quaestionem Episcopus ; nimirum an infirmus canonicus ad lucrandos omnes fructus muniis canonicalibus satisfacere per vicarium debuerit suo sumptu deputandum an potius, propter infirmitatem, ab omnibus oneribus immunis habendus sit; quaerit enim Episcopus: « 1. Fuitne Canonicus Cosse obligatus ut omnibus

canonici officiis et communibus et personalibus prospieeret suo sumptu? 2. An ab omnibus officiis omnino liberatus fuit? 3. An obligatus fuit ut omnibus personalibus tantum officiis scil. hebdomadarii et celebrationis Missarum fundatarum satisfaceret suo sumptu per Vicarios? 4. An obligatus fuit ut personalibus officiis hebdomadarii tantum satisfaceret suo sumptu per Vicarium ? » In propositum autem haec refert Episcopus :

« Dictus Canonicus Cosse per tres annos canonicorum officia nec communiai, e. omnes Canonicos coniunctim obligantia ad divinam psalmodiam in choro, nec personalia, quae aut a singulis Canonicis ipsis persolvenda sunt aut per Vicarium pro canonicis impeditis idque horum sumptibus procuranda sunt, ut celebrationem missae conventualis, missarum fundatarum etc., ullo modo implevit.

« Afferebatur Decretum S. C. C. 5 Martii 1667: Congregatio Concilii censuit, Canonico infirmo durante eius infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui Canonicatus, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Ceterum infirmitatem ipsam coram iudice probandam ». Tempore bonae valetudinis p. Cosse omnia Canonici officia adamussim implebat. — Dein invocabatur Decretum S. C. O. d. 8 Ianuarii 1597: « Congregatio Concilii censuit oratorem, si vero caecus existit, a celebratione missarum in Collegiata prorsus immunem esse, neque alium sui loco, cum sit legitime impeditus, substituere teneri ». Quae decreta e iure communi effluxerant. Cfr. Ius Canonicum apud Reiffenstuel tom. III de clerico aegrotante ; et de clericis residentibus. Benedictus XIV, Institutiones ecclesiasticae, Inst. 107.

« In capituli statutis a S. Sede approbatis continentur leges speciales sequentes :

§ 41. « Vicarii, ratione beneficii, tenentur divinis officiis in choro assistere, ad altare munere Diaconi et Subdiaconi fungentes ministrare. Ad munus Hebdomadarii mis-

saeque conventualis celebrationem alternatim, succentore excepto, parati semper erunt.

§ 42. « Si forte contigerit ut praefatis officiis pro Canonico aegrotante vel absente fungi debeant, congruam remunerationem, duplum scilicet stipendii manualis ordinarii accipient.

§ 49. « Legitime a choro excusatus censetur, qui vel senio fractus est, vel morbo correptus, vel monitus a medico, ut sese domi contineri debeat.

« Leges speciales Capituli, iuri communi non contradicentes, in § 42 statuunt obligationem quod Vicarii, loco Canonicorum impeditorum, ad munus hebdomadarii et missae conventualis celebrationem, erga congruam remunerationem, tenentur. Unde sequi videtur, Canonicum infirmum obligatum esse, ut officia hebdomadarii adimpleri curet suo sumptu per Vicarium ».

Quamobrem duplex est quaestio examinanda, primo an canonicus Cosse, quamvis utpote mente captus, nullimode animum applicaverit ad novam praebendam obtinendam, hanc reapse assecutus sit. In quaestionis solutionem ab Episcopo quaesivi quomodo fieret ascensus de una ad aliam praebendam et Episcopus refert Capitulum asseruisse : « ascensum ad praebendam vacantem ipso iure fieri nec optionem expressam nec novum possessionis actum requiri iuxta Capituli statuta a S. Sede approbata: § 13 : Canonici et Vicarii qui ordine defunctum vel promotum sequuntur, ascendunt et a die ascensionis reditus canonicatui seu praebendae adnexos percipient ». Revera articuli textus non satis significat, ascensum fieri ipso iure et absque ulla voluntatis significatione; sed tenere possumus Capituli declarationem uti referentem consuetudinem Capitularem, optimam legum interpretem. Porro huiusmodi ascensus seu optio necessaria, ipso iure capitulari constituta, non contradicit regulis iuris et est iuridice possibilis. Nam, hoc in casu, optio non cadit in ipsum canonicatum seu titulum canonicatus qui semper expostulat aliquam collationem et hinc tituli accepta-

tionem tacitam vel expressam sed caderet in simplicem praebendam. Siquidem duplex optionis genus iure Canonum distinguitur ; altero nimirum novus titulus seu novus canonicatus acquiritur; altero vero antiquus titulus seu canonicatus non amittitur, sed tantum fit accessio redituum praebendae optatae ; facto (ut inquit Gonzalez, Ad Reg. Cancell. gloss. 34 n. 55) transitu de una ad aliam praebendam absque novo titulo et nova provisione vel collatione virtute provisionis seu tituli in prima ». Sane praebendam distingui a canonicatu seu a canonia, titulo canonicatus, exploratissimi iuris est uti docet cum communi Barbosa De Can. et dignit. cap. 12 n. 18 seq. et firmavit S. C. C. in Maceraten. Optionis 22 Decem. 1832; et in Vicentina Optionis 31 Ianuarii 1852, et uti praedicat effatum, *canonicum non fieri per praebendam sed per receptionem in fratrem.* Quippe in citata Maceraten. ad 1. Dub. ita conceptum: « An optioni sit obnoxia praebenda tantum an praebenda simul et canonicatus in casu, prodiit responsum; affirmative ad primam partem; negative ad secundam ».

Inde admittere fas est, in capitulo Osnaburgensi plures haberi canonicatus quorum fit collatio et possessio conceditur canonicis quum hi capitulum ingrediuntur, deinde vero, quin ulla habeatur nova tituli collatio et possessio, fit ascensus necessarius ad praebendas seu ad fructuum assignationes quae proinde tantum numero distinguuntur et pinguiores sunt pro numeri prioritate. Re ita constituta, non est alienum a regulis iuris quod ascensum faciat et altiorem attingat praebendam etiam canonicus penitus amens, nullam significans sui animi determinationem. Hac de causa Statuta Capit, in cit. § 13 eiusmodi fructuum alterius praebendae accessionem proprie non vocant optionem, quum optare videatur motum voluntatis necessario continere «sed appellant simpliciter ascensum.

Constitutiones autem capitulares ita intelligendas esse testantur ipsi canonici ; et ipsis fides adiicienda est, quippe res est quae ipsorum intersit ; quamvis hodie, et hoc adverti

debet, reapse et heredum canonici Cosse et causae piae a Canonico Meurer testamento vocatae ratio habenda est; eorumque iuribus derogare non est integrum canonicis.

Quoad alteram quaestionem iam Episcopus attulit iuris auctoritates et S. C. C. iurisprudentiam; unde evincitur, canonicos infirmos immunes esse ab omnibus muneribus canonicalibus et nihilo secius lucrari omnes fructus sui canonicatus. Verum in Capitulo Osnaburgensi constituti sunt vicarii et hi loco canonicorum impeditorum tenentur ad munus hebdomadarii, ad celebrationem missae conventualis, eis congrua, tributa remuneratione; ab Episcopo autem non satis declaratur an talis remuneratio desumatur e quadam massa ad hoc constituta, vel potius a singulo canonico impedito elargienda sit. - Certe ad ipsum ius commune quod attinet non posset absolute improbari consuetudo iuxta quam canonicus etiam infirmus conferre obligaretur mercedem vicariis ; nam cum petitum fuisset die 6 Decemb. 1666 a S. C. C: « Primo an distributiones quotidianas lucretur canonicus vel beneficiatus qui solitus ceteroquin inservire a civitate, legitimo vacationis tempore discedens in vicinum oppidum (unde sub fine dictae vacationis potest opportune se reddere ad servitium Ecclesiae) se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita continetur ut ad civitatem redire et choro interesse non valeat? et quatenus affirmative : Secundo an hoc locum habeat, quamvis in Ecclesia vigeat contraria consuetudo? S. Congr. C. respondit: Ad primum lucrari; ad secundum non habere locum si consuetudo sit legitime praescripta. Tamen huic consuetudini obtemperare non fas esset, si canonicus infirmus fructibus praebendae indigeret universis ut suae consuleret conservationi: tunc enim obstaret ius naturale; arg. decisionum S. C. C. in Albinganensi Paroch. 1 Sept. 1663 (lib. Decret. 25 p. 594) et in Novariensi et Cremonensi (lib. 3 Decret, p. 35 et 40). ,

Demum quia Episcopus in suis dubiis mentionem facit de missis fundatis, quasi de speciali onere Missarum, quae

insint praebendae canonicali, praestat ultimo loco referre hanc decisionem S. O. C; nam ad dubia: « Primo, an Sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniae, legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare, et quatenus affirmative: Secundo, quando et quoties a dicta celebratione vacare possint; S. C. C. (die 18 Sept. 1682) hoc rescripsit: Ad 1. et 2. affirmative concurrente aliqua rationabili causa».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. S. C. C. re discussa, sub die 28 Martii 1903 censuit respondere: *Canonico Cosse ascensum deberi, quoad servitium chorale serventur constitutiones capitulares.*

SYRACUSANA

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE

Die 28 Martii 1903.

Sess. 21. cap. *i.* De ref.

COMPENDIUM FACTI. In urbe *Ragusa* archidioecesis Syracusanae una tantum hactenus erecta est paroecia sub titulo S. Ioannis Baptistae, quae omnes cives Ragusanos amplectitur, ad triginta *millia* hodie pertingentes. Inde studium excitatum est novam erigendi paroeciam in Ecclesia succursali *Ecce Homo*, ast in contrarias partes illico, uti fieri solet, divisus est populus. Interim in ipso consilio Municipali res disceptanda proposita est et, ex quadraginta consiliariis Consilio conscriptis, huic deliberationi unus et viginti partem habuerunt ; atque octo et decem suffragium dederunt pro imploranda ab Episcopo paroeciae divisione ; reliquis tribus contradicentibus. — Etiam de dote constituenda actum est ; et statutum fuit, in dotem attribuì lib. annuas quingentas (500), easdemque veluti compensare summam pecuniae olim solutae titulo quartae funerariae modo

aboletae. — Quanam ratione autem fieret haec praestatio, ex actis satis non constat.

Archiepiscopus annuendum censuit voto municipii, novam erexit paroeciam, eique oeconomum spiritualem sacerdotem Scrofani deputavit. Equidem die 23 Aug. 1901 hoc edidit decretum:

« Ea quae animarum pericula submovent et populo Nobis credito levamina praebent sedulo amplectentes, supplicationibus hominum Ragusiae, urbis in Nostra Syracusana Archidioecesi existentis, porrectis per publicos Municipalium rerum inibi Curatores, inclinati, qui dolentes Nobis exposuerunt, quod populus Ragusanus, plus aequo ad triginta tria capitum millia auctus, sub hactenus unica S. Ioannis Baptistae Parochia, cum magno incommodo quoad suscipienda Sacramenta et divinum Verbum audiendum congeritur, quod incolentes remotiores urbis oras ad occidentem vergentes quum obstent ardua viarum, quae luto et torrentibus hieme, aestu et arido pulvere aestate fatigant et laxant euntes, non possunt praesertim senes et pueri, puellae ac debiles ad unicam S. Ioannis Baptistae Parochialem Ecclesiam, absque maxima difficultate et periculo, eo potissimum si loci illius nostrorumque temporum habeatur ratio, accedere pro divinis officiis audiendis et percipiendis sacramentis; quod nec satis nec tuto provisum fuerit tantis malis et incommodis removendis per subsidiarium capellanum capellanorumque remedium; quum nihilo secius plures, in spiritualis vice huius Parochi per capellanos exhibendi servitii ratione defectus non mediocres experti sint, quum non raro frustra quaerantur qui fidelium confessiones excipiant, aut infantibus in vitae periculo constitutis baptismum administrent, quum nonnulli sine sacramentis e vita excesserit; quod propterea quaerunt, postulant et instant ut nova per dismembrationem Parochia in templo sub titulo SS. Ecce-Homo ad remotiores praedictos incolas iuvandos erigatur, Nos ad dismembrationem et erectionem respective novae Parochiae, prout ipsi postulant, procedere statuimus.

« Idcirco facta per Nosmetipsos diligenti super expositis inquisitione, ac desuper confecto (citato et audito Rectore Parochialis Ecclesiae S. Ioannis Baptistae) processu de quo in actis, illisque plene per testium depositiones aliisque legitimis probationibus, concludenter verificatis, ut patet ex actis et relativo a Nobis hodie edito decreto, regionem illam occidentalem Ragusiae urbis, cum omnibus ecclesiis in ea existentibus, hominibus incolis et familiis ab unica hactenus Parochiali praedicta ecclesia S. Ioannis Baptistae, usi non modo nostra auctoritate Ordinaria, verum etiam a S. Concilio Tridentino (cap. IV, sess. XXI) delegata, accedente etiam consensu nostri Capituli Metropolitani, separamus, dividimus et dismembramus; et in Parochialem Ecclesiam erigimus et constituimus Ecclesiam inibi existentem sub titulo SS. Ecce-Homo, cum suo loco et districtu, habita ad rem pro termino mediana linea divisoria quae incipit a via Leggio qua haec via intersecatur a via Serra, eaque linea ducta usque ad punctum quo a parte opposita descendens via Camerina, lineam pertingens, ultimos ab eadem parte incolas, proximos contiguae valli, complectitur et signat : ita ut omnis locus et omnes aedes quae a dicta linea divisoria ad occidentem porrigantur, pertineant et pertinere dignoscantur ad novam Parochiam SS. Ecce-Homo: et e contra omnis locus et omnes aedes quae a dicta linea divisoria ad orientem porriguntur, pertineant et pertinere dignoscantur ad veterem S. Ioannis Baptistae Parochialem Ecclesiam, dantes et concedentes incolis et habitatoribus dicti loci, districtus et Parochiae novae, ut supra dismembratae, divisae et constitutae per certos limites, plenam et liberam potestatem in dicta Parochiali Ecclesia, sepulturas, coemeterium, fontem baptismalem, archivium, campanile, campanas et alia insignia parochialitatis constituendi et retinendi.

« Praeterea novae sic erectae Parochiae filialem ecclesiam SS. Salvatoris in finibus ipsius districtus existentem, in filialem ecclesiam attribuimus et assignamus.

« Acceptantes deliberationes a Municipio Ragusano initas, alteram die 13 Maii, alteram die 14 Iulii volventis anni 1901, quingentarum libellarum annuam summam ab eodem Ragusano Municipio, donec maiorem iuxta civiles leges Administratio Fundi Cultus sufficiat, solvendam ad titulum aboletorum iurium quartae funerariae; et praeter hanc summam, omnia emolumenta ad titulum exercitii Curae Parochialis et iura decimarum sacramentalium, Nos pro ipsius novae Parochiae Curati et Parochorum, deinceps eligendorum in perpetuum, sustentatione, onerum supportatane et congrua taxamus et assignamus, declarantes, sicut iure declaramus, novam Parochiam in perpetuum esse et fore liberae collationis.

« Pro exercitio autem curae in populum et utriusque sexus fideles in dicto territorio habitantes, vice futuri Parochi donec, edito edicto et concursu ad normam Concilii Tridentini peracto, novi Parochi provisio fiat, dilectum Nobis in Christo Presbyterum Ioannem Scrofani, Nostrum Ragusiae Provicarium Foraneum, tamquam habilem et idoneum Oeconomum Spiritualem praeficimus et deputamus, et praedicto Presbytero Oeconomo Spirituali novae Parochiae, potestatem ex speciali nostro mandato committimus, ut vice Parochi mox praefiniendi et omnium in posterum praeficiendorum Parochorum, ea omnia gerat, quae ad erectionem factam novae parochiae et ad consequens universum ius novae erectae parochiae tutandum referuntur.

« Praeterea ad servandum honorem debitum veteri S. Ioannis Baptistae Parochiae, edicimus et iubemus, eidem Parochiae S. Ioannis Baptistae a novo Curato et ab omnibus in perpetuum novae Parochiae Rectoribus, nec non a quibusque quocumque titulo, parochia vacante, curam habentibus, quotannis utpote Matrici die solemni Paschatis esse, in signum recognitionis Matricitatis, rite offerendam libram unam cerae elaboratae ».

At parochus ad S. Ioannis Baptistae appellationem apud S. C. C. instauravit et, in summa, haec animadvertit ad-

versus impetitam sententiam. — Nimirum Sacerdos Angelus Arezzi parochus Ecclesiae S. Ioan. B. exponit quod iuris canonici et Sacrae Congr. principium, in dismembratione aut divisione paroeciae tenendum est, prius cogitandum esse de dote, quae, si desit, ad dismembrationem paroeciae nullo modo procedi potest: *can.* i, *caus. 1, q.2, can. 26, caus. 16, q. 7 ; cap. 1 et 8 De Consec;* Fagnanus *in cap. Ad audientiam n. 31 et alii communiter.* Dos autem constitui debet ex bonis liberis, frugiferis, in perpetuum, et nomine dotis constitutis et ad parochum parochiamque sufficientibus : quod pariter est extra controversiam, ait Monacelli *Form. tom. 1, t. 2, p. 1, n. 4;* Fagnanus *I. c;* Lotterius *De re benef. lib. 1, q. 31, n. 60,* qui citant Sacrae Rotae et SS. Congr. decisiones. Quod etiam firmatur ex ipsa definitione beneficii: *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum, auctoritate ecclesiastica constitutum.*

Iamvero in casu nostro non habetur dos sive pro parocho sive pro Ecclesia in paroeciam erigenda.

Lib. 500 assignatae recensentur inter expensas *arbitrarias,* seu ad nutum revocabiles ; et reapse idem Municipium istam summam nunquam dedit eamque suppressit in annum 1902. - Auctoritas tutoria, ut dicitur, *La Giunta Amministrativa Prvinciale* huius summae erogationem non approbavit, et ipsa lex municipalis et provincialis hanc prohibet, quia expensae ultra quinquennium vel arbitrariae a maiori parte ex omnibus consiliariis (in nostro casu 40) approbari debent.

Nec tenet ratio, nempe assignari summam loco quartae funerariae suppressae, quia hoc nullo modo constat, nec tollit instabilitatem assignationis. Siquidem etiam Parocho S. Ioan. iampridem summa aliqua hoc titulo fuit assignata, sed ad arbitrium diminuta fuit.

Nec sperandum est quod Gubernium supplementum, quod vocant, dotis congruae novo Parocho assignet, quia hoc tributum fuit tantum paroeciis iam constitutis; at pro erigen-

dis requireretur nova lex. Decretum igitur divisionis caret fundamento, idest, dote. — Summa insuper Lib. 500 non est sufficiens pro parocho, ut fatentur ipsi Consiliarii Municipales, qui erectioni favent et ipsa Curia Archiepiscopalis, qui ád Fundum Cultus recurrere vellent : imo et ipse Oeconomus Spiritualis, qui conatus est dotem constituere vel supplere ex bonis suae familiae ; at incassum, quippe absque Archiepiscopi approbatione et suis fratribus acriter resistentibus. — Concordatum autem Siciliae a. 1818, beneficium parochiale reditus L. 850 habere iubet, et ipsum Civile Gubernium reditus L. 900 hodie parochis congruos et necessarios recognoscit.

Praeterea ipsa Ecclesia *Ecce Homo,* quae erigenda esset in paroeciam, dotem habet L. 203,97; et haec summa erogari deberet pro fabrica, pro oneribus Missarum, pro sacris supellectilibus et functionibus, pro sacrarii custode, aliisque clericis: imo et pro Coadiutoribus Capellanis! Nec adest domus parochialis, ita ut parochus longe ab Ecclesia habitare cogatur.

Incerta parochialia pro tota civitate Ragusa non superant L. 200, quia deducuntur tantum ex matrimoniorum solemnitatibus.

Deinde Orator observat quod Gubernium Civile decretum divisionis paroeciae non approbavit, quia dos pro novo parocho non est sufficiens, nec perpetua, et assignatio a Consiliariis Municipalibus facta est invalida : et quia dos qua fruitur Ecclesia non est sufficiens, neque habetur domus parochialis ; denique non adest ulla ratio innovandi statum paroeciae.

Ad causas canonicas deveniens, quibus dismembran aut dividi potest paroecia, Orator adnotat, quod omnes canonistae communiter assignant distantiam, et magnum incommodum, ex cap. *Ad Audientiam* Alexandri III ex Conc. Trid. *sess. ZU cap. 4 De Reform.*

Quoad distantiam iuxta ipsam S. C. C. sufficiunt duo milliaria, in Ariminensi, *erect. paroec. 18 iun. 1789,* Pia-

centina *dismembr. 18 maii 1791:* sed non sufficit unum milliarium, ut centies declaravit S. C. C. ac praesertim in recentioribus Lancianen. *18 novemb. 1847,* Novarien, *dismembr. 12. aug. et 18 nov. 1847 ;* in hac ultima agebatur etiam de via non secura: cf. Fagnanus *I. c. n. 23.*

Iamvero in casu nostro omnes domus in civitate *Ragusa* non distant a paroecia S. Ioannis B. dimidia parte milliarii et nonnullae tantum uno milliario, at certe non amplius , ut constat ex charta topographica, quae allegatur, et ex relatione quatuor peritorum. — Ecclesia *Ecce Homo,* erigenda in paroeciam, ita parum distat ab Ecclesia parochiali S. Ioannis B., ut in hac nemo praedicare valeat, quando pulsantur campanae illius Ecclesiae *Ecce Homo,* uti affirmant periti. — Citata iura autem et Canonistae explicant incommodum accessus ad paroeciam, ut inde causa habeatur dismembrationis, et unanimiter docent quod sit magnum, h. e. quod adsint torrentes, vel flumina, absque pontibus, vel viae asperrimae etc. Fagnanus *I. c. n. 19;* De Luca *Adn. ad Concil. Trid. Discept. 16, n. 2;* Barbosa *De Off. et Pot. Ep. all. 68, n. 2,* et S. C. C. denegavit dismembrationem in Lucen, seu Sarzanen. *27 sept. 1792* licet adessent « dos aliaque necessaria », et viae essent ita « arduae et asperae ut nec missae secundum praeceptum interesse, nec fidei rudimenta a parocho recipere possent, et aegroti saepe décédèrent absque extrema sacramentorum receptione » : et in Novarien. *17 maii 1749,* « quamquam deruptissimae essent viae, ita ut in ecclesiam paroecialem in monte positam, praesertim hiemali tempore, nedum pueri et senes, sed et iuvenes robustiores aegre se conferre possent » : et alibi pluries.

In casu nostro viae omnes sunt lapidibus stratae, aquaeductis munitae, et fere semper pianae et currui perviae, praesertim illa, quae ab Ecclesia *Ecce Homo* ducit ad Matricem, quaeque proinde vocatur *Maestra.* Quod autem quaecumque difficultas accedendi absit, probatur ex eo quod oeconomus Spiritualis Ecclesiae *Ecce Homo,* coadiutores et

capellani habitant in paroecia S. Ioannis B. et in parte remotiori ab Ecclesia *Ecce Homo.* Pariter id constat ex relationibus peritorum et ex ipsis viarum photographiis, quas Parochus S. Ioannis B. attulit. Ipsum Consilium Municipale decretum emanavit, prohibens ne defuncti prouti mos erat, afferrentur ad matricem propter ipsius matricis decorem, sed iussit ad Ecclesias succursales afferri. Pars ipsa adversa testatur quod in Parochiali Ecclesia S. Ioan. B. frequentissimi est populus. Et Auctoritas Civilis imposuit hoc anno parocho S. Ioan. B. ducere processiones per totam urbem Ragusa more solito, « ad evitare i malumori di tutta la popolazione e i disordini che si temevano », ut ait. Haec omnia demonstrant non adesse ullam difficultatem accessus ad paroeciam S. Ioannis B.

Pars adversa, prosequitur Parochus, exhibet nonnulla testimonia, ex quibus videretur, quod quidam infans mortuus est absque baptismo, et alius infirmus absque sacramentis. Sed praeterquamquod agitur tantum de periculo, in quo fuit infans ille monendi absque coeremoniis, et infirmus absque adsistentia sacerdotis, ut luculentissime patet ex attestationibus parentum, ipse Oeconomus Spir. *Ecce Homo* testatur impossibile esse quod infantes Ragusae moriantur absque baptismo, quia levatrices consuetudinem ministrandi private baptismi habent. Paroecia autem S. Ioannis B. habet quatuor succursales Ecclesias, in quibus explicatur Evangelium et Doctrina Christiana singulis diebus festis, habetur fons baptismalis, administrantur omnia sacramenta, non excepta communione paschali, et viaticum, celebrantur omnes functiones, etiam hebdomadae sanctae ; ibique deferuntur defuncti et funera celebrantur. Insuper adsunt Ragusae 15 capellani coadiutores, praeter Parochum, et alios 45 sacerdotes.

Nec refert, quod numerus parochianorum sit 32.000, quia in iure *solus* numerus parochianorum non est causa sufficiens dismembrationis paroeciae: ita communiter Doctores, et S. C. C. in Messanen., *9 maii 1840* ubi legitur:

« Verum admonent doctores, ob solum parochianorum numerum, etsi exorbitanter sit auctus in eodem loco Ecclesiae parochialis, ad subsidiarium dismembrationis remedium non deveniri, cum succurri possit semper per unius vel plurium vicariorum deputationem ».

In facto autem anno 1899 numerus parochianorum fuit 34 millia, et coadiutores parochiales erant decem, sed nemo dismembrationis necessitatem sentiit aut postulavit; hodie iste numerus valde diminutus est et adsunt 15 coadiutores parochiales. Adverte insuper quod tot parochiani degunt in parvo territorio, ut patet ex topographia. Et parochiae ita populosae sunt frequentes in Sicilia; v. g. Vittoria et Comiso, prope Ragusani, numerant fere 30 millia parochianorum, et in Catania nonnisi una paroecia adest.

Adversa pars confugit, observat Parochus, ad maiorem utilitatem Ecclesiae. Sed respondetur, non quamlibet utilitatem sufficere ad dismembrationem paroeciae, sed requiri evidentem et absolutam utilitatem ut notat Van-Espen, *Iur. Eccl. Univ. part. 2, tit. 2, cap. 2, § 24,* et pluries definivit S. C. C. Acta S. Sedis *vol. 4, pag. 268, vol. 10, p. 272, vol. 12, p. 287, et vol. 13, p. 406.* Haec vero utilitas non habetur, ut patet ex Epist. Archiepiscopi ad Vicarium foraneum post sacram visitationem, in qua scribit : « Lo slancio dell'affetto, l'entusiasmo, la vita religiosa di questo popolo mi ha commosso vivamente e lasciato nel mio cuore la più viva impressione ». Immo dismembratio causa est discordiae et divisionis in clero et populo, fons litium propter pias fundationes, functiones ac processiones etc. ut factum fuit hoc anno.

Nec parvi ponderis sunt maiestas et decor Ecclesiae S. Ioannis Baptistae quae decoratur nomine Cathedralis et Basilicae, et residentia esse deberet ipsius Archiepiscopi Syracusani per plures menses in anno. — De Luca in adnot. ad C. Trid., Discept. 16 notat expresse quod ista est causa denegandi dismembrationem. Item votum fere totius cleri et populi necnon votum omnium sacerdotum, procuratorum et

incolarum paroeciae erigendae, est sane maximi momenti. Quod si desit votum aliquorum consiliariorum municipalium, ipsiusque pro tempore Syndaci, et cuiusdam societatis opificum, sciendum est, illos placitis socialistarum favere nec ratione boni Ecclesiae moveri, ut pluribus argumentis probari posset.

In Messanen., *Dismembr.9 maii 1840* legitur: «Nemo nescit, qui vel a limine sacros canones salutaverit, beneficiorum dismembrationem in iure esse *ocliosissimam* quippe quae alienationem sapiat, aiunt Abbas ad Cap. *Ad audientiam,* Lotterius, *De re benef. cap. 31, q. 28, n. 4 etc.* et Sacra Rota *recent, p. 7, dec. 68, n. 1.* - Hinc nonnisi in subsidium ac gravissimis patentibus causis, quae sunt urgens necessitas, vel evidens Ecclesiae utilitas, permittendam esse docent, iuxta *can. 52, caus. 12, q.2, cap. 2, caus. 10, q. 2, cap. 1, De rebus eccles, non alien.* S. Rota pluries praesertim cum de parochialibus sermo est : « Nihil enim magis alterat ecclesiarum praesertim parochialium statum, quam divisiones seu dismembrationes » ut ait Lot. *I. c.*

Iamvero si, ut in casu nostro, non adest dos, non adsunt causae canonicae, nulla adest utilitas, e contra plura et gravia incommoda oriri possunt, dismembratio Ecclesiae parochialis S. Ioannis B. perquam odiosissima fieret, et ideo non concedenda.

Ex adverso patronus qui contendit sententiam Curiae Archiepiscopalis Syracusanae confirmandam esse, quaestionem sub duplici respectu considerat, iuris nempe et facti. — Sub primo respectu patronus appellat tum ad decretalem celeberrimam Alexandri III « *Ad audientiam nostram* » *Lib. 3 Decret. Tit. 48 De Ecclesiis aedificandis* tum ad decretum Trident. *Cap. 4, Sess. XXI.* In citata decretali haec habentur : « Ad audientiam nostram noveris pervenisse quod villa quae dicitur H tantum perhibetur ab Ecclesia parochiali distare ut tempore hiemali, cum pluviae inundant, non possint parochiani sine magna difficultate ipsam adire : quia igitur dicta Ecclesia dicitur reditibus abundare

quod praeter illius villae proventus minister illius valeat sustentationem habere, mandamus, quatenus si res ita se habet, Ecclesiam ibi aedifices et in ea, sacerdotem, sublato appellationis obstáculo, ad praesentationem rectoris Ecclesiae maioris cum canonico fundatoris adsensu instituas, ad sustentationem suam eiusdem villae obventiones ecclesiasticas perceptarum : providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiae servetur... Si vero persona Matricis Ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud impedire voluerit, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci et virum bonum, appellationis cessante refugio, instituere nonomittas ». In praedicto Capitulo IV Concilii Tridentini ita statuitur : « Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus iuxta formam constitutionis Alexandri III quae incipit *Ad audientiam* constituere possint ».

Igitur iuxta leges expositas duae sunt causae dismembrationis, scilicet distantia vel aliud impedimentum quo fideles non sine gravi incommodo ad Ecclesiam parochialem accedere possunt. Notat Fagnanus (Capit. *Ad audientiam)* hoc impedimentum undecumque provenire posse, et Tridentinum alternative locutum esse, nempe ob locorum distantiam sive difficultatem, ita ut alterutrum sufficiat.

Ulterius Tridentinum Concilium duos casus fingit: primum quod ita populus sit numerosus ut parochus per se illum gubernare nequeat, alterum quod propter distantiam loci vel aliam difficultatem fideles difficillime ad parochiam

accedere possunt. Primo in casu coadiutores parocho adiungendi sunt, altero in casu parochia absolute dismembranda est. Bouix *De Parocho p. 2, cap. 4, prop. 6.* Etenim si nequeat Episcopus novam parochiam, dismembrata antiqua, erigere nisi in casu quo satis consuli non possit parochianis nimium distantibus per capellani vel vicarium apud ipsos commorantem, vix videtur quandonam dismembrationi locus esse possit ut ait Bouix loco citato. Ita etiam sentit Pignatelli *Tomo 4, Consult. 230, N. 9;* ita Van-Espen *Ius Eccl. Univers. P. II, Sec. II, Tit. IL Cap. III, N. 30.* Verum etiamsi Tridentinum Consilium statuerit coadiutores parocho esse assignandos propter magnum numerum parochianorum, tamen Romani Pontifices ita interpretati sunt Tridentinam legem ut quoties parochianorum num. 30,000 excedat, ipsis per novae parochiae erectionem consulatur. Patronus recolit constitutionem Pii VI *Quod aliquantum,* diei 10 martii 1791, qui Pontifex declarat, parochias vires unius parochi excedere cum sexmille parochianos contineant, ac iubet novam parochiam erigi.

His theoretice constitutis patronus notat, hodiernam iurisprudentiam quam maxime parochiarum divisionibus favere, qua in re plures citat Sacrae Congregationis Concilii decisiones, ita v. g. in Aquinaten. *17 martii 1827;* in Comen. *5 dec. 1750,* in Nolana *3 febr. 1758,* etc. Plura etiam habentur exempla dismembrationum propter populi numerum, ut videre est apud Acta S. Sedis *Vol. 17, pag. 280* in Sypontina; ita in causa *diei 25 ian. 1879* in qua duae causae afferebantur dismembrationis, nempe distantia quae non excedebat unum milliarium, et auctus numerus 20,000 incolarum. Imo iuxta hodiernam iurisprudentiam non solum propter Ecclesiae necessitatem, sed etiam propter fidelium tantummodo utilitatem ad parochiarum divisionem devenitur : ita testantur Acta S. Sedis *Vol. X, pag. 72, et p. 273; Vol. VIII, pag. 525; Vol. IV, pag. 270.*

His constitutis in iure, patronus ad facti quaestionem descendens sibi probandum assumit 1. in casu canonicas ad-

esse causas quibus ad parochiae S. Ioannis Bapt. in civitate Ragusana divisionem deveniatur; 2. Archiepiscopum in hac divisione peragenda iuxta iuris praescriptiones processisse. - Quoad primum patronus sese refert ad Archiepiscopi Syracusani sententiam, in qua huiusmodi causae iuxta allata documenta describuntur. Et primo quoad statum viarum refertur, vias difficiles esse per totum districtum parochiae erigendae usque ad parochiam S. Ioannis Bapt.; adeo ut hieme ob profundissimum lutum viarum, et aestate propter pulverem, sub aestu solis, oculis et faucibus infestissimum, 'sine magna difficultate incolae ad ecclesiam S. Ioannis Bapt. accedere non possint. Quoad distantiam, ex remotiore supra memoratae regionis parte usque ad ianuam principalem Ecclesiae parochialis S. Ioannis, distantia viarum intercedit quae non longe abest a milliario : quae plurimi facienda sunt, non solum quia ex decisione S. C Conc. *diei 25 ianuarii 1879* in Ianuen. *Dismembrationis,* minor distantia milliarii ad dismembrationem obtinendam sufficit, sed etiam attenta indole fidelium in civitate Ragusana quae ad extremas Italiae meridionalis oras pertinet. Addatur hactenus in una parochia triginta tria millia incolarum contineri. Nec ad capellanorum subsidiarium remedium recurrendum est. Nam praeterquamquod hoc contra Tridentini Concilii dispositionem esset, Archiepiscopus testatur experimentum capellanorum quindecim in parochia S. Ioannis constitutorum ostendisse, tale remedium in casu esse omnino insufficiens, quodque iurata testimonia pluribus documentis rite redactis ac in actis causae extantibus ostendunt.

Advertit Archiepiscopus Ecclesiam *Ecce Homo* bene instructam esse, eiusque redditus ad libellas 300 pertingere. Praeterea advertere praestat, facta divisione, novam parochiam continere 13,485 parochianos; veteri autem parocho superesse numerum 19,099 incolarum.

Animadvertit deinde patronus ad subscriptiones quae adversariis contra novae parochiae erectionem exhibentur

vel falsas esse, vel dolo obtentas. In specie quoad subscriptionem *Delle Dame di S. Vincenzo* notat patronus, maiori ex parte has ad praedictam congregationem non pertinere; ex mulieribus quae subscripserunt alias neque in civitate Ragusana domicilium habere, alias nec ad annum aetatis quintum pertigisse; dum mulieres congregationis Sancti Vincentii vix sexaginta numerantur, in subscriptione adversariorum ad numerum 106 pertingunt. - Exhibet patronus subscriptionem 26 sacerdotum civitatis Ragusanae, qui enixe rogant ut Archiepiscopalis sententia confirmetur. Nec desunt in actis subscriptiones favore dismembrationis ; sed notat patronus, fideles monitis Archiepiscopi obsequentes a quaerendis subscriptionibus abstinuisse. Demum ait patronus, non esse praetermittendum, ecclesiam matricem S. Ioannis Bapt. non plusquam tria millia fidelium continere posse, ita ut non sine pudoris offensione in maioribus solemnitatibus tanta populi multitudo ibi congeratur. Concludit inde patronus in casu canonicas adfuisse causas quibus propter animarum utilitatem ad divisionem Parochiae S. Ioannis Bapt. procederetur.

Postremo patronus ostendit, Archiepiscopum Syracusanum solemnitates iuris servavisse in divisione parochiae peragenda. Ipse enim consensum canonicorum unanimem habuit; sententiam non solum a parocho S. Ioannis Bapt. petiit, sed etiam a sex procuratoribus eiusdem parochiae, ex quibus tres pro erigenda, tres vero pro non erigenda nova parochia votum tulerunt. Populus etiam per legitimos. suos curatores, ut patet ex deliberatione municipali diei 6 februarii 1901 votum cum instantia pro erigenda nova parochia tulerat. Insuper omnia acta modo iudiciali confecta sunt; procuratores utriusque partis sunt constituti, eiusque datus est terminus ad documenta exhibenda, ad discussionem definitivam faciendam. - Ulterius congrua 500 libellarum annuarum a consiliariis municipalibus, habitis comitiis die 13 maii 1901, tribus tantummodo abstinentibus, assignata est, donec « *non ne assumerà l'incarico Vammi-*

nistrazione del Fondo per il Culto a termine dell'art. 28 N. 4 della Legge 7 luglio 1866 Numero 3036, e dell'articolo 1 della Legge 4giugno 1899 N. 191 ». Haec congrua, ut notat Archiepiscopus, est certa, perpetua et sufficiens ; certa quia exhibet summam 500 libellarum annuarum parocho solvendam ; perpetua quia municipium Ragusanum illam solvere tenetur ex iustitia ob titulum legalem aboletorum iurium quartae funeralis, donec administratio Fundi Cultus maiorem congruae summam rependat; sufficiens sicuti eadem summa sufficiens pro parocho S. Ioannis Bapt. recognoscitur, et etiam quia alia emolumenta parochialia addenda sunt quae medium reditum minorem libellis 400, duce experientia, praestare nequeunt. Tandem limites novae parochiae iam definiti sunt ut ipse Archiepiscopus testatur. Postremo tandem ad quamcumque contentionem circa congruae assignationem vitandam, oeconomus novae parochiae *Ecce Homo* ad Archiepiscopum Syracusanum et ad hanc S. Congregationem declarationem misit, qua se obligat ad constituendam praedictam dotem in proprio praedio *Giubiliana* quod in Ragusae territorio reperitur.

Finem orationis suae imponit patronus notando iam a die 24 augusti anni 1901 Archiepiscopalem sententiam divisionis executionem habuisse. Parochia enim *Ecce Homo* per sacerdotem oeconomum regitur, et quidem independenter omnino in omnibus a parochia S. Ioannis, et ut Vicarius foraneus et Syndicus testantur, omnia bene procedunt sine turbis, sine dissidiis, imo maxima cum populi laetitia et utilitate.

Quibus animadversis, propositum fuit sequens enodandum

Dubium

An sententia curiae Archiepiscopalis Syracusanae sit confirmanda et infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 28 Martii 1903 censuit respondere: *decretum esse confirmandum et ad mentem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

THELESINA seu C KRRETANA

DECIMARUM

Die 22 Augusti 1902.

COMPENDIUM FACTI. In dioecesi Thelesina seu Cerretana parochi et alii beneficiati praeter Cathedraticum persolvunt Episcopo quotannis quartam Episcopalem seu uti dicunt quartam decimam. Huius taxae solutionem renuebat sacerdos Iadanza parochus S. Martini in Solopoca qui et aliam controversiam eodem tempore habebat cum Clero ecclesiae SS. Corporis Christi eiusdem Oppidi quoad funera et alias functiones iam alibi expositam.

Episcopo qui ad S. Congr. Episc, et Regul. recursum obtulerat pro coercitione parochi, die 4 Febr. 1902 responsum fuit, ut ipse *uteretur iure suo:* Episcopus ad tramites huius decreti comminatus est parocho Iadanza suspensionem a divinis ipso facto incurrendam, nisi intra octo dies quartamdecimam persolveret, quae in tenui summa libell. 17 constabat. Ab hac Episcopi poenali dispositione parochus appellationem interposuit ad eamdem Sacram Congregationem .

Disceptatio Synoptica

PRO PAROCHO S. MARTINI. In primis parochus Iadanza. praemisso se promptum esse ad parendum S. Congregationis resolutioni, conqueritur sibi documenta non fuisse communicata ab Episcopo potius ad S. Congregationem transmissa. Proprius deinde ad suam intentionem probandam accedens contendit suam paroeciam immunem esse debere ab huiusmodi onere ex duplici ratione. 1.° Quia huic taxae paroecia numquam fuit subiecta, ceu sacerdotes, et plures op-

pidi cives deponunt a quo oppido ipse ante consecutionem paroeciae erat extraneus et alienigena. 2.° In liquidatone congruae, licet ipse Episcopi attestationem circa hanc taxam Administrationi fundi cultus exhibuerit, tamen haec attestatio fuit reiecta, quia ex inquisitione peracta a Regio Subeconomo Beneficiorum vacantium compertum est paroeciam huic oneri minime esse obnoxiam.

RATIONES PRO EPISCOPO. EX adverso huic oneri subiacere paroeciam S. Martini resultat tum ex conventione inita an. 1698 inter Episcopum Thelesinum Sabino et parochos et Collegiatas ecclesias Thelesinae seu Cerretanae dioecesis et ex legibus synodalibus in quarum extrema nempe an. 1893 haec adest particula : *Quod de Cathedratico, idem de quarta Episcopali est dicendum, quae cum Cathedratici naturam induat, iisdem ac illud subiacet legibus.*

Insuper Episcopus huius oneris existentiam probat ex sententia supremae Aulae Neapolitanae prolata contra Administrationem Fundi Cultus et publicata die 12 Maii 1879. Administratio praetendebat bona Collegiatarum Thelesinae dioecesis a se usurpata immunia esse debere a tali taxa: sed supremum tribunal recognovit dictam praestationem esse onus reale, et hinc administratio causa cecidit. Demum Episcopus adnotat super has praestationes se diversas taxas persolvere, quod profecto non contingere, si non constaret de iuridica existentia et obligatione praestationum: praeterea hae recensentur in inventario bonorum mensae tamquam activum caput : hinc nullatenus ambigi potest de obligatione parochi ad praefatam praestationem persolvendam.

Hisce utrinque propositis sequens concinnatum est

Dubium

An parochus S. Martini oppidi Solopaca dioecesis Thelesinae seu Cerretanae teneatur ad solvendam Episcopo Dioecesano quartam decimam in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die 22 Augusti 1902 causa discussa, rescripsit. *Affirmative et amplius.*

THELESINA seu CERRETANA.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 22 Augusti 1902

COMPENDIUM FACTI. In oppido Solopaca dioecesis Thelesinae seu Cerretanae praeter duas ecclesias paroeciales Sancti Martini et S. Marci adest ecclesia receptitia SSmi Corporis Christi, a Paroeciis fere independens et proprium habens clerum. Ipsa in oppido videtur ab antiquo fuisse unica ecclesia tumulans quia haec tantum habebat sepulturas : sed quidquid sit, certum est, uti asserit Episcopus Thelesinus, quod a duobus saeculis inibi exequiae, funera et anniversaria defunctorum celebrantur. Parochi, quamvis Clero recepti ti o adscribi nequeant ex statutis, tamen cum aliis sacerdotibus de adventitiis participant, et habent insuper ita dictum *Ius Benedictionis* distinctum a quarta funeraria quae semper eis fuit denegata.

An. 1898 renuntiato parocho S. Martini sac. Antonio Iadanza, ab eo in propria ecclesia coeptae sunt peragi exequiae et aliae fúnebres functiones : contra quam agendi rationem cum Cappellani Ecclesiae Corporis Christi réclamassent, Episcopus Thelesinus novo parocho S. Martini interdixit fúnebres functiones fieri in propria ecclesia sub poena *suspensionis ipso facto incurrendae.* Ab hoc decreto parochus Iadanza appellationem interposuit ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

Disceptatio Synoptica

ALLEGATIONES CLERI ECCLES, RECEPTITIAE SS. CORPORIS CHRISTI. Harum summa haec est. Primo tum ex attestatione Syndici tum ex depositionibus iuratis Vicarii Foranei et Archipresbyteri D'Amore et aliorum civium oppidi Solopaca nec non ex paroeciarum regestis liquido constat in praefata ecclesia tantum ante erectionem publici coeme-

terii a tempore hominum memoriam excedente extitisse sepulturas pro cadaveribus humandis in eaque tantum exequias et funera fuisse persoluta. Quin imo parochus Iadanza non diffitetur in ecclesiis paroecialibus a saeculo cum dimidio defunctos non fuisse sepultos.

Insuper clerus suum ius probat conventione inter ipsum et parochos inita an. 1872. Vi huius conventionis parochos quamvis ecclesiae receptitiae non adscriptos tamen concessum est eos intervenire et participare in funebribus functionibus, sicuti clero permissum est adesse et participare adventitiis functionibus quae in duabus paroeciis celebrantur. Hanc conventionem actualis Episcopus addit a suo praedecessore fuisse approbatam, siquidem hic statuit in functionibus adventitiis celebrandis tum in ecclesia receptitia tum in paroeciis singulos de clero adesse debere, quamvis hoc decretum in Archivio Episcopali desideretur. Quoad comminatam parocho Iadanza Episcopus observat eam fuisse transitoriam provisionem ad scandalum removendum.

Hoc in facto : in iure autem quamvis canonistae tradunt parochos pro funeribus suorum paroecianorum habere intentionem fundatam in iure,. tamen nil vetat quod haec iura contraria consuetudine seu proprius praescriptione amitti possint : quidquid enim esse potest obiectum conventionis, id etiam est obiectum praescriptionis. In specie autem quoad funera *Ferraris in Bibl. can. ver.* Quarta funer. *n. 3,* docet sufficere praescriptionem quadragenariam. Proinde in themate nihil obstaret, etiamsi antiquitus ecclesia S. Martini proprium habuisset coemeterium.

IURA PAROCHI IADANZA. EX adverso parochus S. Martini observat sibi paroeciam collatam fuisse *cum omnibus honoribus, oneribus et iuribus,* uti legitur in Bulla collationis. Iam vero haec Bulla irrisoria esset, admissa praetensa consuetudine et deinde sequeretur quod parocho onera restarent, et emolumenta funerum cum accessorii s cederent capellanis ecclesiae receptitiae, quin hi nullum onus portent quod non videtur aequitati respondere. Hic parochus ad-

vertit quod praefata Comunia est a Gubernio suppressa et nunc tantum duo cappellani supersunt, quamvis alii creati sint sed ad honorem.

Insuper parochus Iadanza profert decretum Episcopi Thelesini De Rusticis diei 12 Ianuarii 1638 ex quo patet capellanis seu Clero praefatae ecclesiae privilegia concessa fuisse *salvo iure parochi.* Hinc parochus contendit sibi competere quartam funerariam in casu electionis sepulturae factae a suis fìlianis in ecclesia SS. Corporis Christi. Ad destruendam autem consuetudinem immemorialem, ipse proponit depositionem iuratam nonnullorum civium, qui recordante coemeterium paroeciale extitisse antiquitus in area prope ecclesiam, super qua nunc exurgit domus cuiusdam Scutillo.

In iure recoli potest quod parochi pro funeribus parochianorum vel saltem pro quarta funeraria fruuntur iuris assistentia; hinc pro se haec iura praetendenti, onus probandi incumbit. In themate capellanorum argumenta non satis firma videntur. Ipsi potissimum innituntur consuetudini immemoriali; sed praeter quod, ea consuetudo dici nequit immemorialis ad superius a parocho tradita, caret etiam requisito rationabilitatis. Non videtur enim esse rationi consentaneum ut parochus portet pondus diei et aestus, et cappellani ecclesiae receptitiae percipiant emolumenta et obventiones. Insuper exclusiva tumulatio et hodie ob publica coemeteria expositio et funus tantum in ecclesia Sanctissimi Corporis Christi impediret fideles ab electione sepulturae, quae iuxta canones libera omnino esse debet.

Tandem nullum pondus tribui debet conventioni initae inter parochos et clerum ecclesiae receptitiae super qua videtur se Episcopus Thelesinus fundare : praeter quam quod ea videtur destitui charactere authenticitatis, insuper ea fuit personalis et nequit ligare successores.

Quibus praehabitis propositum fuit sequens

Dubium.

An et quomodo servanda sit consuetudo in oppido Solopaca favore ecclesiae receptitiae SS. Corporis Christi in-

ducta quoad ius levaridi cadavera, quoad, funera anniversariae exequias et alias eiusmodi functiones in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Episcoporum et Regularium die 22 Aug. 1902 re mature discussa respondit: *Affirmative et amplius.*

EX SECRETARÍA BREVIUM

PROROGATIO privilegii Bullae Cruciatae pro Ditione Hispanica,

Dilecto in Christo Filio Nostro
Alphonso XIII Hispaniarum Regi Catholico.

LEO PP. XIII.

Charissime in Christo Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Dum infidelium furor catholicos Principes et populos continuis bellis agitaret ac variis Europae regionibus ipsique Italiae extremum, discrimen cum animarum pernicie minitaretur, ad tantum periculum prohibendum Philippus II, Hispaniarum Rex catholicus, ab hac S. Sede Apostolicas literas accepit, quibus plures gratias favoresque tum spirituales tum temporales ad certum annorum intervallum tribuebantur iis ex Hispanica ditione fidelibus, qui ad praelia contra infideles proficiscerentur aut militares illas expeditiones peculiari ope aut contributo in expensas necessaria pecuniae summa iuvarent. Quod quidem Indultum nonnullis additis seu declaratis saepius a Romanis deinceps Pontificibus Decessoribus Nostris ac semel atque iterum prorogatum fuit, nulla licet urgente contra infideles praeliandi necessitate, eo tamen consilio ut eleemosynae ex concessionibus in Indulto comprehensis collectae ad pios usus erogarentur. Porro in solemni de Ecclesiasticis negotiis conventione quae cum Hispaniarum Regina Catholica, die XVI Martii anno MDCCCLI inita, similibus litteris Apostolicis nonis Septembris eiusdem anni confirmata fuit, articulo XL cautum est ut in posterum, in ditione Hispanica, Ordinarii Praesules Bullae Cruciatae proventus in sua quisque Dioecesi ad-

ministret ad eos usus erogandos iuxta normam in ultima prorogatione Apostolici indulti praescriptam, salvis obligationibus quibus iidem proventus, vi conventionum cum S. Sede initarum, obnoxii sunt; in conventione autem additionali inita die xxv Augusti anno MDCCCLIX expresse cautum fuit ut in posterum Bullae Cruciatae proventus omnes, salva eorumdem parte S. Sedi ut superius debita, in expensas divini cultus exclusive impendi debeant. Quod vero attinet ad Apostolicas facultates adnexas officio Commissarii Generalis Bullae Cruciatae et consequentes attributiones in eodem solemnis Conventionis articulo XL. statutum fuit ut illae per Archiepiscopum Toletanum ea amplitudine et forma exerceantur, quas S. Sedes praeflniverit. Iam vero cum memoratae Bullae Cruciatae Indultum novissime a Nobis prorogatum prima S. Adventus Dominica proxima praesentis anni MDCCCCII finem sit habiturum, per tuum apud S. Sedem oratorem Catholicae Maiestatis tuae nomine preces Nobis sunt exhibitae ut illud denuo de Apostolica Nostra auctoritate prorogare velimus. Nos igitur considerantes proventus, qui ex eodem indulto colligendi sunt in expensas divini cultus fore insumendos, et in levamen Hispanicarum Ecclesiarum quae ex praeterita temporum acerbitate tot tantisque detrimentis affectae sunt; desideriis tuis, quantum in Domino possumus, obsecundare decrevimus. Quare, Apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium litterarum ad duodecim annos tantum quia prima S. Adventus Dominica proximi futuri anni effluere incipient, concedimus et indulgemus ut Christifideles utriusque sexus in Regno Hispaniarum et in insulis aliisque locis etiam ultramarinis civili ditioni Maiestatis tuae subditis commorantes, vel ad regnum insulas et loca eadem divertentes, qui intra annum a consuetis publicationibus harum earumdem litterarum de more computandum, sponte contulerint eleemosynam ab Archiepiscopo Toletano in officium Commissarii Generalis subrogato et harum litterarum executori pro vario eorumdem Christifidelium gradu et conditione taxatam et in supradictos pios usus erogandam, gratiis favoribus et privilegiis frui possint quae nunc declarabimus. De hisce vero ab executore praedicto summarium conficiendum erit quod unusquisque ex commemoratis Christifidelibus accipere debebit ut privilegiis, favoribus gratiisque perfrui queat.

I. Ac primum quidem iisdem Christifidelibus omnibus et

singulis qui vere poenitentes peccata sua intra annum praedictum confessi fuerint et SSmum Eucharistiae Sacramentum devote susceperint, aut si non valeant haec Sacramenta suscipere, id saltem corde contrito desiderent; Plenariam omnium et singulorum peccatorum indulgentiam et remissionem, quae proflciscentibus ad recuperationem Terrae Sanctae concedi solet, tribuimus ac largimur. Eos tamen qui peccata sua confiteri non possint, et si id contrito corde desiderent, supradicta Plenaria indulgentia tunc solum frui posse statuimus, si alias intra praescriptum cuique fideli ab Ecclesia tempus confessi sint neque in huius Nostrae concessionis confidentiam praeceptum illud explere neglexerint. Item eadem indulgentia suffragantur per modum suffragii etiam animabus defunctorum pro quibus Christifideles eleemosynam de bonis suis ab Archiepiscopo Toletano taxandam et in supradictos pios usus erogandam contulerint.

II. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus praedictis ut ipsi, dicto anno durante, possint in Ecclesiis in quibus alias divina officia interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato oratorio ad divinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitando et designando, etiam tempore interdicti cui ipsi causam non dederint vel per eos non steterit quominus admoveatur et illi qui facultatem ad id ab harum litterarum executore alias habuerunt, etiam per horam antequam illucescat dies et per horam post meridiem, in sua et familiarum ac domesticorum et consanguineorum suorum praesentia, missas aliaque divina officia per se ipsos, si presbyteri sint, vel per alium celebrari facere ac tempore interdicti illis interesse, clausis ianuis et non pulsatis campanis, et excommunicatis et specialiter interdictis exclusis, ita tamen ut si privato oratorio ad praemissa uti voluerint quoties id fecerint aliquas preces Deo pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, propagatione Catholicae Fidei, pace ac concordia Christianorum Principum, haeresum extirpatione, peccatorum conversione fundere teneantur, nec non durante huiusmodi interdicto Eucharistiam et alia Sacramenta in dictis ecclesiis vel oratorio, praeterquam in die Paschatis, recipere, ipsorumque Christifidelium tempore interdicti huiusmodi decedentium eorpora, nisi forte excommunicationis vinculo innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepeliré valeant.

III. Insuper ut intra limites tantum Hispanicae ditionis, non autem in aliis locis iidem Christifideles praedicto perdurante anno tam quadragesimalibus quam ceteris eius anni diebus quibus usus carnium, ovorum et lacticiniorum prohibitus est, iisdem ovis et lacticiniis atque etiam carnibus de utriusque tamen medici consilio, si necessitas vel infirma corporis valetudo aut alia quaecumque indigentia exegerit, uti et vesci, servata scilicet in reliquis ieiunii lege, libere ac licite valeant, Apostolica pariter auctoritate concedimus et indulgemus. Verum ad quadragesimale tempus quod attinet ab hoc indulto exceptos volumus Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Praesulesque inferiores, nec non regulares Ecclesiasticos Ordinum non militarium et Presbyteros saeculares qui ad sexaginta annorum aetatem non pervenerint.

IV. Item iisdem Christifidelibus, dicto durante anno, quoties extra dies ieiunio consecratos voluntarie ieiunaverint, aut a ieiunio legitime impediti, pium aliud opus sibi a Parocho vel Confessario praescribendum peregerint et pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, propagatione Catholicae fidei, pace ac concordia Christianorum Principum, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, pias Deo preces obtulerint, quindecim annos et totidem quadragenas indulgentiae et remissionis, dummodo saltem contriti sint, misericorditer in Domino tribuimus, eosdemque participatione donamus orationem, eleemosynarum aliorumque piorum operum quae, ipso illo die quo ieiunaverint, in tota militante ecclesia peragantur.

V. Praeterea Christifidelibus ipsis, dicto anno durante, in singulis diebus stationum Almae Urbis Nostrae quinque ecclesias seu altaria aut in illorum defectum quinquies unum et idem altare, Monialibus vero cuiusvis Ordinis et Instituti regularis ac mulieribus et puellis in quibusvis monasteriis seu conservatorum degentibus, si forte ecclesias non habuerint, capellas ab ecclesiasticis viris earum legitimis superioribus designandas respective devote visitantibus, et in eis pias ad Deum preces ad praedictos fines effundentibus, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes aliis ecclesiis tam intra quam extra moenia memoratae Almae Urbis Nostrae ad quas Stationes fixae existunt concessas, eadem Apostolica Nostra auctoritate misericorditer in Domino concedimus. Immo diebus in quibus etiam pro Stationibus Urbis partialis

tantum data est, concedimus ut memorati Christifideles vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti supra memoratam visitationem peragentes, Plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum et remissionem, unica tamen vice singulis praefatis diebus, lucrare valeant. Omnes autem et singulas indulgentias quae in hisce Apostolicis Litteris conceduntur, animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicabiles decernimus et declaramus.

VI. Iam ut fideles praedicti sanctis indulgentiis facilius frui queant, concedimus ut ipsi bis, hoc est semel in vita et semel in mortis articulo, valeant sibi eligere presbyterum saecularem aut regularem, qui sit confessarius per Ordinarium approbatus, atque ab eo in foro conscientiae a quibuscumque peccatis et censuris cuique Ordinario atque etiam Apostolicae Sedi reservatis, excepto haeresis crimine, et quoad ecclesiasticos excepta etiam censura de qua in Constitutione Benedicti PP. XIV *Saeramentum poenitentiae*, absolvi possint, imposita semper poenitentia salutari aliisque iniunctis quae de iure iniungenda sunt. Insuper ut vota simplicia per Christifideles ipsos emissa, excepto tamen ultramarino castitatis et religionis, ab eodem confessario in alia pia opera, ac adiunctum his subsidium aliquod, executori harum litterarum supradictos pios fines transmittendum, commutari possint, Apostolica pariter auctoritate indulgemus.

VII. Ad haec ut iidem Christifideles non tamen semel, sed bis, singulo ab harum litterarum publicatione anno, supradictam eleemosynam conferre, harum gratiarum summarium sumere atque hinc tam pro se, quam per modum suffragii pro animabus in purgatorio detentis, indulgentias, concessiones et indulta praedicta consequi, eisque, infra eundem annum bis, ut praefertur, uti et potiri addictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, pariter in Domino concedimus.

VIII. Ulterius eidem harum litterarum executori potestatem facimus ut super irregularitate cum his qui ecclesiasticis censuris ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint aut alias se divinis immiscuerint, et super alia qualibet irregularitate ex delicto proveniente dummodo quis in irregularitate huiusmodi per sex menses non insorduerit, et exceptis semper irregularitatibus ex homicidio aut simonia, vel apostasia a fide aut haeresi vel a mala ordinum

susceptione vel ex alio delicto scandalum in populum generante provenientibus dispensare valeat, imposita dispensatis congrua eleemosyna in supradictos pios huius Nostrae concessionis fines impendenda, aliisque iniunctis quae de iure iniungenda sunt. Itemque ut exceptis dignitatibus cuiusvis generis ex Cathedralium aut maiorum ecclesiarum Canonicatibus, nec non beneficiis curam animarum adnexam habentibus, convalidare possit titulos aliorum beneficiorum sub huiusmodi irregularitate susceptorum, et super fructibus ex illis interea perceptis compositionem decernere in eosdem pios fines erogandam.

IX. Eidem facultatem tribuimus permittendi personis nobilibus aut qualificatis ut missas, per horam ante lucem ac per horam post meridiem, per se ipsos, si presbyteri sint, celebrare, vel per alium ipsis praesentibus celebrari faeere valeant.

X. Insuper ut ecclesiasticos viros qui ad restitutionem fructuum beneficiorum simplicium tantum, quae adnexam non habeant animarum curam nec personalem residentiam requirunt, ex omissione recitationis horarum canonicarum tenebantur ad congruam compositionem super iisdem fructibus erogandam pro medietate Ecclesiis vel aliis locis quorum ratione horas praedictas recitare debent et pro altera medietate in supradictos pios fines admittere possit.

XI. Ad haec ut super impedimento occulto affinitatis ex illicita copula provenientis aliqua in eosdem fines eleemosyna iniuncta, dispensare possit cum iis qui matrimonium, altero saltem coniuge in bona fide existente, contraxerint, quo illi matrimonium ipsum, renovato secreto inter se consensu rursus contrahere, ut in eo postmodum remanere licite valeant; atque ut dispensare item valeat ad petendum debitum cum illis qui eiusmodi affinitatem post matrimonium contraxissent.

XII. Eidem quoque executori potestatem facimus ut pro foro conscientiae tantum super iniuste oblatis seu acquisitis, compositionem competentem decernere possit in praedictos pios fines erogandam, dummodo scilicet dominos quibus restitutio esset facienda post debitam diligentiam pro iisdem inveniendis adhibitam, reperire non possint, et praestito a debitoribus iuramento de hac diligentia per eos facta, et dummodo iidem debitores in confidentiam et sub spe huiusmodi compositionis illa non abstulerint seu acquisiverit

XIII. Denique volumus et iubemus ut, iuxta memoratae Conventionis articulum XL necnon iuxta alteram additionalem conventionem anno MDCCCLXIX, Ordinarii per Hispanicam ditionem Praesules, in respectiva sua Dioecesi, eleemosynas seu proventus administrent in visu huiusmodi Nostrae concessionis percipiendas, sic ut administratio huiusmodi ecclesiastica prorsus sit neque laicae potestati obnoxia, hoc est a personis exercenda per dictos Ordinarios nominatis. Et quoniam in praecedentibus indultis atque in novissima Cruciatae concessione a Leone Papa XII Decessore Nostro decreta, statutum fuerat, ut ex eleemosynis inde collectis certae quaedam summae tum Nostris Patriarchalibus templis Lateranensi et Vaticano, tum Apostolico Nuntio ad catholicum Regem, tum Nostrae Secretariae Brevium statis temporibus solverentur: Nos pariter decernimus ut ex pecuniis ex Nostra hac concessione colligendis, eaedem ipsae summae per dictum Archiepiscopum Toletanum eodem prorsus modo persolvantur. Atque ad praecedentium eorumdem decretorum tramites executori eidem mandamus, ut ad solutionem ipsam perficiendam peculiari etiam sponsione rite se obstringat. Item volumus et mandamus ut Archiepiscopus Toletanus summaria typis edenda curet, eaque reliquis Ordinariis iuxta illorum postulationes distribuat. Praeterea Apostolica auctoritate concedimus ut idem Archiepiscopus executor, hasce litteras Nostras in vernaculam linguam vertere, illasque et in eis contenta seu compendium in quibuslibet Hispanicae ditionis locis viva voce seu scriptis aut typis impressis exemplis publicare et enunciare, ac tam ipse quam in respectiva sua Dioecesi unusquisque Praesul, eleemosynas in pias supradictas causas colligere atque idoneos sibi in eam adiutores, necnon depositarios ratiocinatores, aliosque similes officiales servatis tamen quae in praesentis Bullae seu Cruciatae executione ex Sanctae huius Sedis decretis et in utraque Conventione superius memorata servanda sunt, deputare et cum idoneis facultatibus constituere atque praefatus Archiepiscopus ea omnia, quae faciliori earum litterarum executioni visa fuerint, peragere valeat. Haec omnia et singula concedimus et indulgemus, decernimus ac mandamus, non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque **S.** huius Sedis et Conciliorum etiam Generalium Constitutionibus et Ordinationibus,

aliisque decretis quacumque forma editis, quibus omnibus et singulis, illis etiam quorum peculiaris et expressa mentio esset habenda, specialiter ad harum Nostrarum, litterarum effectum et plenissime derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus quoque ut harum litterarum exemplis etiam typis impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae alicuius in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides quae iisdem litteris hoc ipso diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Septembris MCMII, Pontificatus Nostri anno xxv.

A. CARD. MACCHI.

DUBIUM quoad benedictionem duplicis speciei numismatum S. Benedicti.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilecti filii Hildebrandus de Hemptinne, Ordinis S. Benedicti, et Bonifacius Krug Abbas Ordinarius Montis Cassini curavere exponendum Nobis ex benignitate Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum cruces sive numismata a S. Benedicto nuncupata amplissimis indulgentiis fuisse aucta ac ditata. Horum geminas extare species alteram communem et alteram a centenario anno MDCCCLXXX in vulgus diffundi coeptam. Verum cum nonnullae modo ortae sint dubitationes de usu facultatum benedicendi ipsa numismata, eamque aliis veniam delegandi, ut omnis prorsus ambigendi causa tollatur, enixas Nobis iidem dilecti filii preces humiliter adhibuere ut interposita Apostolica Nostra auctoritate decernere idcirco velimus. Nos autem piis hisce votis libenti quidem animo annuentes ut et Nosmet Ipsi Benedicti Patris Ordinem tot tantisque nominibus optime de Ecclesia Dei deque humana societate meritum peculiari amoris charitatisque studio complectamur, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi per praesentes perpetuum in modum concedimus, ut omnes sacerdotes Ordinis S. Benedicti nunc et in posterum simpliciter sive solemniter professi privilegio huiusmodi benedicendi utriusque generis numismata, servatis servandis,

utantur: ut Abbates qui praesunt Congregationibus gaudeant praeterea facultate delegandi sacerdotes saeculares ac regulares ad utriusque numismatum generis benedictionem: ut Abbati Primati atque Abbati Ordinario Montis Cassini praeter iura praecedentibus concessa ius insuper competat tribuendi facultatem quibusdam sacerdotibus ut et ipsi licentiam benedicendi praefatas cruces, seu numismata communia aliis quoque concedere possint. Quam quidem subdelegandi licentiam si agatur de numismatibus a centenario dictis ad originem eorundem numismatum efficacius recolendam penes solum Abbatem Ordinarium Archicoenobii Cassinensis esse volumus et mandamus. Contrariis non obstantibus quibuscumque, praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur Ades quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII aprilis MCMII, Pont. Nostri Anno XXV.

Pro Dno CARD. MACCHI

NICOLAUS MARINI *Subst.*

EX 3. CONGREG. INDULGENTIARUM

DUBIUM quoad indulgentias lucrandas a Surdo-mutis.

Quamvis haec S. C. Ind. Sacrisque Reliquiis praeposita, ut suppleretur impotentiae, qua Surdo-Muti detinentur, recitandi preces ad lucrandas Indulgentias iniunctas, iam providerit per generale Decretum diei 16 Februarii 1852, in quo edixit: « Quod si agatur de privatis orationibus proprii Mutorum et Surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint »; nihilominus Episcopus Chamberiensis animo revolvens Surdo-Mutos nunc perfectiori methodo esse instructos, ut ipsi facilius et uberiori spirituali fructu Indulgentias assequi

valeant, sequens dubium huic S. Congregationi dirimendum exhibuit:

Utrum expediat ut Surdo-Mutis, quin in singulis casibus ad proprium confessarium recurrant, per generale Decretum gratia concedatur acquirendi Indulgentias, iniunctas preces signis, vel mente fundendo, vel tantum easdem legenda sine ulla pronuntiatione?

Emi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 15 Iulii huius decurrentis anni responderunt:

Affirmative; et supplicandum SS.mo pro gratia, firmo manente Decreto generali diei 16 Februarii 1852.

In audientia vero habita ab infrascripto Card. Praefecto die 18 Iulii anni praedicti, SSmus sententiam Emorum PP. approbavit et petitam gratiam clementer elargitus est.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Iulii 1902.

S. CARD. CRETONI, *Praef.*

L. * S.

Pro R. P. D. FRANC Archiep. Amiden., *Secretario*

IOSEPHUS M, Canonicus COSELLI, *Substitutus.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DE EXTENSIONE et interpretatione Bullae Cruciatae pro Hispanis.

Beatissime Pater.

Cardinalis Cyriacus Maria Sancha et Hervàs, Archiepiscopus Toletanus et Patriarcha Indiarum Occidentalium, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, qui Commissarius Bullae Cruciatae in universo Hispaniarum Regno, Sanctitatis Vestrae iudicio nonnullas proposuit immutationes, quas in textu eiusdem Bullae Cruciatae inducere ipsi opportunum videtur.

Mutationes hae sunt:

I. In paragrapho 2.° Bullae ultimo concessae substituenda videntur verbis *etiam tempore interdicti* verba sequentia: *non modo extra tempus interdicti, sed etiam tempore interdicta* Ratio huius mutationis in promptu est, nempe : convenientia finem imponendi theologorum disputationibus, quoad sensum

et extensionem praedicti periodi, quae certe aliqua laborat obscuritate. Nam alii, cum in hispanicam linguam verbum *etiam* vertunt, id significare contendunt *cum,* et exinde inferunt gratiam concessam, non modo extendi ad tempus interdicti, sed etiam ad tempus in quo tale non est declaratum interdictum. Haec sententia est fere communis, ut videre est in auctoribus qui de hac re tractant, eique favet ipsemet Commissarius Apostolicus Cruciatae.

Non desunt tamen qui verbum *etiam* pro *igualmente* hispanice vertunt, ut iuxta eorum sensum gratia, de qua agitur, tantummodo applicari deberet in tempore interdicti, et non extra interdictum.

Quaestio igitur manet solvenda, et facillime ut arbitramur, solutionem acciperet cum simplici mutatione proposita.

II. Item in paragrapho 3.° periodum *Verum ad quadragesimale tempus quod attinet ab hoc indulto exceptos volumus, etc.* ita vel simili modo posset exprimi: *Verum ad quadragesimale tempus quod attinet ab hoc indulto exceptos volumus patriarchas... praesulesque inferiores, necnon Regulares ecclesiasticos, Ordinum non militarium extra claustra commorantes et presbyteros Saecularesj qui ad sexaginta annorum aetatem non pervenerint. Sacerdotes vero Regulares, intra claustra degentes, exceptos tantum volumus hebdomada maiori praeter Dominicam Palmarum.*

Huius mutationis motivum resolutio est S. Congregationis S. Officii die 31 Ianuarii huius anni data in qua decisum fuit, ad consultationem Rmi Commissarii, sacerdotes Saeculares (Regulares dicere deberet) intra claustra commorantes, vi Bullae Cruciatae, ova et lacticinia edere posse, in ieiuniis Quadragesimae, excepta tota hebdomada maiori.

III. Demum paragraphus 5. ita redigi oportet, ut soluta sequentia appareant dubia: « Utrum Christifideles visitationem altarium repetentes in diebus Stationum Urbis, ultra Indulgentiam Plenariam pro defunctis, aliam pro se valeant lucrari. - Utrum Indulgentiae omnes quae in Bulla conceduntur, applicari semper valeant animabus in Purgatorio degentibus ».

Feria quarta die 7. Maii 1902.

In Congregatione Generali feria IV habita ab Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto supplici libello, praehabitoque Reverendissimorum DD. Consultorum Sancti Officii voto, iidem Eminentissimi respondendum censuerunt.

Ad I. Verba *etiam tempore interdicti* respiciunt solum tempus interdicti: ideoque interpretatio extensiva indulti extra tempus interdicti sustineri nequit.

Ad II. Satis provisum per decreta Sancti Officii feriae IV 4 Martii 1891 et feriae IV, 23 Ian. 1901 (1).

(1) Cfr. Analecta Ord. Praed., vol. V. pag. 194.

Ad III. Unicam Indulgentiam Plenariam concedi in casu. Et supplicandum Sanctissimo ut benigne decernere ac declarare dignetur omnes et singulas Indulgentias in Bulla Cruciatae concessas applicari posse per modum suffragii pro animabus in Purgatorio detentis; idque expressis verbis dicatur in Bulla.

Et ad mentem: 1.° Ut Eminentissimo Cardinali Oratori iterum transmittatur exemplar decreti editi feria IV, 23 Ian. 1901. necnon decreti editi feria IV, 4 Martii 1891 relate ad Bullam Cruciatam. 2.° Ut idem Eminentissimus tempore opportuno transmittat ad Supremam hanc Congregationem S. Officii exemplar authenticum Bullae Cruciatae iuxta novam formulam ad quam redigetur.

Insequenti vero feria IV, die 9 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia Pp. XIII, in solita audientia Reverendo Patri D. Assessori S. Officii impertita, habita de omnibus relatione, responsiones Eminentissimorum plene adprobavit, atque ut Indulgentiae de quibus sub N. III defunctis applicari queant suffragii admodum prout ab Eminentissimis fuit propositum, benigne decernere ac declarare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

IOSEPHUS Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

DE FACULTATE dispensandi super impedimento cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum.

Feria VI die 3 Decembris 1902.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis proposito dubio : *Utrum in formulis, quibus concedi solet facultas dispensandi super impedimenta cognationis spiritualis comprehendatur casus cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum, in iisdem formulis non praevisus;* Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Negative; seu non posse qui concessa per praedictas formulas facultate gaudent, super impedimento cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum dispensare, idque communicandum eum omnibus quorum interesse queat, atque in posterum expresse in formulis edicendum. Si quae vero matrimonia cum huiusmodi dispensatione vi earumdem formularum\ concessa forte hucusque contracta fuerint, ad omnem circa eorum valorem quaestionem dirimendam, supplicando SSmo, ut eadem in radice sanata declarare dignetur.*

Et sequenti feria VI, die 5 eiusdem mensis, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, Sanctissimus Do-

minus Noster Leo divina providentia PP. XIII relatam Sibi Eminentissimorum Patrum resolutionem adprobare, et pro sanatione in radice iuxta eorum Eminentissimorum Patrum suffragia benigne annuere dignatus est.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

IOHEPHUS Can. MANCINI S. *R. et U. I. Notarius.*

Quoad facultatem in Ordinariis Missionum pro erigendis confraternitatibus aut piis Sodalitiis Rosarii.

Nel luglio del 1900 dalla S. Congregazione *de Propaganda Fide,* d'intesa colla S. Congregazione delle Indulgenze, furono deferiti alla Suprema Congregazione del S. Officio i dubbii seguenti; I. Se dopo la Costituzione Apostolica *Ubi primum* del 2 Ottobre 1898, e la declaratoria di essa, riportata in *Augustana* del 10 agosto 1899, possa continuarsi dalla S. Congregazione *de Propaganda Fide* a concedere, come per lo innanzi agli Ordinarii delle Missioni da essa dipendenti la facoltà di erigere le Confraternite o Pie Unioni del SS. Rosario colle rispettive indulgenze accordate dai Sommi Pontefici... E *quatenus affirmative ;*

II.""Se agli Ordinarii, che ne vengano rivestiti, sia pur necessaria, per usarne validamente, una speciale autorizzazione del P. Generale dei Domenicani.

Feria IV, die 8 Maii 1901.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, propositis praedictis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ad I. Negative; seu soli R.mo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum vel eius Vicesgerens competere erectionem Confraternitatum, vel etiam Piarum Unionum a SS. Posarlo nuneupatarum; ideoque a nullo alio valide erigi posse, etiam cum solis indulgentiis Confraternitatibus vel Piis Unionibus in genere a S. Sede concessis, vel concedi solitis. Et corrigantur formulae.

Ad II. Provisum in primo.

Sequenti vero feria VI, die 10 eiusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII a R. P. D. Adsessore habita, SSmus resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. Inq. Notarius.*

Quoad facultates Bullae Cruciatae in Hispania relate ad Regulares.

Ad alcuni dubbii, mossi alla Suprema Congr. dei S. Officio dalPEifio Cardinale Arcivescovo di Toledo, Commissario generale della Bolla della Crociata nella Spagna, intorno alle facoltà della detta Bolla, che riguardano i Regolari, la S. C. rispose per lettera come segue:

« In Congregatione habita feria IV. die 4 curr. mens. (Martii 1901) ad examen vocatis dubiis ab Em. Tua positis, litteris datis die 28 Februarii anni elapsi, circa interpretationem novissimi decreti, huius Supr. Congregationis super Bulla Cruciatae, Erîii Dfii Cardinales una mecum Inquisitores Generales decretum ipsum in hunc modum evulgandum mandarunt: *Regulares utriusque sexus, exceptis iis qui voto speciali sunt adstricti, in ieiuniis etiam quadragesimae possunt vi Bullae Cruciatae edere carnes, ova et lacticinia, necnon ova et lacticinia eum piscibus in eadem comestione miscere. Presbyteri vero regulares extra., claustra commorantes, vulgo exclaustrados praeter Bullam Cruciatae et Summarium carnis, teneatur Summarium quoque laeticiniorum suscipere, ut Presbyteri saeculares. At Regularibus intra claustra degentibus, sive sacerdotes sint sive laici sive moniales, sufficiunt Bulla Cruciatae et Summarium carnis, nisi sint ex Ordine Minorum S. Francisci, qui nulla bona possident, quibus sufficit Bulla Cruciatae.*

«Precor E. T. summopere curare, ut hoc decretum, apostolica Summi Pontificis auctoritate firmatum, quo primum possit, publici iuris fiat, eiusque iam publicati exemplar ad me transmittatur in Tabulario supremae Congregationis asservandum.

« Interim impensos, etc. ».

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria V. die 5 Martii 1903.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano aie Ô Martii 1903, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Ferdinand Buisson. La religion, la morale et la science: leur conflit dans l'éducation contemporaine. Paris, Fischbacher 1901.

Jules Payot. De la croyance. Paris, Félix Alean 1896.

Jules Payot. Avant d'entrer dans la vie. Aux instituteurs et aux institutrices, conseils et directions pratiques. Paris, Armand Colin 1901.

P. Sifflet. Cours lucide et raisonné de doctrine chrétienne. Les sept mystères chrétiens: Trinité, Péché originel, Incarnation, Rédemption, Eucharistie, Résurrection des corps, Eternité, Souffrance — au regard de la nature, de la raison et de l'irréligion. Lyon, Librairie St. Augustin et Librairie Delhomme et Briguet.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum Secretarium relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit In quorum fidem etc.[1]

Datum Romae die 30 Martii 1903.

ANDREAS CARD. STEINHUBER, *Praefectus.*

Loco Sigilli

Fr. THOMAS ESSER, Ord. Praed.
a Secretis.

Die 1 Aprilis 1903 ego infrascriptus Mag. Cursor um testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Cw*s.*

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EX SECRETARIA BREVIUM

INDULTUM delegandi sacerdotes ad Benedictionem Apostolicam Monialibus in articulo mortis tribuendam.

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dum Nobis nihil sit antiquius, quam ut fideles in maximo instantis mortis discrimine obversantes, spiritualibus gratiis muniantur, oblatis Nobis tuo nomine precibus annuendum ultro libenterque censuimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB, Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, tibi, Venerabilis Frater, veniam largimur, ex qua omnes et singulos dioecesis tuae Metensis sacerdotes tibi benevisos, et qui sint ad sacramentales confessiones excipiendas rite probati, delegare licite queas ad Benedictionem Apostolicam Monialibus in mortis articulo tribuendam, ita ut cum respectivi Monasterii confessarius ordinarius sive absit, sive alio iusto ac rationabili impedimento laboret, quoties in quolibet dioecesis huius tuae Metensis asceterio quaevis Monialis in mortis articulo reperiatur constituta, sive sit ex illis quae episcopalem clausuram servant, sive ad eas pertineat Congregationes quae clausura carent, si vere poenitentes et confessae ac S. Communione refectae, vel si id facere nequiverint, saltem contritae, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, toties per unumquemque e dictis presbyteris a te semel vel pluries, et quandocumque opus fuerit eligendis, delegandis, deputandis, Apostolicam Benedictionem cum Plenaria addita Indulgentia recipere item licite, servatis servandis ac iuxta ritum formulamque praescriptam, possit ac valeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus durante

tuo in dioecesi Metensi pontificatu, non tamen ultra quinquennium hinc proximum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Novembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Pro Domino Card. MACCHI

N. MARINI, *Substitutus.*

Venerabili Fratri Willibrordo,
Episcopo Metensi.

TOLOSANA

BREVE quo plures conceduntur indulgentiae Pio Operi ab indumentis pauperum nuncupato.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut ad Nos relatum, in Parochiali Ecclesia Sancti Hieronymi civitatis Tolosanae *pium opus ab indumentis pauperum* appellatum canonice erectum existat, cuius piae consorores operam conficiendis pro egenis vestibus sedulo navant studio: Nos ut idem potiora in dies incrementa capiat, de Omnipotentis Dei gratia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis mulieribus quae societatem eamdem in posterum ingredientur die primo earum admissionis, si vere poenitentes et confessae, SSiîium Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam: ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicto pio opere sororibus, in cuiuslibet earum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessae ac S. Communione refectae vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritae nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam : tandem similiter nunc et pro tempore in praefatum pium opus adlectis sororibus quae ut supra admissorum confessione expiatae ac coelestibus epulis refectae, diebus Festis

S. Iosephi Virginis Mariae sponsi, nempe Martii mensis decimonono, ac Iulii mensis nono quo festum agitur S. Elisabeth Portugalliae Reginae, nec non Novembris decimonono quo S. Hungariae Reginae Elisabeth festivitas celebratur, supradictam Parochialem. Ecclesiam S. Hieronymi a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitent, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex praefatis die id agant, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper iisdem nunc et pro tempore pariter memoratae Societatis existentibus sororibus quae corde saltem contrito qualibet e feriis quartis, quae primo loco singulis anni mensibus recurrit, post commune opus eodem in templo curiali benedictioni cum Sanctissimo rite impertiendae adsint, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas: qua vero vice operam egenorum vestibus conficiendis navent, tercentos dies: quoties vero iuxta sodalitii tabulas quodvis pietatis seu caritatis opus exerceant, sexaginta dies item de poenalium numero expungimus. Denique largimur sororibus iisdem liceat si malint plenariis hisce, illa excepta in articulo mortis, ac partialibus indulgentiis, vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ix Februarii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimoquinto.

Pro Dno CARD. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Substitutus.*

BREVE quo Archiepiscopo Taurinensi committitur facultas solemniter coronandi, nomine et auctoritate Apostolica, Imaginem Mariae SS. Auxiliatricis.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Omnium sane templorum quae bo. me. Ioannes Bosco Salesianae Sodalitatis pater legifer ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem provehendam, sedulus a fundamentis excitavit, tum amplitudine cum religione praestantissimum illud censendum est, quod anno millesimo octingentesimo octavo et sexagesimo Augustae Taurinorum Virgini Deiparae praesentissimae christiani nominis adiutrici solemni ritu dedicandum curavit. Statim enim ac illud fidelium cultui patuit ibique ea Beatae Virginis Imago affabre inter Apostolos in obsequium hinc illinc circumstantes depicta cum sceptro in dextera regio et Iesu puerulo laevo ipsius in brachio dulciter sedente, in ara principe fidelium venerationi proposita fuit mirandum prorsus in modum clarum et venerabile evasit. Continuo in ipsius Virginis honorem pia fidelium instituta Sodalitas brevi ad Archisodalitatis dignitatem erecta et pluribus ab hac S. Sede privilegiis aucta et indulgentiis: dein sacrae huiusce Deiparae Imaginis cultus Italiae et Europae fines transgressus, hodie ad omnes fere christiani orbis gentes et singulari Dei consilio mirabiliter prolatus. Praeclara vero atque innumera in fideles ab Opifera Virgine collata beneficia tum tabulae votivae cum peregrinantium concursus luculenter testantur. Haec animo repetentes cum dilectus filius Michael Rua sacerdos et sacrae Salesianae familiae rector supremus suo et universae ipsius Salesianae familiae nomine enixas Nobis preces humiliter exhibuerit ut hoc anno quo Nos feliciter ab inito Pontificatu quintum et vicesimum agimus, percelebrem ipsam Imaginem diademate decorare velimus, Nos quibus nihil antiquius est neque suavius quam ut christiani populi pietas erga Virginem Deiparam magis magisque in dies augeatur precibus huiusmodi annuendum libenti quidem ¿animo existimavimus. Quae cum ita sint omnes et singulos quibus hae literae Nostrae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris

et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et solutos fore censentes, Tibi, dilecte fili Noster, eas tenore praesentium partes committimus ut eam Opiferae Virginis Imaginem puerulum suum ac Servatorem nostrum Iesum ulnis foventem memorato in templo Civitatis huius tuae Taurinensis publicae fidelium venerationi propositam huius anni die perte eligendo solemni ritu Nostro nomine et auctoritate corones ea servata lege nimirum ut sacro utrique capiti tum Virginis tum Pueri Iesu diadema pro dignitate imponatur. Quo vero solemnia huiusmodi vel in spirituali christiani populi emolumentum cedant omnibus ex utroque sexu Christi fidelibus qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti ipso Coronationis die Benedictioni a te Nostro nomine et auctoritate impertiendae iuxta ritum formulamque praescriptam intersint, et similiter in posterum perpetuum in modum die solemnis huius coronationis anniversario a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi Ecclesiam et Imaginem pias devote visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Februarii MCMIII Pontificatus Nostri Anno vigesimo quinto.

ALOIS. CARD. MACCHI.

Dilecto Filio Nostro Augustino S. R. E. Presbytero Cardinali Richelmy ex dispensatione apostolica Archiepiscopo Taurinensi.

BREVE quo in Templo S Ioachimì de Urbe Archisodalitas Eucharistici Cordis Iesu canonice erigitur atque peculiaribus privilegiis ditatur.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admotae Nobis preces nomine dilecti filii Aloisii Palliola e Congregatione SSmi Redemptoris sacerdotis et Rectoris Ecclesiae Sancti Ioachimi Almae huius Urbis praeseferunt, sibi et universae Patrum a Redemptione religiosae familiae in votis admodum esse, ut per Nos eodem in templo pia, titulo Eucharistici Cordis Iesu, Archisodalitas, auctoritate Apostolica instituatur. Nos autem quibus nihil antiquius ac suavius quam ut fidelium sodalitas, quae non dissimili prorsus cultu atque illi -quem Sacro Cordi profitetur, tantum peculiaribus venerationis, amoris et grati ac reverentis animi studiis, illum recolit supremae dilectionis actum quo Redemptor Noster omnes Cordis sui divitias effundens, ut nobiscum ad exitum usque saeculorum moram ageret, adorabile instituit Eucharistiae Sacramentum, in hac Alma Urbe, Catholici orbis centro, sedem nanciscatur condignam, optatis hisce piis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Archisodalitatem Eucharistici Cordis Iesu, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, in Pontificio templo Sancti Ioachimi de Urbe canonice erigimus, eamque consuetis privilegiis quae competunt Archisodalitiis perpetuum in modum ditantes, auctoritate similiter Nostra, hoc anno qua Nos quintum ac vicesimum ab inito Pontificatu annum implemus, illa in sacra aede instituimus, quam structura praenobilem, et mirificis artis operibus insignem, in memoriam Iubilaei Nostri sacerdotalis, universi Orbis fidelium pietas condidit, Nosque commisimus supra memoratae Congregationi Patrum a Redemptione tot tantisque nominibus optime de re sacra meritae. Praeterea eidem Archisodalitati sic Romae per Nos institutae omnes et singulas Indulgentias tam plenarias quam partiales conferimus, ceterasque spirituales gra-

tias quibus aliae eiusdem tituli societates canonice ad hanc usque diem erectae, ex amplissimis atque iteratis Sanctae huius Sedis Apostolicae concessionibus atque indultis fruuntur.

Verum ad perennandam solemnis in hac Alma Urbe Nostra Archisodalitatis istius fundationis memoriam, largimur insuper ut tam ipso primae in Urbe erectionis die, quam perpetuo in posterum anniversario, Archisodalitatis eiusdem nunc et item in posterum pariter existentes socii qui admissorum confessione rite expiati atque Angelorum pane refecti vel propriam Archisodalitatis Ecclesiam, vel cuiusque curialem a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migra verini, per modum suffragii applicare possint, in Domino consequantur. Tandem Archisodalitatis huius sic per Nos in Urbe erectae praesidibus et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates ubique terrarum existentes, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Constitutionibus desuper editis sibi aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitati a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite valeant de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine item perpetuo concedimus atque indulgemus. Decernentes has litteras firmas ac efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo. Piscatoris die XVI Februarii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

A. CARD. MACCHI.

CONSTITUTIO APOSTOLICA qua in insula Cubana eriguntur duae novae dioeceses i. e. Pinar de Rio et Cinfuegos, necnon aliae ordinis disciplinaris dispositiones eduntur.

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Actum praeclare a divina Providentia cum Cubana insula est, quae regio praedives maximeque frugifera, quemadmodum immortali viro Christophoro Columbo patuit e primis, ita maturius lumini christianae veritatis accessit. Quo Deji beneficio celerrime per eas gentes diffuso, Leo X, Decessor Noster, minime dubitavit parochialem ecclesiam S. Iacobi de Cuba in cathedrae episcopalis honorem provehere. Aucto fidelium numero, eadem provinciae caput seu metropolitana declarata est a Pio VII P. M., die XXIV mensis Septembris anno MDCCCIII, subiecta illi sedi Avanensi, quam eiusdem nominis Decessor Pius VI instituerat. Haec vero Pontificum Romanorum haud intermissa sollicitudo, ab iisdemque permissum Hispaniae regibus munus tuendi tam felices insulas, rei catholicae apud Cubanos proximosque incolas talia in dies incrementa attulerunt, qualia vix a confirmatis diuturna humanitate ac religione gentibus expectari possent.

Nuperrime conversus bello reipublicae status in vices quoque religionis influxu His de causis, et sublato hispaniensem regum dominio in Cubanam insulam, plane intelleximus nostri muneris esse, pro ratione temporis earum regionum bono consulere. Itaque Ven. Fratrem Placidum Ludovicum Chapelle, Archiepiscopum Novae Aureliae, illuc misimus cum munere Delegati Nostri Apostolici extraordinarii, qui, rebus diligenter inspectis, quae maxime opus essent, de iis ad Nos accurate referret. Omnibus inde mature perpensis, maximeque animadverso Cubanam insulam inter ceterasque Americae latinae gentes affinitates esse quasdam mutuasque similitudines, idcirco edito pridie Nonas Septembris anni MDCCCCI decreto providimus, ut Cubana insula iisdem legibus contineretur, quae a plenario Concilio Americae latinae latae fuerant, Romae habito anno MDCCCXCIX.

Neque tamen per haec novis necessitatibus occurrisse satis habentes, Apostolicam sollicitudinem ad consilia convertimus

rei catholicae in ea regione ordinandae loco aptius ac tempori. Quamobrem, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationis extraordinariis negotiis praepositae, quae religioni tuendae, provehendae in insula Cubana expedire in Domino visa sunt, per hanc Constitutionem supremo Nostro iudicio pronunciamus.

Ac primum compertum habentes Cubae et Avanae fines tam late protendi, auctisque commerciis sic in dies catholicorum numero affluere, ut utrique episcopo eorum lustratio sit perdifficilis, multiplicandi per eos tractus antistites consilium cepimus. Itaque decernimus, ut Cubanae et Avanensi dioecesibus addantur, *ex ipsis distrahendae.*, sedes Pinar de Rio et Cienfuegos. Harum priori, ad quam tota pertinebit eius nominis regio, fines constituimus ad septemtriones, mexicanum fretum; ad ortum, Avanam provinciam; ad meridiem, aequor Antillarum; ad solem occidentem, Jucatan fretum. Dioeceseos autem Cienfuegos, iis definitae limitibus quibus provincia civilis S. Clarae continetur, hi sunto fines: ad septemtriones, fretum Bakamae vetus; ad ortum, provincia Portus Principis; ad meridiem, aequor Antillarum; ad occasum, provincia Matanzas.

Princeps Cubanae insulae sedes eadem esto quae antea, id est S. Iacobi, cui sedi erunt obnoxiae, seu suffraganeae, praeter iam institutam, quam diximus, S. Cristophori de Avana, etiam novissimae duae, altera Cienfuegos, altera Pinar de Rio. Portoricensem enim dioecesim a vinculo subiectionis metropolitanae ecclesiae S. Iacobi de Cuba solutam, atque interim Apostolicae Sedi immediate subiectam declaramus. Suis autem iuribus, privilegiis, officiis metropolitanus antistes fruetur, tum quae communi sacrorum Canonum et apostolicarum Constitutionum vi obtinent, tum. quae a plenario Americae latinae Concilio descripta sunt. Quibus in exercendis in iisque omnibus quae pastoralis ministerii sunt, pro suo quisque munere, quum metropolitanus antistes tum ceteri episcopi illud maxime curent, ut mutua inter ipsos caritas vigeat, mens omnibus una sit, una in commune bonum conspiratio animorum atque voluntas.

Ecclesiae S. Iacobi de Cuba itemque S. Christophori de Avana sua Canonicorum collegia, seu capitula, servari iubemus, quum propter sacri cultus dignitatem, tum adiuvandi episcopi causa ex praescripto SS. Canonum. Quod si res angustae non sinant eumdem in eo coetu haberi numerum qui antea, sic erunt

partiendi redditus, ut in utroque collegio, post constitutos in dignitate, suppetat unde solvatur pro canonicis decem.

Suis item Capitulis, ubi primum licuerit, ornari denuo constitutas dioeceses Pinar de Rio et Cienfuegos, atque utrumque consilium saltem canonicis decem constare volumus. Interim vero, Collegiis huiusmodi nondum canonice institutis, episcopi sibi deligent ex utroque clero consiliarios viros, qui pietate, doctrina et rerum gerendarum usu prae ceteris commendentur. Hi sacra obeunti solemniore ritu episcopo adstabunt.

In beneficiis ecclesiasticis conferendis vel Canonicis vel aliis sacri ordinis viris serventur leges plenarii Concilii latini Americani et authenticae earum declarationes editae a S. Congregatione Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita ; quibus legibus haud minus ac SS. Canonum decretis Canonici pareant in suis muneribus obeundis.

Quandoquidem vero quae prius erant emolumenta pecuniae aut omnino desierint aut fuerint admodum deminuta, optime sacri cultus decori, cleri necessitatibus aliisque catholicis rebus dioecesium fuerit consultum, si ad SS. Canonum normam et ad memorati plenarii Concilii Americani praescripta provideatur et Ius cathedraticum restituatur; cui quae certa pecuniae vis assignanda sit, in proximo Concilio provinciali aestimabitur.

Quae de hierarchia ordinanda, quae de iuribus, privilegiis, honoribus eorum, qui sunt prae ceteris constituti, Nostris hisce Litteris decernimus, ea quidem et ad optimum christiani populi regimen et ad cultus divini amplitudinem opportuna sunt ac prope necessaria; sunt tamen externa quodammodo. Illud autem interest maxime, ut quibus et fidelis cura gregis et ipsius domus Dei vigilantia commissa est «idonei comprobentur atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae mónita ab eis possint expectari » (1). — Nec pietate solum ac virtutibus Ecclesiae viros eminere necesse est, verum etiam tum sacra tum profana doctrina, conversis hoc maxime tempore ad abditissima quaeque hominum studiis. In hoc igitur episcopis collocanda peculiaris cura est, sacerdotes ut efforment gravissimo pares muneri, quorum opera iuvari maxime christiana plebs possit, tot insidiis circum venta, tot obnoxia periculis. E sacerdotali autem ordine sic instituto et comparato aequum

(1) Conc. Trid., De Ref., Sess. **25,** C. XIV.

est ad maiora negotia eos vocari: « qui, in clericali ordine versati, doctrina ad suum munus exequendum necessaria ac morum integritate commendentur » (1); ad regimen vero animarum, quos aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneos Episcopi iudicaverint (2). — Ceterum sacri ordinis viri, in quovis versentur officio, studiis partium civilium omnino abstineant, iuxta illud Apostoli: « nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus » (3); idque praesertim ne religio sancta, quae cunctis rebus humanis supereminere debet et omnium civium animos mutuae caritatis et benevolentiae vinculo coniungere, officio suo deesse videatur, eiusque salutare ministerium suspectum habeatur. — Etiam amotis huiusmodi concertationibus, patet sane campus catholicae rei iuvandae, potissimum exemplo mutuae concordiae, qua invidia omni et aemulatione depulsa, sacerdotes omnis ordinis « caritate fraternitatis invicem diligentes », possint in unum Christi corpus coalescere, prout habet Apostolus: « multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (4). — Cui retinendae concordiae non minus ac pietati fovendae, a qua interdum externis tot rebus e vagarais animus potest abduci, quum usui maximo sint piae illae exercitationes, quibus rerum divinarum contemplationi vacare licet impensius, curent antistites, ut, statis anni diebus, Ecclesiae viri congregentur ad sanctissimae Religionis documenta et vitae sacerdotalis officia secum reputanda. Ea commentatione, cui consilia succèdent vitae sanctius degendae, atque usu sacramentorum frequenti roborentur, confirmentur. — Denique ut sacrae vigeat disciplinae cultus, habeantur coetus, in quibus quaestiones de moribus de sacrisque ceremoniis agitentur.

Magnum profecto negotium institutio sacri ordinis alumnorum, cuius rei spes ferme omnis est in Seminariis reposita. In eiusmodi ergo domicilia excitanda incumbant episcopi, de iisque gerant sollicitam curam, caventes potissimum ne alii admittantur nisi « quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros » (5). Qua super re

(1) Conc. Trid., De Ref., Sess. 24, C. XII.
(2) Conc. Trid., id. C. XVIII.
(5) II Tim. II, 4.
(4) Ad Rom. XII, 5.
(5) Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 18. *de Ref.*

plura sunt a memorato Concilio plenario Americae latinae declarata sapienter et opportune sancita. Ad spiritualem autem utilitatem totius Cubanae insulae, enixe commendamus Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo multi et praeclari evangelici praecones et animarum rectores, in Urbe totius christiani orbis principe et sub ipsis Romanorum Pontificum oculis, educati fuerunt, plurimique futuri illorum imitatores educantur. Quare volumus, quemadmodum a ceteris Americae dioecesibus, ita etiam ab unaquaque Cubanae insulae saltem binos adolescentes alendos in eo Collegio, non intermissa vice, collocari.

Sedulam quoque sibi vindicant curam scholae adolescentium e populo, praesertim quo tempore imperitorum animi per tot inductos errores, per tot obiecta irritamenta vitiorum facile corrumpuntur. Agitur enim de hominum societate futura tali, qualis an initio processerit, eoque maturius eripienda periculo, quo citius ac paene ab incunabulis impiorum fraudibus circumvenitur. Ex quo nemo est quin intelligat, quanti momenti sit ludos aperire quamplures, iisdem advigilare, in fidem, in mores docentium inspicere. E re autem erit scholas illas maiores, quibus magistri formantur, utrique sexui constituere.

Religiosas Familias, quae in Cubana versantur insula, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate meritas, vix est ut moneamus, ne a pristina laude desciscant; quibus Deo sese votis obstrinxerunt; in iis constent; claustri legem ne frangant; audientes dicto sint praepositis; cum reliquo clero coniunctis viribus conspirent « in aedificationem corporis Christi » (1). Quae vero ad ipsos fere pertinent ministeria, vulgo «missiones», latissimus per haec patet campus fidei adservandae, tuendae, morumque christianae plebis continendorum. Verum, quo uberior inde fructus percipiatur, necesse est in frequentioribus locis religiosas constitui domos, saltem virorum octo, quorum sit munus, quum in urbibus tum in vicis, habere conciones ad populum, ipsumque docere.

Ut actio concors episcoporum in Cubana insula valeat iis, quae communiter opus sint, occurrere satis atque prospicere, maximae erunt utilitatis episcopales coetus, seu Consilia, in quibus de dioecesium necessitatibus deliberetur. Huc spectant, quae

(1) Ad Ephes. IV, il

per S. R. E. Cardinalem a publicis negotiis declaranda curavimus datis Litteris Calendis Maii an. MDCCCC.

Quae praesentibus Litteris constituimus, quae monuimus, procul dubio e sententia procèdent suosque parient fructus, si sacri ordinis viri summo studio curaverint suo ministerio sese dignos exhibere, confirmantes exemplo doctrinam, vere « facti forma gregis ex animo » (1). Oportet igitur iidem sic vitam moresque conforment, ut habitu, incessu omnique re nihil ipsi redoleant nisi « bonum odorem Christi ». Itaque, ad ecclesiasticam disciplinam roborandam, praecipimus, ubi primum nova dioecesium circumscriptio fuerit promulgata, institutaeque sint novae sedes suisque Pastoribus assignatae, ut Ven. Frater Noster Placidus Ludovicus Chapelle, Archiepiscopus Novae Aureliae, Delegatus Apostolicus Cubanae insulae, cui executionem committimus praesentium Litterarum, convocet Provinciale Concilium, eique praesideat, cuius Acta ad hanc Apostolicam Sedem iuxta canonicas praescriptiones mittat.

Quod reliquum est, optima spes tenet, eum quem vehementer cupimus exitum res habituras, et quae Nostris hisce decreta sunt Litteris salutares fructus datura brevi. Hac expectatione erecti, ad Cubanum populum extrema verba convertimus, eum enixe adhortantes ut in fide maiorum perstent invicti, servent unitatem in vinculo pacis, pro suae conditionis ratione, idest filiorum dicto audientium patribus, opera sua sacris Pastoribus praesto sint, Evangelii praeceptis obtempèrent, reipublicae praepositos debito honore prosequantur, «impleant gaudium Nostrum eamdem caritatem habentes unanimes, idipsum sentientes » (2).

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis continentur, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, suosque effectus in omnibus obtinere atque ab omnibus cuiusvis gradus et dignitatis inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus, non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, necnon veterum Sedum Cubanae insulae et Missionum inibi constitutarum et quarumcum-

(1) I^a Petr. V, 3.
(2) II Philip. II, 2.

que Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus ac privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque Contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus, quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declaramus.

Volumus etiam ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, die xx Februarii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

L. * S.

ALOYSIUS CARD. MACCHI.

INDULTUM fruendi Altari privilegiato in Missis ubique celebratis pro defunctis Archisodalitatis Mariae SSmae Auxiliatricis Taurinensis.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Oblatis Nobis a dilecto filio Michaele Rua presbytero precibus benigne annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Ap. Eius auctoritate confisi, per praesentes concedimus ut Missae quae in posterum celebrentur ad quodvis altare cuiusque ubique terrarum existentis Ecclesiae sive publici Oratorii pro defunctis sodalibus rite inscriptis in Archisodalitatem Mariae SS. Auxiliatricis Taurini in Sanctuario cogno-

mine canonice erectam, vel in alias eiusdem tituli atque instituti sodalitates filiales ubique terrarum pariter canonice constitutas, animae seu animabus, pro qua vel quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si forent ad privilegiatum altare rite peractae. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die n Martii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Pro Domino Card. MACCHI.

L. « S.

N. MARINI, *Substitutus.*

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Instructiones et facultates ad annum pro religiosis Virorum Congregationibus in Gallia.

Attentis peculiaribus conditionibus, in quibus religiosae Galliarum Congregationes nunc versantur, nonnulli Moderatores earumdem Congregationum ad Apostolicam Sedem confugerunt petentes opportunas instructiones et facultates quibus animorum anxietatibus et conscientiarum angustiis exinde obvenientibus provideri possit. Quare SSmus Dnus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, re mature perpensa, mandavit per hanc S. Congregationem Episcoporum et Regularium ea quae sequuntur cum Moderatoribus praefatarum Congregationum communicari, scilicet :

I°. Curandum est pro viribus ut Sodales religiosarum Congregationum, qui proprias domos deserere coguntur, ad aliam eiusdem Instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professi sunt, observare satagant.

2°. Quod si aliqui ex dictis Sodalibus, iustis de causis, super quibus Superioris Generalis conscientia graviter onerata maneat, in aliis proprii Instituti domibus recipi nequeant, idem Superior Generalis facultatem habebit, de consensu Consilii Generalitii, eis indulgendi ut extra Instituti domos commorari valeant, sub obedientia Ordinarii loci in quo degent, ad nutum S. Sedis ac ipsius Superioris, in habitu religioso ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri saecularis quoad sacerdotes et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, et servando, quantum fieri potest, substantialia votorum; impertita dumtaxat dispensatione super regulis sive obligationibus cum eo statu non compatibilibus.

3°. Iidem Sodales, quamdiu ob enunciatas causas extra domos proprii Instituti commorari contigerit, subiiciantur etiam territoriali provinciali, si agatur de Institutis in provincias iam rite divisis, sin minus Superiori domus vicinioris, qui de ipsorum moribus, quotannis et quandocumque rogatus fuerit, Moderatori Generali referat, et eos, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. — Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 24 Martii 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. * S.

Phil. GIUSTINI, *Secretarius.*

S

nstructiones et facultates ad annum pro religiosis Sororum Congregationibus in Gallia.

Attentis peculiaribus conditionibus, in quibus religiosae Sororum Congregationes in Gallia nunc versantur, nonnulli Sacrorum Antistites, instantibus etiam Moderatricibus earumdem Congregationum, ad Apostolicam Sedem confugerunt petentes opportunas instructiones et facultates, quibus animorum anxietatibus et conscientiarum angustiis exinde obvenientibus provideri possit. Quare SSmus Dnus Noster Leo Divina Povidentia PP. XIII, re mature perpensa, mandavit per hanc S. Congregationem Episcoporum et Regularium ea quae sequuntur cum Ordinariis Galliarum et Moderatricibus praefatarum Congregationum communicari, scilicet:

1. Curandum est pro viribus ut Sorores, quae proprias domos deserere coguntur, ad aliam eiusmodi Instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professae sunt, observare satagant.

2. Quod si aliquae ex dictis Sororibus, ob iustas causas ab Ordinario domus principis examinandas, in alias proprii Instituti domos se recipere nequeant, idem Ordinarius, de consensu

Moderatricis Generalis, eis indulgere poterit, ut apud suos consanguineos vel honestas matronas in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, firmo voto castitatis, servatis substantialibus aliorum votorum, quantum in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus ab ipso Ordinario praescribendis, sub Obedientia Ordinarii loci in quo commorabuntur, ad nutum S. [Sedis et propriae cuiusque Moderatricis Generalis manere licite valeant.

3. Quamdiu autem Sorores ob enunciatas causas extra domos proprii Instituti commorari contigerit, subiiciantur etiam Praepositae Provinciali loci commorationis, si agatur de Institutis in Provincias iam rite divisis, sin minus Superiorissae domus vicinioris, quae de ipsarum moribus, quotannis et quandocumque rogata fuerit, Moderatrici Generali referat, et eas, quatenus opus fuerit, in **officio** contineat.

Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 24 Martii 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. * S.

Phil. GIUSTINI, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DUBIUM circa fidei professionem emittendam.

Revme Dñe uti frater :

Postulato, in novissima tua relatione status istius dioecesis exhibito, quoad fidei professionem a parochis emittendam, Emi Patres rescribendum censuerunt:

Detur responsum uti in una Tirasonen. *Visitationis SS. Liminum,* diei 11 maii 1782, ad I dubium, quod sic se habet: « An obtinentes beneficium cum cura animarum, dignitates et canonicatus in ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus satisfaciant praecepto S. Concilii Trid. sess. 24, c. 12, de ref., si professionem fidei emittant post susceptam institutionem vel collationem et antequam in possessionem immittantur in casu, etc. Resp. *Affirmative* ». Idque Tibi notificari voluerunt, prout per praesentes exequor.

Interim debito cum obsequio me profiteor A. T.

Romae 23 aprilis 1902.

A. CARD. DI PIETRO, *Praefectus.*

B. CAVICCHIONI, ARCH. NAZIANZEN., *Secretarius.*

Zamoren. Revmo Episcopo.

Die 28 Martii 1903, in Palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda; quaeque sequenti modo resoluta sunt.

PER SUMMARIA PRECUM

I. OSNABUROEN. - DUBIA CIRCA PERCEPTIONEM FRUCTUUM PRAEBENDARUM.

R. *Canonico Cosse ascensum deberi; quoad servitium chorale serventur constitutiones capitulares.*

IL BRIXIEN. - IURIUM.

R. *Decretum Episcopi sustineri; dummodo translatio cappellanorum fiat ad breve tempus et ob Ecclesiae necessitatem; Vicarios vero nominandos esse a Praeposito, et ab Episcopo approbandos, quin necessarius sit consensus capellanorum coadiutorum ; in reliquis serventur Ordinationes Episcopi ab H. S. C. approbatae a. 1877'.*

IN FOLIO

I. BURDIGALEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

R. *In decisis.*

II. MECHLINIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

R. *In decisis.*

III. AQUEN. IN GALLUS. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *(sub-secreto).*

R. *Affirmative.*

IV. PARISIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub-secreto).*

R. *Affirmative.*

V. ANDRIEN. - IURIUM, *(reservata).*

R. *Dilata.*

VI. SYRAOUSANA. - DISMEMBRATIONIS PAROECIAE.

R. *Decretum esse confirmandum et ad mentem.*

VII. NULLIUS S. LUCIAE. - IURIS CONFERENDI ORDINES- SEU DANDI DIMISSORIAS.

R. Ad 1um *Negative.*

Ad 2um *Affirmative, ex speciali gratia favore hodierni Praelati, facto verbo cum SSmo.*

IN FOLIO
Num. I.

BURDIGALEN.

NULLITATIS MATRIMONII (1)

Die 28 Martii 1903.

Sess. 24, cap. 1, De ref. matr.

Haec causa matrimonii, quod Mauritius N. . . . .cum Iosepha N. . . . . . . .17 abhinc annis contraxit, proposita prima vice in comitiis generalibus diei 22 Iunii 1895, sub rogandi formula: *«An sententia Curiae Burdigalen, sit confirmanda vel infirmanda in casu* » ; hoc dimissa fuit responso : « *Sententiam esse confirmandam ».*

Huic responso non acquievit Mauritius, qui novae auditionis beneficium petiit ac obtinuit. Eapropter, causa iterum discussa die 7 Aprilis 1900 sub dubio : « *An sit standum vel recedendum a decisis* », responsum prodiit : « *Ex deductis non constare de nullitate matrimonii, et standum in decisis ».*

Cumque rursum sub eodem dubio quaestio proponeretur in comitiis generalibus diei 27 Aprilis 1901, S. Concilii Congregatio respondere censuit : « *In decisis ».*

Tandem die 20 Decembris 1902 eadem causa reproposita fuit cum novis actis, quibus perpensis, H. S. C. proposito dubio : « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu »* respondendum censuit: *< Attentis noviter deductis recedendum esse a decisis, et sententiam Curiae Burdigalen, esse infirmandum, ».*

Ad tramites Const. Benedictinae « *Dei Miseratione »,* quae non sinit sententiam demandari executioni nisi duae

(i) Cfr. *Acta Sanctae Sedis* Vol. XXVIII, pag. 353; Vol. XXXII, pag. 727 et Vol. XXXV, pag. 321.

obtentae fuerint sententiae conformes, iterum ad H. S. C. redit eadem causa discutienda.

Vinculi defensor, post interpositam appellationem, exarata congrua instructione, rogaverat ut Curia Burdigalen, peractis opportunis investigationibus in tabulario tribunalis *De Blaye*, S. C. edoceret de omnimoda quarumdem litterarum authenticitate.

H. S. C. mandatis sedulo et gnaviter obsequuta Burdigalensis Curia, per nuperrime data documenta, de authenticitate litterarum Iosephae adMauritium plenissime testabatur.

Quibus novis actis rite perpensis, Sacramenti vindex nihil ulterius deducendnm esse declaravit.

Sit igitur

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

R. *In decisis.*

Num. VII.

NULLIUS S. LUCIAE.

IURIS CONFERENDI ORDINES SEU DANDI DIMISSORIAS

Die 28 Martii 1903.

Sess. 23 cap. 10, De Ref.

Compendium facti.

Iam ab anno 1206 civitas *S. Luciae* erecta fuit, uti traditur, in Abbatiam nullius dioecesis atque in Regiam Capellani ab Imperatore Friderico II auctoritate *Legati a latere,* quam Siciliae Reges sibi vindicarunt ob celebrem et

adeo controversam Regiam Legatiam seu Monarchiam Siciliae.

Hinc Abbatia habita est uti vere nullius dioeceseos, utpote distincta a limitrophi s dioecesibus, nempe Lipari tana, Pactensi et Messanensi. Imo Abbati attributum esse dicitur ius conferendi Sacros Ordines, si ipse episcopus esset; vel secus, dandi dimissorias ad quemcumque Episcopum. Haec iura Abbati vindicata et solemniter recognita fuerunt, inter alia, per regium decretum *diei 4 Iunii 1819.*

Sed ex eiusmodi more dandi dimissorias graves abusus exoriri visi sunt, quum ex una parte in Abbatia nimis excrevisset clerus, et ex altera clerici in sacris initiandi, ob Seminarii defectum, neque scientia neque virtutibus sacerdotalibus praestassent.

Quamobrem Episcopi viciniores, autumantes rem non amplius tolerandam esse, ad S. Sedem querelam moverunt, hac etiam ratione freti quod i. e., omnibus perpensis, Abbati S. Luciae ius dandi dimissorias minime competat.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO ABBATIS S. LUCIAE.

Hic percontatus, ut sua iura deduceret, per constitutum procuratorem se defendit.

In primis Abbatis advocatus recolit legem tridentinam Sess. 23, cap. 10, De ref., quae decernit: « Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, *intra fines alicuius dioecesis consistentibus,* etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre : nec ipsi Abbates, et alii exempti aut Collegia, vel Capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae Synodi decretis continentur, ad Episcopos, *intra quorum dioecesis*

fines existant, pertineat : non obstantibus quibuscumque privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus ».

Unde patronus contendit, hanc legem non afficere Abbatiam S. Luciae, quippe quae non *intra fines alicuius dioecesis consistit,* sed *extra fines cuiuscumque dioecesis* ac proinde *vere nullius.*

Praeterea idem advocatus observat, Abbati S. Luciae suffragari saltem immemorabilem consuetudinem, quae tantummodo non iuvaret Abbatias positas *intra fines* alicuius dioecesis, quia iam a septem saeculis usque ad nostram aetatem Abbas S. Luciae dimissoriales litteras dedit. Addit insuper hunc Abbatem privilegio semper gavisum esse ordinandi suos clericos etiam *in sacris,* si episcopali ordine polleret, aut dandi litteras dimissorias *pro quocumque episcopo.*

Hoc enim probare nititur ex privilegiis, quae primitus concessa fuerunt Capellanis Maioribus Regum Siciliae a Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI, Iulio II et Leone X, et dein confirmata pro Neapolitano et Siciliarum Regno a Benedicto XIV Constitutione Iulii a. 1741 *« Convenit »* ac subsequenti *Motu proprio « Cum alias »,* Novembris eiusdem anni. In quibus pontificiis actis habetur quod Capellanus Maior suos clericos ordinare et, quum non sit episcopus aut sit legitime impeditus, dimissorias ad *'quemcumque episcopum* concedere possit.

Immo, urget patrocinator, Reges Siciliae tamquam *Legati a latere* Summi Pontificis, absque ulla S. Sedis confirmatione, leges ecclesiasticas ferebant: « Siciliae Principes, scribit Balsamo (Inst. Iuris lib. 1, tom. 2), quum gaudeant privilegio Apostolicae Legatiae, leges ferre in provinciam possunt suae legationis in clericos atque ecclesias, et causas ecclesiasticas iudicare: perinde possunt punire, excommunicare, aliaque, quae ad legatorum iurisdictionem spectant, peragere ».

Hac fretus auctoritate Imperator Fridericus II, civitate S. Luciae in suam sedem electa , ipsam a dioecesibus Li-

pantana et Pactensi penitus separavit, erexitque in Abbatiam *vere nullius* et in Capellani Regiam. Etiam Carolus I *cFAngiò,* quum Siciliae Regno potitus est, uti *Legatus a latere,* independentiam Regii Capellani Maioris S. Luciae confirmavit.

Quinimo Princeps, tamquam *Legatus a latere,* causam iudicavit Archiepiscopi Messanensis contra facultates a S. Luciae Abbate exercitas insurgentis, atque a. 1676 sententiam in favorem Abbatis ipsius tulit.

Nec dici potest, prosequitur advocatus Abbatis, *Constitutionem Benedictinam* Capellano Maiori Neapolitano tantummodo referri propter conflictus Capellanum Maiorem inter et Archiepiscopum Neapolis exortos. Etenim Benedictus XIV nova iura Capellanis Maioribus non tribuit sed ea tantum servavit, quae iam a suis Praedecessoribus fuerint concessa Capellanis Maioribus Regum Hispaniae, Siciliae et Neapolis.

Ideoque *Rocco Birri,* praerogativis et iuribus Abbatis S. Luciae descriptis, concludit ipsum iisdem polluisse privilegiis, quibus Capellani Maiores Hispaniae et Neapolis; ait enim: « hae itaque series____inde apparent quae sint officia Maioris Capellani propria, ea quidem omnia quibus in Hispania et Neapoli etc... Maiores Capellani fruuntur ». Neque maiorem vim, prosequitur advocatus Abbatis, praesefert altera obiectio, i. e. Capellanos Regios *Caserta* et *Portici* hoc obtinuisse privilegium ex peculiari concessione pontificia. Nam, praeterquamquod dicti Capellani non extiterunt nisi a. 1700 tempore Caroli II *d'Angiò* quando initium habuerunt Capellani Maiores Neapolis, absque dubio fuerunt Capellani tantum minores. Si igitur hoc ipsi obtinuerunt, a fortiori habuit Capellanus Maior. Nec ipsi poterant in medium afferre aliquod antiquum privilegium, confirmatum a consuetudine plus quam saeculari et certa, sicut Abbas S. Luciae. Capellanus Maior S. Luciae institutus fuit a Sueviae Regibus tamquam Legatis *a latere* et 4 iunii 1818 in suis privilegiis confirmatus.

In hoc Regio Decreto, quod apta erat atque immediata

legalis interpretatio Concordati Pontificem Pium VII inter et Ferdinandum I Siciliarum Regem initi, et promulgati 21 martii 1818, legitur:

«Art. 1. Omnes articuli Concordati diligenter et religiose, de verbo ad verbum, observati et executi erunt in toto nostro Regno Siciliarum a die denunciationis huiusce legis— ».

« Art. 76. Curia Capellani Maioris eiusque iurisdictio sese continebit intra limites Constitutionis Benedicti XIV *« Convenit* » et subsequentis *Motu proprio* eiusdem Pontificis de eodem argumento ».

In art. autem 31 et 32 praecipitur ut « dispositiones Concordati substituant omnes leges, ordinationes et decreta publicata in Siciliarum Regno quoad religiosam materiam, et ut observentur in omnibus ecclesiis ipsius Regni ».

Revera, instat advocatus, in actis proferuntur *novemdecim* attestationes redditae vel ab Archiepiscopo Messanensi vel ab Episcopo Liparensi vel ab Episcopo Pactensi de collatis ordinibus vi litterarum dimissorialium ab Abbatibus S. Luciae datarum; ultima attestatio pertingit *ad a. 1872.*

Praeter haec Abbas S. Luciae alia obtinuit privilegia, veluti ius *visitandi dioecesim,* celebrandi *Synodum dioecesanam,* dispensandi *super interstitiis:* quae privilegia a iure dandi *dimissorias* non fuerunt certe disiuncta.

Demum, quia opponitur Constitutio Apost. « *Suprema »* Pii IX a. 1864, quasi haec abolevisset omnia huiusmodi privilegia, ob mutata temporum adiuncta, respondet patrocinator, hoc nullimode probari ; caeterum privilegia Abbatis *S. Luciae* abolita dici non possunt, uti abolita non fuerunt privilegia Abbatis *Montiscassini, SSmae Trinitatis Caven., S. Martini al Cimino* etc. Item opponuntur litterae* *« Multis gravissimis* » eiusdem Pontificis; sed reponit advocatus « In hisce litteris tantum statui Archiepiscopum Messanensem, tamquam delegatum Apostolicum, potestatem habere in appellationis sede iudicium ferendi de causis a

S. Luciae Abbate agitatis « *qui* (sunt verba ipsius epistolae) *iurisdictionem quasi episcopalem in uno seu pluribus oppidis vel locis nullius dioecesis provinciae Messanensis exercet; per praemissa autem non intendimus eidem Abbati S. Luciae quidquam novi iuris tribuere*_____». Unde, infert orator, per has litteras neque aliquid novi datum fuisse, neque aliquod ius, iam quaesitum, fuisse ablatum.

Postremo loco procurator a Beatissimo Patre *subordinate* petit benignam privilegii concessionem. Videlicet, si ex dictis non satis probata videatur antiqua privilegii possessio, ipse efflagitat ut hodie omnia removeantur dubia per novam privilegii concessionem.

Eo magis quod novus Episcopus Administrator huius Abbatiae, ratione meritorum personalium omnimodam meret considerationem et favorem , quia natalium et census nobilitati praeclaram pietatem atque non communem doctrinam addit. Praeterea patronus refert, hodie nominationem et institutionem Abbatis, unice spectare ad S. Sedem.

DEFENSIO CONTRARIA.

Archiepiscopus Messanensis, cuius sententia exquisita est, sustinet Abbatem S. Luciae nullo frui privilegio ordinandi aut dimissorias dandi.

Omnibus enim, testatur Archiepiscopus, nota et evidentia sunt damna, quibus miserrime afflicta fuit Sicilia propter Legatiam Apostolicam; ex qua originem quoque duxit contemptus Episcoporum Auctoritatis maximo cum discrimine suorum iurium necnon gravissima animarum pernicie. Vi huius Apostolicae Legatiae erecti sunt ita dicti Capellani Maiores, quibus gradatim territoria tributa sunt cum facultate iurisdictionem exercendi ab Episcopali Auctoritate exemptam, non tantum in Regiam Familiam', sed etiam in omnes ibi commorantes sive Sacerdotes sive Ordinandos. Sacrosancta Tridentina Synodus intuita est tristissimas consequentias ordinationum a Praelatis exemptis collatarum, et

per dictum Canonem eis praecepit ut suos clericos ordinare faciant ab Episcopis, in quorum territorio extat Praelatura « non obstantibus quibuscumque privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus ».

Neque Archiepiscopo videtur Praelatus S. Luciae argumentum in favorem adserti privilegii derivare posse ex Constitutione « *Convenit* » Benedicti XIV die 6 Iulii 1741, et subsequentis *Motu proprio « Cum alias* » Novembris eiusdem anni. Tales enim dispositiones, a Carolo III obtentae, ut ipse finem poneret contentionibus omnibus et discordiis exortis propter abusus Capellanorum Maiorum necnon ad eorum libertatem coercendam, Capellani Regiam Neapolis respiciebant, ita ut iis frui non potuerint Capellae locorum *Portici* et *Caserta,* nisi absque alia speciali S. Sedis concessione per Rescriptum Secretariae Memorialium, diei 5 Ian. 1754. Ideoque in Concordato Terracinensi, diei 16 Februarii 1818, peculiari modo agitur de Curia Capellani Maioris eiusque iurisdictione intra Benedictinae Constitutionis et *Motu proprio* limites continenda. En ratio, prosequitur Archiepiscopus, cur ad Abbatem S. Luciae reintegrandum, necesse fuit aliud edendi Regium Decretum, diei 4 Iunii 1818, videlicet post quatuor fere menses ab ipso Concordato. Sed interim minime implorata fuit - sicut factum fuerat pro dictis Neapolis ecclesiis - gratia a Summo Pontifice ob extensionem privilegiorum inibi existentium ; ita ut, si Praelatus illa exercuit, iniuste egit propter facultatem a Decreto tantum tributam contra Tridentini praescriptiones. Neque Praelatus, instat Archiepiscopus, efficaciter probare potest privilegium ex facto possessionis suppositi iuris: « Talis possessio, habet Schmalzgrueber Tom. III, tit. XIII, § 1, De poss., acquiritur per eiusmodi iuris usum, accedente scientia et patientia illius ad quem pertinet resistere actui».

Sane ex documentis a Vicario Capitulari productis!, aD a. 1652 ad a. 1847, non colliguntur nisi quatuor ordinationum casus cum litteris dimissorialibus Praelati S. Luciae, inter quos unus tantum i. e. quidam acolythus *Lu-*

ciese ordinatus fuit ab Archiepiscopo Messanensi a. 1847, quando ibi Tribunal, sub finem saeculi elapsi constitutum arbitrio civilis auctoritatis et independens quoque a tribunali Monarchiae Siciliae, adhuc existebat. Quamobrem Archiepiscopus gravia damna timere debuisset si, illa vice non tolerans sui iuris manumissionem, adversasset Regio Decreto 4 Iunii 1818.

At etiam dato quod tunc dubitari potuerit circa iura plus minusve legitime acquisita a Capellano Maiore Monarchiae, atque circa existentiam aut minus possessionis facti adversus Tridentinum adhuc vigens, eodem Archiepiscopo videtur hodie nullum superesse dubium post Epistolam Apostolicam « *Suprema* » die 28 Ianuarii 1864.

In ipsa enim Summus Pontifex **Pius** IX, praetensae Monarchiae alludens, quae fuit origo supradictae concessionis, declarare absque dubio videtur huiusmodi concessiones - etsi factae fuerint a S. Sede legitimas ob causas - omnino abolendas ac revocandas esse *ob mutatas temporum rerumque circumstantias,* et quia, teste experientia, ab iisdem semper originem habuerunt gravia damna nec non corruptelae et abusus, quae maxime nocent animarum saluti.

Unde Pontifex concludit, ratione Ministerii Apostolici, nullimode tolerari posse in posterum tot mala corruptionesque, nec permittere quod, *pretextu privilegiorum Monar~chiae,* Ordinis ecclesiastici dignitas debilitetur atque extinguatur. Et per alteram Epistolam Apostolicam « *Multis gravissimis* » eiusdem temporis, Messanensem Archiepiscopum constituendo Delegatum Apostolicum in causis appellationis a sententiis editis a S. Luciae Abbate « qui iurisdictionem *quasi episcopalem,* in uno seu pluribus oppidis vel locis nullius Dioecesis Provinciae Messanensis exercet » addit « *Per praemissa autem non intendimus eidem Abbati S. Luciae quidquam novi iuris tribuere* ».

Tandem haec Praelatura subiecta fuit Administrationi Apostolicae, quae per multos annos ab immediato Praedeces-

sore et postea per aliquod tempus ab actuali Archiepiscopo Messanensi exercita fuit.

Quapropter eidem Archiepiscopo videtur privilegium, ad quod Vicarius S. Luciae se refert, etiamsi fuisset certum et extra controversiam positum sub praeterito legitimo gubernio, non amplius existere ob mutatas circumstantias et ob Pii IX resolutiones, quibus Summus Pontifex nisus est auferre gravissima mala realiter fideles Siculos affligentia, necnon providere animarum saluti et Episcoporum iurisdictioni iuxta Sacros Canones et praesertim Concilii Tridentini.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO.

Quia celebris canon Tridentinus iam relatus, *Sess. 23, cap. 10,* videtur peremptorius instantiae Abbatis S. Luciae si probetur, isto canone comprehendi etiam Abbates *vere nullius* seu qui territorium habeant separatum a quacumque dioecesi ; exinde Abbatis procurator negat posse legem tridentinam extendi ad Abbates *vere nullius.* Re sane vera aliquam facit difficultatem haec ratio loquendi Concilii; videlicet: «.... *nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam eccles,* cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus-, ut ab aliis ordinentur, concedant sed horum omnium ordinatio, servatis servandis____, *ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineant* ». Equidem eiusmodi verba Concilii *authentica* indigebant interpretatione quam reddere non praetermisit H. S. C. - Rem ita narrat Bened. XIV, De Syn. lib. II, cap. 11, n. 15: « Sed huius decreti censura comprehendi Abbates aliosque praelatos inferiores primae et secundae speciei nemo unquam potuit in quaestionem adducere; at plerique Praelati *tertiae speciei,* se ab eiusmodi severitate autumabant immunes hac freti ratione, videlicet quia ipsorum territorium, in quod exercent iurisdictionem quasi Episcopalem, non existit intra fines alicuius dioecesis, de quo tantum videtur loqui Tridentinum, sed est a

qualibet dioecesi omnino seiunctum et separatum; ac propterea, etsi ab ordinibus (i. e. minoribus) per semetipsos conferendis abstinerent, liberum nihilominus sibi esse putabant, litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos suis subditis saecularibus impertiri. Verum alia fuit mens S. Congregationis Concilii Tridentini interpretis, ad quam unice spectat decretorum eiusmodi Concilii genuinum sensum aperire ; ipsa siquidem probe considerans in allegati canonis initio sermonem esse non solum de Abbatibus utcumque exemptis, verum etiam de illis qui *nullius dioecesis esse dicuntur,* quales sunt habentes territorium separatum ; hosce pariter in omni parte comprehensos dixit, iisdemque ablatam censuit facultatem concedendi suis subditis saecularibus litteras dimissoriales ad Ordines, quas proinde elargiri ad viciniorem Episcopum unice pertinere declaravit. Eiusmodi S. Congñis responsa congesta sunt a Fagnano et Cardinali Petra etc. ». Iuvat interim referre hanc H. S. C. decisionem, quam ita refert Bened. XIV, *I. cit.* « Lis vertebatur in Romanae Rotae auditorio inter Episcopum Brictinorien. et Capitulum Basilicae S. Petri de Urbe, super articulo, an Abbatia S. Rufilli sita in castro Fori Pompilii, eidem Capitulo perpetuo iuncta, haberet territorium omnino separatum a dioecesi Brictinoriensi. Interim vero Capitulum S. Petri, innixum immemorabili consuetudine seu quasi possessione concedendi litteras dimissoriales personis intra suae Abbatiae limites commorantibus, ne hac possessione exturbaretur, pendente adhuc controversia super Abbatiae separatione, easdem litteras concedere non dubitavit; at contradicente Episcopo Brictinoriensi ac iure merito contendente, immemorabilem possessionem, utpote a Concil. Tridentino infractam viribusque destitutam, non suffragari Capitulum, etiamsi territorium separatum evinceret, ad eius instantiam *die 3 Decemb. 1718* fuit in S. C. Concilii disceptatum : « *An etiamsi constaret de territorio separato posset capitulum S. Petri concedere dimissorias;* et *die 21 Ianuarii 1719,* unanimi omnium suffragio responsum: *Negative* ».

Nihilominus non desunt etiam nunc Abbates *vere nullius* hac peculiari praerogativa fulgentes, ut suis subditis litteras dimissorias ad Ordines nedum minores sed etiam sacros suscipiendos elargiri valeant; at haec praerogativa non est annexa qualitati *Nullius* neque profluit ex territorio perfecte separato sed unice derivatur ex speciali privilegio post Tridentinum obtento, quo Sedes Apostolica nonnullos cumulavit Abbates. Eiusmodi privilegio a Sixto V auctus est Abbas Cassinensis et a Paulo V Abbas Cavensis.

Praeterea iuvat afferre quae notat Cardinalis Petra *Comment. Const. IV, Callisti III,* sect. II, n. 72, tom. V, pag. 118-119. Nam cum nonnullae editae essent decisiones a S. Rota et declarationes a S. C. EE. et RR. asserentes in cit. decret. Concil. Trid. non comprehendi Praelatos *vere nullius,* uti videre est apud Honorante *Praxis Secretariae tribunalis dicti Card. Vicarii Urbis cap. XII, not. XVI,* - Cardinalis Petra /. *cit.* haec refert. « Contraria semper fuit mens S. C. C. ut refert Fagnanus in cap. *Significasti* n. 27 *De off. Archidiaconi* quod scilicet procedat dicta prohibitio in omnibus Praelatis inferioribus cum discrimine, ut si sunt in dioecesi alicuius, collatio ordinum et concessio dimissorialium pertineat ad Episcopum talis dioecesis, sed si sit in dioecesi *vere nullius,* spectat ad viciniorem Episcopum ex ratione quia Concilii mens id importat, dum voluit eam facultatem auferre inferioribus ac solis Episcopis reservare, tamquam pendentem ab ordine Episcopali, cuius actuum sunt incapaces praelati inferiores. Proinde dicta S. C. usque ab a. 1602 ita declaravit Tom. V, Decret, fol. 66, censetque *Facultatem ordinandi ad Episcopum, intra cuius dioecesis fines Abbatia consistit, pertinere ; quod si intra nullius dioecesis fines posita sit, ad viciniorem episcopum; vicinitatem autem ratione Ecclesiae Cathed., non territorii esse attendendam* ». Alias numero plures congerit decisiones H. S. C. Cardinalis Petra eamdem referentes certam interpretationem citati canonis Concilii Tridentini; at hae, brevitatis causa, praetermittuntur.

Advertere vero praestat, adduci non posse privilegium Pontificium *satis expressum* post Conc. Tridentinum concessum, vi cuius fas sit Abbati S. Luciae vel ordines conferre, vel dimissorias dare. Origo enim privilegii, quae repetatur ab auctoritate Regis Siciliae ut *Legati a latere* S. Pontificis et hoc in vim *Legatiae seu Monarchiae Siciliae*, habet infirmum fundamentum. Sane quum innumeri et gravissimi habiti sint abusus sub praetextu exercitii huius potestatis, quam sibi iam ab aetate Rogerii I vindicarunt usque ad nostram aetatem Reges Siciliae, ita Pontifices Romani nunquam destiterunt a condemnanda hac usurpata potestate, uti docent eruditi in iure publico ecclesiastico. Iuvat heic referre conclusionem iuridicam, quam in hanc quaestionem docte explicatam refert Card. Cavagnis *Inst. iuris pub. eccles.*, lib. III, n. 104. (editione tertia) hisce verbis. « Ex his concludere licet : I. Legatia Siciliae non subsistit historice. II. Etiamsi subsisteret historice, fuisset privilegium personale concessum Rogerio I et eius filiis, quod proinde cum Rogerio II extinctum fuisset. III. Vera origo fuit in Regalistis desiderium dandi titulum legitimum antiquis abusibus Guillelmi I, quos saeculo XVI renovare et ampliare cupiebant ». De Constitutionibus, editis a Pio IX ad eiusmodi convellendos abusus , haec habet idem Cl. Auctor - n. 102. « Anno autem 1864, V. Kal. Februarii redacta est Constitutio « *Suprema* » qua, considerata continuatione abusuum , omnia privilegia et concessiones retractantur ; sed publicata est tantum die *10 Oct. 1867.* - Die autem 28 Ianuarii 1864 editum est Breve « *Multis gravissimis* » quo statuitur novus modus procedendi in causis ecclesiasticis pro Sicilia, abolito iudice delegato et multis factis concessionibus Episcopis ».

Demum quia Abbas S. Luciae sibi blanditur attribuens titulum *Cappellani Regii et* consequentes immunitates a iure communi , in primis vero exemptionem a iurisdictione Episcoporum, extra quorum dioeceses sibi videtur omnimode existere,- animadvertere oportet, uti docet Bouix *De*

Episcopo tom. I, pag. 519 seq. plures referens *auctoritates, eiusmodi Cappellanos Regios* aliquando, ex speciali praerogativa, haberi uti Praelatos *vere nullius,* iisdemque vero applicanda esse ea quae, ex iure communi, constituta sunt de Praelatis *vere nullius.*

Haec quoad *quaestiones iuris;* quoad vero *instantiam gratiae* res tota posita est in benignitate et prudentia EE. PP.

Sint itaque:

Dubia

I. *An constet de iure Abbatis S. Luciae conferendi ordines aut dandi dimissorias in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit locus concessioni eiusmodi privilegii in casu.*

Resolutio.

Sacra Congregatio Concilii, re mature perpensa, die 28 Martii ita respondere censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative, ex speciali gratia favore hodierni Praelati, facto verbo cum SSmo.*

Colliges.

I. Iure Decretalium Abbates saltem Regulares conferre poterant primam tonsuram et ordines minores nec non dimissorias concedere non solum suis subditis regularibus, sed etiam saecularibus.

II. Concilium autem Tridentinum sess. 23, cap. 10, de ref. Abbatum privilegium limitavit his verbis « Abbatibus... non liceat in posterum, intra fines alicuius dioecesis existentibus, etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuipiam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi Abbates. . . . litteras di-

missoriales aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur concedant____».

III. Cum a nonnullis dubitatum fuerit an hoc decretum comprehenderet etiam Abbates *vere nullius,* seu qui territorium habeant extra fines cuiuscumque dioeceseos, Sacra Concilii Congregatio pluries declaravit, hos etiam complecti.

IV. Quare modo Abbates omnes, etiam *vere nullius,* nequeunt conferre tonsuram et minores ordines, atque litteras dimissorias concedere clericis saecularibus ut ab aliis episcopis ordinentur, exceptione facta, ut supra, pro subditis regularibus.

V. Nonnullis tamen Abbatibus post tridentinam legem concessum fuit a Sancta Sede privilegium conferendi minores ordines atque dimissorias dandi.

VI. Quum vero in themate non constet Abbatem S. Luciae hoc frui privilegio, eo vel magis quod Legatia Apostolica seu Monarchia Siciliae nunquam iuridice extiterit : hinc S. Congregatio *negative* respondit ad propositum dubium « *An constet de iure Abbatis S. Luciae conferendi ordines aut dandi dimissorias in casu?* »

VII. Ad alterum vero dubium « *An sit locus concessioni eiusmodi privilegii in casu?* » S. C. respondit: « *Affirmative ex speciali gratia favore hodierni Praelati, facto verbo cum SS ino* ». Nimirum S. Cong. favorabile iudicium dedit, ut Rom. Pontifex privilegium concedat hodierno Praelato conferendi ordines et dandi dimissorias : quod privilegium, cum personale sit, cessabit statim ac hodiernus Praelatus Abbatiam reliquerit.

EX S. G. DE PROPAGANDA FIDE

DUBIA circa facultatem alienandi bona ecclesiastica pro Institutis religiosis votorum simplicium.

Mme et Rme Domine Archiepiscope Friderice Katzer.

Pervenerunt ad me litterae ab Amplitudine Tua mihi datae die 14 elapsi mensis decembris, in quibus quaestiones fiunt circa facultatem alienandi bona ecclesiastica pro Institutis religiosis votorum simplicium.

Quoad primam quaestionem, utrum haec Instituta sive virorum sive mulierum, sive a S. Sede approbata sive tantum Dioecesana, indigeant beneplacito Sedis Apostolicae pro alienatione suorum bonorum, responsio est affirmativa.

Relate vero ad alteram quaestionem, utrum Episcopi, vi privilegii ipsis concessi circa alienationem bonorum Dioeceseos, possint praedictis Congregationibus has alienationes permittere, responsio est: id posse Episcopos intra limites suae facultatis.

Tandem quoad imploratam sanationem pro alienationibus, sine necessaria licentia, bona fide peractis, Sacra Congregatio huiusmodi sanationem et, si opus sit, etiam absolutionem a censuris transgressoribus concedit.

Interim Deum precor ut te diu sospitet.

A. V. addictissimus Servus

Fr. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

Die 15 Ianuarii 1903.

DUBIUM circa Missae celebrationem super naves.

Mme ac Revnie Domine,

Quod per Decretum S. huius Congregationis diei martii vertentis anni (1) est cautum super celebratione missae in navibus, tantum respicit abusus illos qui orirentur, si in privatis cellulis viatorum, usibus vitae destinatis, indecenter offerretur augustissimum Sacrificium Missae. Non autem absolute celebratio in

(1) Decretum hoc relatum fuit Vol. XXXV, p. 48.

cellis prohibita est, quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula. Quamobrem firmis manentibus Decreti praedicti praescriptionibus, velit Amplitudo Tua idem sincero sensu intelligere ac missionarios, sine causa turbatos, quietos facere.

Ego vero Deum rogo ut te diu servet ac sospitet.

Amplitudinis tuae addictissimus servus

Pro Emo CARD. *Praefecto*

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

R. P. D. Ioanni B. Cazet
Vic. Apost. Madagasc. Cent.

INDULTUM pro Statibus Foederatis transferendi solemnitatem Titularis infra hebdomadam occurrentis ad sequentem Dominicam.

Beatissime Pater,

Iacobus Cardinalis Gibbons Archiepiscopus Baltimorensis aliique Statuum Foederatorum Americae Borealis Archiepiscopi, in annuali conventu una simul congregati, a Sanctitate Tua humiliter petunt ut, ratione habita circumstantiarum eorum locorum, benigne concedere dignetur Indultum, vi cuius in quibuscumque Statuum praedictorum ecclesiis sive in urbibus sive extra, Titulare festum, quando inciderit in diem ferialem, transferri valeat quoad extrinsecam solemnitatem ad Dominicam proxime insequentem, quemadmodum ibidem concessum fuit pro ecclesiis ruralibus et oppidulorum.

Ex Audientia habita die 3 Februarii 1903, SSmus D. N. Leo Div. Prov. PP. XIII, referente infrascripto S. Congñis de Propaganda Fide Secretario, attentis specialibus locorum circumstantiis, benigne indulsit ut in singulis supranumeratis ecclesiis, quibus annis titulare festum in diem ferialem inciderit, firma manente obligatione celebrandi Missam et persolvendi officium de eodem festo, die in Kalendario affixa, extrinseca eius solemnitas cum Missa solemni et Vesperis transferri possit ad Dominicam proxime insequentem, dummodo non occurrat festum ritus duplicis primae classis, vel Dominica iuxta rubricas privilegiata. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. Congñis de Propaganda Fide, die 3 Februarii et anno 1903.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

EX 3. CONGREGATIONE RITUUM

—v—

ATREBATEN.

DUBIUM circa concurrentiam Vesperarum S. Familiae cum primis Vesperis SS. Coronae Spineae.

Rmus Dnus Onesimus Machez, Canonicus ecclesiae cathedralis Atrebaten., et extensor Kalendarii dioecesani, de licentia Revmi sui Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii humillime resolutionem expostulavit, nimirum: Quomodo anno proximo 1902 ordinandae sint Vesperae festi Sanctae Familiae Nazarenae quod, ex Apostolica concessione, transfertur ad feriam V post Cineres, et ita concurrit, cum primis Vesperis SSmae Coronae Spineae, cuius Officium apponitur in sequenti die?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit: *Dividantur Vesperae iuxta Rubricas.*

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

LUGDUNEN.

Conceditur et approbatur nova editio Missalis Romani, antiquis servatis ritibus, pro Ecclesia Lugdunensi.

Nobilis Lugdunensis Ecclesia, antiquitate et dignitate in Gallus praestantissima, proprios ritus quos ab Irenaeo Praesule suo et martyre accepisse fertur, a priscis temporibus fideliter tenuit. Attamen progressu temporis quum, opera et studio passimi Caroli Magni, omnes Galliarum Ecclesiae in filialis amoris pignus et obsequium erga Apostolicam Sedem, ab Hadriano I, Summo Pontifice Sacramentarium et Antiphonaeum Sancti Gregorii Magni, una cum Liturgia Sanctae Romanae Ecclesiae am-

plexatae fuerint, et ipsa Lugdunensis Ecclesia nemini secunda plenissimum dedit consensum nonnullis tantummodo retentis, de ipsius Apostolicae Sedis assensu, ritibus et consuetudinibus quibus clerus populusque fidelis firmius adhaerebant Neque mirum: probe enim noverat sententiam praelaudati sui Praesulis Irenaei, qui a Policarpo Ioannis Ap. et Ev. discípulo et ab Eleutherio Summo Pontifice Apostolicas traditiones, quas Romana Ecclesia illibatas servabat, oretenus didicerat, nempe: « Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnes convenire Ecclesias, hoc est eos qui sunt undique fideles ». Illae autem S. Pii V Constitutiones « *Quo primum* » et « *Quod a nobis* » Missale et Breviarium ad usum Lugdunensis Ecclesiae editum et adhibitum haud immutarunt, sed sartum integrumque in sua legitima possessione reliquerunt. Verum quum saeculo XVIII per Gallias invaluerit abusus, quo Antistites Missale et Breviarium pro libito et absque debita licentia permutarunt, id etiam Metropolitanae Ecclesiae Lugdunensi, frustra ipsius Canonicorum Ordine renuente, obtigisse compertum est. Superioribus autem annis Sacrorum Antistitum Galliae aemulatus exempla et sa : me : Pii Papae IX voluntati obsequens, Cardinalis Ludo vicus de Bonald Archiepiscopus Lugdunensis, Romani Missalis et Breviarii usum in Lugdunensem Archidioecesim induxit; simulque Kalendarii et Proprii Officiorum et Missarum pro eadem Archidioecesi Apostolicam approbationem obtinuit; servatis tantum ex vetusta Lugdunensis Ecclesiae Liturgia, a memoratis novitatibus purgata, quibusdam ritibus et consuetudinibus Romanae Liturgiae consonis et probatis. In votis demum erat capituli Metropolitanae Ecclesiae ceterique cleri Lugdunensis Archidioeceseos Missale Romanum typis imprimi iuxta decreta et privilegia iam concessa. Quod opus vix inceptum a praelaudato Archiepiscopo, hodiernus Emus Archiepiscopus et Rmus Dnus Cardinalis Petrus Hector Coullié perficiendum curavit. Supplicibus enim litteris a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII effiagitavit, ut Missale Romanum iuxta exemplar exhibitum cum Apostolica approbatione in lucem edi et ab universo clero Lugdunensi adhiberi fas sit. Sacra porro Rituum Congregatio, de mandato eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, supradictum Missale accurate expendendum suscepit, praeviis necessariis et opportunis informationibus et exquisitis etiam suffragiis unius et alterius ex suis Con-

sultoribus, una cum voto Commissionis Liturgicae. Quae omnia cum in promptu fuerint instante praelaudato Emo Archiepiscopo una cum capitulo Metropolitanae et universo clero Lugdunensis Archidioeceseos, Eiîius et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et huiusce causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis die 22 Aprilis vertentis anni ad Vaticanum coadunatis quaestionem proposuit: *Super concessione et approbatione novae editionis Missalis Romani Lugdunen, cum Rubricis peculiaribus, textibus liturgicis et singulis sanctorum Missis iuxta privilegia.* Atque Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, omnibus maturo examine perpensis rescribendum censuerunt: Nihil obstare quominus Missale de quo in casu typis edatur cum titulo: « *Missale Romanum, in quo antiqui ritus Lugdunenses servantur, Apostolicae Sedis auctoritate recognitum et probatum* »; additis in Missa solemni, prout in usu, duabus benedictionibus novorum fructuum in festo S. Iacobi Ap. et uvarum in festo Transfigurationis Domini. Quam sententiam ab infrascripto Cardinali, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, relatam SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII ratam habuit et probavit, simulque indulsit ut Missale Romanum cum enuntiato titulo typis edi et ab universo clero Lugdunensis Archidioeceseos in posterum adhiberi valeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 1 Maii 1902.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DECRETUM quo approbatur nova editio Martyrologii Romani.

Praesens Martyrologium novissime recognitum et auctum, Sacra Rituum Congregatio, probante Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, imprimi decrevit per Typographiam Polyglottam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide: statuitque ab aliis ubique locorum deinceps typis edi non posse nisi ac-

cedente auctoritate Ordinarii loci et omnino ad normam huius exemplaris.

Die 1 Maii 1902.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. m S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

CARMELITARUM ANTIQUAE OBSERVANTIAE

DECRETUM quo consuetudo Carmelitarum Missam de B. Virgine canendi in Sabbatis confirmatur.

Ab immemorabili tempore pia viget consuetudo, quam historica documenta, praesertim ex Bullario ipsius Ordinis deprompta, abunde testantur, singulis per annum Sabbatis, paucis tantum solemnioribus exceptis, Missam canendi de Beata Maria Virgine pro Sabbato in Missali Carmelitico assignatam, vel de Octava alicuius Festi Deiparae occurrente, in Ecclesiis ad ipsum Ordinem pertinentibus. Quum tamen sive ob permulta suppressa Coenobia, sive ob numerum imminutum Carmelitarum, vel aliis de causis, laudabilis eiusmodi praxis in nonnullis eiusdem Ordinis Ecclesiis interrupta fuerit, nuper in Capitulo Generali, proxime elapso mense Octobri in Urbe coacto, unanimis suffragiis piam atque antiquissimam consuetudinem ubique restituere, ubi desierit, visum est. Quare Rmus P. Procurator Generalis memorati Ordinis Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis rogavit ut, omni dubio hac in re sublato, consuetudinem solemnis Missae de Beata Virgine, vel de Octava alicuius Deiparae ipsius festivitatis occurrente, singulis per annum Sabbatis decantandae in cunctis Ecclesiis Carmelitici Ordinis ab antiqua Observantia, suprema auctoritate sua approbare et confirmare benigne dignaretur: facta quoque potestate enunciatam Missam votivam legendi in iis Coenobiis sive Domibus, in quibus tres tantum Sacerdotes e Carmelitica Familia commorantur. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, expositam consuetudinem ita confirmavit, ut petita Missa solemnis, vel lecta cele-

bretur cum *Gloria, Credo,* atque unica Oratione; exceptis Sabbatis, in quibus occurrat Duplex maius primae classis, vel infra Octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, itemque Vigilia Nativitatis Dominicae (quando in Sabbatum inciderit), Vigilia Pentecostes, ac Festum, vel Vigilia aut Octava Deiparae, in quibus Missa erit de respectivo festo, vel Vigilia, vel Octava occurrente ; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Decembris 1902.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. S S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

HIEROSOLYMITANA

SEU ORDINIS MISSIONUM S. FRANCISCI DE CUSTODIA TERRAE SANCTAE.

Pro Ecclesia seu Domo S. Cleophae approbatur atque conceditur Officium proprium cum Missa, Suffragio et Elogio de Festo Titulari Manifestationis Christi Resurgente in Castello Emmaus peractae.

A remotissimis usque saeculis ac praesertim Crucesignatorum Militum tempore, in Hierosolymitana Ecclesia laudabilis invaluit consuetudo, tum festivo more tum votivo in Officio divino atque in sacrosancto Missae Sacrificio, ea Mysteria unoquoque loco saepius commorandi ubi, teste traditione, olim contigisse eadem feruntur.

Pluribus vero Domini Mansionibus iure adorandis (quae merito potissima ibidem Sanctuaria habentur), ubi Officia propria cum Missis praesertim votivis recitantur, quas Romani Pontifices, inde a saeculo XVI, particularium Praesulum anteacta exempla aemulati, large concesserunt, iure accensenda est Sancti Cleophae Domus apud Castellum Emmaus, ab infidelium manibus anni 1861 erepta ac dein anno 1873 ruderibus antiquae basilicae detectis sacra Aedes sive Sanctuarium effecta, Ordini Minorum Sancti Francisci concredita, atque horum cura et studio pristinae formae ac decori hisce temporibus restituta. Haec tamen Domus, maximis quamquam Mysteriis celeberrima, praecipue ob mirabilem Domini Nostri Servatoris Apparitionem duobus Discipulis Cleophae et socio ipsa glorio-

sissima a mortuis Resurrectionis die peractam, qui Iesum Redemptorem in Eucharistici Panis fractione ibidem agnoverunt, Officio ac Missa propriis, uti cetera Palaestinae Sanctuaria iampridem potiuntur, nondum fruebatur. Quare Reverendissimus Pater Frigdianus Giannini, e praelaudato Minorum Ordine, Terrae Sanctae Custos, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ferventissime porrexit supplicia vota, exposcens ut Officium cum Missa proprium, cuius schema humillime subiecit, de Manifestatione Christi Resurgentis in Castello Emmaus peracta, quae Titulus est Ecclesiae noviter a solo excitatae, ac Feria secunda infra Octavam Paschatis ibidem quotannis recolenda, benigne approbare et concedere dignaretur.

Eiusmodi vero Officium cum Missa quum ab infrascripto Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Dominico Ferrata, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto ac Relatore, propositum fuerit in Ordinariis ipsius Sacri Consilii comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis ac praesertim attento voto atque amplissimo commendationis officio Reverendissimi Ludovici Piavi, Patriarchae Hierosolymitani, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et ad Eminentissimum Praefectum Ponentem, cum Promotore Fidei.* Die 2 Decembris 1902.

Exhibitis demum Officio et Missa revisis atque emendatis, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per eumdem infrascriptum Cardinalem Sacro ipsi Coetui Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habens, suprascriptum Officium cum Missa, Suffragio, atque Elogio (Martyrologio Romano-Seraphico Terrae Sanctae inserendo) prout huic praeiacet Decreto, benigne approbare dignata est de Festo Titulari Manifestationis Christi Resurgentis in Castello Emmaus peractae, quotannis Feria II infra Octavam Paschatis, sub ritu Duplici primae Classis tantummodo in Ecclesia, seu Domo Cleophae, recolendae: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 iisdem mense et anno.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. © S..

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

HIEROSOLIMYTANA

SEU ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE CUSTODIA TERRAE SANCTAE.

Pro Sanctuario Castelli Emmaus approbantur et conceduntur quatuor Missae votivae propriae.

Quo uberiores pietatis sensus et fructus, qui e sacra Palaestinensium locorum visitatione in fidelium pie illuc peregrinantium animos effluere solent, colligantur quoque ab iisdem Sanctuarium, sive Sancti Cleophae Domum, ad Castellum Emmaus invisentibus, et praesertim ad Sacerdotum peregrinorum consolationem adaugendam, horum votis libentissime obsecundans, Reverendissimus Pater Frigdianus Giannini, Minorum Franciscanum, Terrae Sanctae Custos, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII enixis precibus rogavit, ut privilegium Missae votivae propriae, ceteris sanctis Palaestinae locis vel inferioris quandoque momenti ab Apostolica Sede tributum, ad Sanctuarium etiam Castelli Emmaus et Cleophae Domum extendere dignaretur.

Quare quatuor eiusmodi Missarum votivarum pro respectivis novae Ecclesiae et ipsius Sanctuarii Altaribus apte elucubratum schema Supremae Pontificiae Sanctioni humillime subiecit: quarum I.ª Missa (iuribus Sanctuariorum maioris ordinis ditanda in Apostolico Indulto diei 31 Augusti 1865 contentis) est de Mysterio Manifestationis Domini Nostri Iesu Christi Resurgentis habitae ad Castellum Emmaus, pro nova Ecclesia, cuius idem Mysterium Titulus habetur: II.* prouti reliquae duae Missae votivae privilegiis, queis, iuxta enuntiatum Apostolicum Indultum Sanctuaria Palaestinae minoris ordinis gaudent, exornanda foret, est de Sancto Cleopha, Christi discípulo atque eius Resurrectionis teste: III.* de Sancto Simeone, vel Simone, socio Sancti Cleophae, qui similiter Dominum a mortuis excitatum in fractione Panis agnovit: IV.ª denique Missa votiva pro loco, ubi Dominus Iesus binis iisdem Discipulis comitem in via se adiunxit, in Altari maximo enuntiatae novae Ecclesiae Emmaus celebranda, quoadusque alterum Sanctuarium in ipso loco ex infidelium manibus adimatur.

Earumdem vero quatuor Missarum schemata, quum infrascriptus Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardi-

nalis Dominicus Ferrata, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus et Relator, in Ordinario Coetu ipsius Sacri Consilii subsignata die ad Vaticanum coacto proposuerit, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, attento quoque voto et commendationis officio Reverendissimi Domini Ludovici Piavi, Patriarchae Hierosolymitani, atque audito R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt : *Pro gratia, et ad Eminentissimum Praefectum Ponentem, cum Fidei Promotore.* Die 2 Decembris 1902.

Revisione denique peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab eodem infrascripto Cardinali relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri memorati Consilii ratam habuit, ac suprascriptas Missas votivas proprias in usum Sacerdotum in Sanctuario ad Castellum Emmaus Sacrum litandum, benigne approbare dignata est: ita tamen, ut Missa votiva de mirabili Agnitionis Mysterio Domini Nostri Iesu Christi in fractione Panis celebrari valeat in cunctis Altaribus novae Ecclesiae cum *Gloria* et *Credo,* absque ulla Commemoratione, singulis per annum diebus, exceptis Epiphania Domini, integra Hebdomada maiori, Dominicis Paschatis et Pentecostes, Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, necnon Festo Deiparae Virginis Assumptionis : ceterae vero tres Missae votivae iuxta preces celebrandae erunt in respectivis tantum Altaribus absque *Gloria* et *Credo* atque ulla Commemoratione, singulis anni diebus, exceptis Dominicis et Duplicibus primae et secundae Classis, nec non Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV Cinerum, tota maiori Hebdomada, Octavisque privilegiatis: servatis ceterum Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 iisdem mense et anno.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. & S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ROMANA

DUBIUM circa concurrentiam Postcommunio Mm. Perpetuae et Felicitatis cum Feria occurrente.

Hodiernus Ordinatur Calendarii ad usum Cleri Romani sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter proposuit; nimirum:

Anno 1904 proxime venturo, die 7 martii, occurrit festum S. Thomae de Aquino cum comm. Feriae II post Dominicam III Quadragesimae ac Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis. Quum vero *Postcommunio* Feriae et Ss. Martyrum sit eadem, et iuxta Rubricas *Postcommunio* earumdem Ss. Martyrum sit mutanda, quaeritur :

Unde sumi debeat?

Et S. Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit :

Sumatur in casu *Postcommunio* de Missa plurimorum Martyrum « *Salas autem* ».

Ubi autem in Festo duplici vel semiduplici Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis mutanda sit *Postcommunio* Feriae, sumatur *Postcommunio* proxime sequentis. Atque ita rescripsit.

Die 19 Februarii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

PLOCEN.

Mulieres prohibentur canere in Missis solemnibus.

Quo divini cultus decori prospiciatur et sacrae functiones recte ac rite peragantur in Dioecesi Plocensi, hodiernus Rmus Episcopus eiusdem Dioecesis Sacrorum Rituum Congregationi ea, quae sequuntur, pro opportuna declaratione humiliter exposuit, nimirum :

In Dioecesi Plocensi, sicut in aliis Poloniae Dioecesibus, extat mos ut in missis solemnibus, praesertim diebus per an-

num solemnioribus, canant *Gloria, Graduale, Credo,* et in choro super maiorem ecclesiae portam, ubi organum est, constituto, mulieres ac puellae, sive solae ipsae cum organista, sive iuvenibus et viris coniunctae, in quibus cantorum choris mixtis vocem *soprani* exequuntur puellae.

Quum huiusmodi morem quaedam ephemerides polonicae defendant contra plures Archeologiae et Liturgiae cultores, qui illum improbant, quaeritur :

I. An mos supradescriptus licitus sit, et conformis legi et sensui Ecclesiae ?

II. Et quatenus negative ad I, an saltem tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Negative ad utrumque, et Decretum n. 3964 *De Truxillo* 17 Septembris 1897 etiam ad hunc casum extendi declaravit.

Atque ita rescripsit die 19 Februarii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DUBIUM circa benedictionem domorum in Sabbato Sancto peragendam.

Ab hodierno Parocho loci N., dioecesis N., nuper sequentia postulata huic S. Congregationi subiecta sunt, nempe:

I°. An ob extensionem paroeciae benedictio domorum in Sabbato Sancto fieri valeat horis vespertinis Feriae VI in Parasceve?

2°. Et quatenus negative, an in casu obtineri possit indultum?

3°. An benedictio domorum in Sabbato Sancto sit de iuribus parochialibus?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit :

Negative ad I et ad II iuxta decretum 3645 « *Isolana* » 20

novembris 1885, ad II, et in casu benedictio domorum poterit fieri durante hebdomada octavae Paschatis.

Ad III *affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 7 martii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ST ABI AN. SEU CASTRI MARIS

Societates laicales in cadaverum associatione feretrum sequi debent.

Hodiernus Praepositus Clero Iesu et Mariae Civitatis et Dioecesis Stabian. seu Castri Maris, dë consensu sui Rmi Episcopi a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum : Utrum in associationibus cadaverum societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis possint praecedere Clerum cum Cruce, an debeant sequi feretrum ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DUBIUM. Capella principalis Seminariorum benedicta aequiparatur ecclesiis quoad iura S. Titularis.

Proposito dubio: Utrum Capella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudeat privilegiis, quae competunt Sanctis vel Mysteriis Titularis cuiusvis Ecclesiae, sive Oratorii publici solemniter benedicti, nempe, ut in

Oratione *A cunctis,* et in Suffragiis Sanctorum *ad Laudes et ad Vesperas* Titularis nominetur?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit :

Affirmative, iuxta decreta n. 4025, diei 5 Iunii 1899, ad V, et n. 4043, diei 27 Iunii 1899, ad I et ad VIII. Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. & S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

PISANA

Consuetudo canendi Lamentationes etc. cum sono organi aliorumque instrumentorum tolerari nequit.

Quum ex Caeremoniali Episcoporum et ex pluribus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis, non obstante consuetudine, permitti nequeat ut Feriis IV, V et VI Maioris Hebdomadae cantentur simul cum sono organi et aliorum instrumentorum Lamentationes, Responsoria et Psalmus *Miserere* ac reliquae liturgicae partes, Rmus Dnus Guidus Salvioni Canonicus decanus et vicarius de choro Ecclesiae Primatialis Pisanae, haec probe noscens, ab eadem Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter effl agita vit, nimirum:

I. An in Ecclesia Primatiali Pisana, Feriis supradictis, attenta antiqua consuetudine tolerari possit ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis instrumentis sine strepitu, *a, corda, violini, viole, contrabassi* nuncupatis ?

II. Et quatenus negative ad I, an saltem tolerari possit in casu sonus tantum instrumenti *Harmonium?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Rmo Dno Archiepiscopo Pisano, et exquisita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Negative ad utrumque, iuxta Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XXVII, et Decreta 2959 Taurinen. 11 Sept. 1847 ad I, 3804 Sorana 16 Iulii 1893 ad II, et 4044 Bonaeren, 7 Iulii 1899 ad L

Atque ita rescripsit et servare mandavit.

Die 20 Martii 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. ® S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

SANCTI MINIATI

Reprobatur mos exhibendi fidelium venerationi imagines quasdam feria V in Coena Domini.

Hodierno Archipresbytero parocho ecclesiae S. Ioannis Baptistae in oppido *Fucecchio* nuncupato, Dioecesis Sancti Miniati postulanti: An non obstante decreto Rmi Episcopi S. Miniati, die 19 Februarii vertentis anni 1903 edito, tolerari possit ut imago seu effigies SSmi Redemptoris demortui vel Deiparae Virginis Perdolentis in altari separato ab illo, in quo SSmum Eucharistiae Sacramentum Feria V in Coena Domini publice expositum manet, venerationi fidelium eadem Feria exhibeatur?

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae respondendum censuit:

Negative, et servetur Decretum Episcopale. Atque ita rescripsit.

Die 27 Martii 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. © S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

URBIS ET ORBIS.

DECRETUM. Litaniis Lauretanis post praeconium: « *Mater Admirabilis,* adiiciatur alterum : « *Mater boni consilii, ora pro nobis* ».

Ex quo Beatissima Virgo Maria Spiritus Sancti gratia plena Eiusque luminis splendore illustrata, aeternum Dei consilium atque incarnati Verbi mysterium omni mentis et cordis obsequio atque affectu suscepit, Dei genitrix effecta, etiam Mater boni consilii meruit appellari. Insuper divinae sapientiae eloquiis instructa, ea vitae verba, quae a Filio suo acceperat et in corde servaverat, in proximos liberaliter effundebat. Neque solum in nuptiis Canae Galilaeae huius novae Rebeccae consiliis acquievere ministri; sed et pias mulieres aliosque Domini discipulos atque ipsos sanctos Apostolos eam audisse consiliatricem credere fas est. Quam praerogativam Deiparae Virgini agnitam et confirmatam fuisse deprehendimus, cum Iesus prope moriturus videns iuxta crucem matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suae : *Mulier, eeee filius tuus.* Deinde dixit discipulo : *Eece mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Ioannem autem omnes Christifideles tunc repraesentasse ab Ecclesiae Patribus traditum est. Item, approbante Apostolica Sede, ab antiquis temporibus tum a clero tum a populo christiano, opem simul implorante, ipsa Beatissima Virgo glorioso titulo *Mater boni consilii* consalutata est. Sanctissimus vero Dominus Noster LEO PAPA XIII ob suam et fidelium singularem pietatem erga Matrem boni consilii sacramque eius Imaginem quae in Sanctuario Genestani praecipue colitur, postquam per decreta Sacrorum Rituum Congregationis anno 1884 novum Officium cum Missa pro die Festo approbaverit, et anno 1893 etiam scapulare proprium cum Indulgentiis concesserit; hoc vertente anno 1903 ipsum Sanctuarium, antea novis aedibus hospitalibus suo aere ampliatum, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem cum omnibus iuribus et privilegiis, per Apostolicas Litteras in forma *Breáis,* evexit. Tandem idem Sanctissimus Dominus Noster, quo ipsimet Beatae Mariae Virgini enunciatus titulus maiori honore et cultu augeatur, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, infrascripto Cardinali Praefecto et Relatore, statuit et decrevit ut Litaniis Lauretanis post praeconium : *Mater Admirabilis,* adiiciatur alterum: *Mater boni consilii, ora pro nobis;* hac quoque

cogitatione et firma spe permotus, ut, in tot tantisque calamitatibus et tenebris, pia Mater quae a sanctis Patribus *caelestium gratiarum thesauraria et eonsiliatrix universalis* vocatur, per totum catholicum orbem sub eo titulo rogata, omnibus monstret se esse matrem boni consilii, et illam Spiritus Sancti gratiam, quae sensus et corda illuminat, seu sanctum consilii donum sit impetratura.

Contrariis non obstantibus quibuscumque die 22 Aprilis 1903.

SERAPHINUS CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. & S.

f DIOMEDE PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Die *21* Aprilis 1903.

In Palatio Apostolico Vaticano habita est Congregatio Sacrorum Rituum ordinaria, in qua iudicio Emorum ac Rmorum DD. Cardinalium eiusdem Congregationis, sequentia postulata subiecta fuerunt; nempe:

1. Reassumptio causae canonizationis *B. Mariae Annae a Iesu de Paredes :*
2. Introductio causae beatificationis et canonizationis Servi Dei *Petri Iosephi Formet,* eremitae, dioecesis Saint-Dié.
3. Item Servi Dei Fratris *Benildis,* e Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum ;
4. Revisio scriptorum Servi Dei *Iosephi Cafasso,* praesbyteri saecularis Taurinensis ;
5. Item scriptorum Servae Dei *Paulae Frassinetti,* Fundatricis Sororum a S. Dorothea ;
6. Item scriptorum Servae Dei *Mariae Magdalenae de Bengy,* Vicecomitissae de Bonnault d'Honet, Fundatricis Societatis fidelium Sociarum Iesu ;
7. Concessio et approbatio Litaniarum in honorem S. Iosephi, Sponsi B. M. V., pro universa Ecclesia ;
8. Concessio et adprobatio Officii et Missae propriae in festo Omnium Sanctorum Societatis Iesu pro eadem Societate;
9. Confirmatio et adprobatio electionis B. Mariae Virginis sub titulo *Gratiarum* in principalem Patronam loci vulgo *CarpenzanOj* archidioecesis Cosentinae;

10. Confirmatio et adprobatio electionis B. Mariae Virginis sub titulo *Divinae Providentiae* in Patronam principalem locorum vulgo *Turrilia* et *Laeehio,* dioecesis Derthonensis (Tortona); necnon adprobatio et concessio Officii et Missae in honorem B. Mariae Virginis sub eodem titulo;
11. Confirmatio et adprobatio electionis B. Mariae Virginis, Nostrae Dominae de Begogna, sub titulo *Maternitatis,* quae veneratur Lavisbricae (Bilbao) in Patronam praecipuam provinciae Cantabriae (Biscaglia);
12. Confirmatio et adprobatio electionis «*S. Martini de Ascensione* in Patronum principalem regionis *Beasain,* dioecesis Victoriensis ;
13. Tandem concessio et adprobatio Officii et Missae in duobus festis *S. Wivinae* Virginis, pro clero ecclesiae parochialis S. Mariae de *Sablón* (Bruxelles), archidioecesis Mechliniensis.

Die 28 Aprilis 1903.

In Palatio Apostolico Vaticano, cum interventu EE. ac RR. DD. Cardinalium et cum voto Rmorum Praelatorum et Consultorum Theologorum SS. Rituum Congregationis, habita est Congregatio praeparatoria ad discutiendum de duobus miraculis, quae asseruntur a Deo patrata per intercessionem *B. Ioannis Gabrielis Perboyre,* sacerdotis e Congregatione Missionis, et quae proponuntur pro eius Canonizatione.

Die 19 Maii 1903.

In P. A. Vaticano habita est eadem Congregatio preparatoria ad discutiendum circa bina miracula, quae asseruntur a Deo peracta ad gloriam *B. Alexandri Sauli,* e Congregatione Clericorum Regularium Barnabitarum, Episcopi Papiensis; quaeque proponuntur pro eius Canonizatione.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

SULMONEN.

DUBIA circa exercitium Viae Crucis viventis.

A. M. Canonicus Cathedralis Basilicae Sulmonensis huic S. Indulgentiarum Cong.ni sequentia dubia dirimenda proposuit :

I. An ad exercitium Viae Crucis viventis rite peragendum et ad indulgentias eidem adnexas lucrandas requiratur, una cum meditatione, etiam visitatio Stationis per sortem unicuique adsignatae? Et quatenus affirmative:

II. An dicta visitatio peragenda sit in Ecclesiis ubi Sodalitas Viae Crucis viventis constituta est, vel etiam in quacumque alia Ecclesia ubi Stationes Viae Crucis erectae reperiuntur?

Sacra vero Congregatio respondendum mandavit:

Ad I. *Negative, iuxta Decretum diei 16 Augusti 1901 iri lege VII.*

Ad II. *Provisum in responsione ad l.^m*

Datum Romae ex Secretaria S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 26 Novembris 1902.

L. * S.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

SUMMARIUM Indulgentiarum Archiconfraternitati Cincturae Beatae Mariae V. Matris Consolationis, S. Augustini et S. Monicae concessarum.

I.

Indulgentiae Plenariae.

Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis :

1. Die quo nomen dederint Archiconfraternitati. Omnibus sodalibus :

2. In festo Nativitatis D. N. Iesu Christi
3. Epiphaniae »
4. Paschatis »
5. Ascensionis »
6. In solemnitate Corporis Christi.
7. In festo Pentecostes.
8. In festo Nativitatis B. M. V.
9. Annuntiationis »
10. Purificationis »
11. Assumptionis »
12. Immaculatae Conceptionis »
13. In festo B. M. V. Matris Consolationis.
14. S. Michaelis Archangeli.
15. S. Ioannis Baptistae.
16. S. Ioseph Sponsi B. M. V.
17. SS. Apostolorum Petri et Pauli.
18. S. Augustini Ep. et Doct.
19. S. Monicae Vid.
20. Omnium Sanctorum.
21. In Commemoratione fidelium defunctorum Ordinis Sancti Augustini et Confraternitatis, iis tantum applicabilis.
22. Dominica 1 Adventus.
23. Dominica 1 Quadragesimae.
24. Dominica 4 Quadragesimae.
25. Feria V. Maioris Hebdomadae, dummodo praefatis diebus vere poenitentes, confessi, ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.
26. Dominica quarta uniuscuiusque mensis, si, uti supra dispositi, devote interfuerint processioni, quae dicta Dominica in Ecclesiis Ordinis seu Confraternitatis fieri solet.

Sodales quoties, uti supra item dispositi, a primis Vesperis usque ad occasum solis sequentium dierum, idest:

27. Diei festi Nativitatis B. M. V. et
28. Dominicae festum S. Nicolai a Tolentino immediate sequentis, Altare vel Capellani Archiconfraternitatis visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint, toties plenariam Indulgentiam lucrabuntur.
29. Tandem in mortis articulo item plenaria, si, uti supra dispositi vel saltem contriti, Sanctissimum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde invocaverint.

II.

Indulgentiae stationales.

Sodales, singulis diebus in Missali Romano descriptis, si Ecclesiam Ordinis S. Augustini vel Altare Confraternitatis visitaverint, omnes Indulgentias consequuntur, quas lucrarentur si Ecclesias Urbis pro dictis stationibus designatas, iisdem diebus visitarent, dummodo cetera, quae ad has indulgentias lucrandas iniuncta sunt pietatis opera, rite praestiterint.

III.

Indulgentiae VII Ecclesiarum.

Sodales, qui septem Altaria in Ecclesiis Ordinis S. Augustini ad hoc designata visitaverint, easdem Indulgentias lucrantur, quas consequerentur visitando septem Ecclesias intra vel extra Urbem.

IV.

Indulgentiae partiales.

A. Decem annorum totidemque quadragenarum :

1. In omnibus Festis D. N. Iesu Christi, quae per totam Ecclesiam celebrantur, et eorum octavis;

2. In omnibus festis Sanctae Dei Genitricis, quae in tota Ecclesia pariter celebrantur, et eorum octavis;

3. In omnibus festis SS. Apostolorum et Evangelistarum;

4. In festo S. Ioannis Baptistae;

5. In festo S. Iosephi Sponsi B. M. V.;

6. In solemnitate Omnium Sanctorum;

Dummode dictis diebus corde saltem contrito ac devote Ecclesiam Ordinis seu Altare Confraternitatis visitaverint et aliquo temporis spatio oraverint.

B. Septem annorum totidemque quadragenarum:

1. In festo S. Augustini Ep. Doct.;

2. In festo S. Monicae Vid.; si eadem pia opera praestiterint.

3. Item sodalibus qui assistunt orationi serotinae, quae quotidie fit in Ordinis Ecclesiis; aut seorsim orationem seu collectam pro Ecclesia et pro Papa, aut etiam *Salve Regina* recitabunt.

C. Bis centum dierum.:

Quoties sodales divinis interveniunt servitiis, quae in Oratorio vel Capella Confraternitatis ordinarie fiunt; aut adsunt congregationibus et orationibus, quae inibi fieri consueverunt.

D. Centum dierum:

Quoties sodales aliquod opus pietatis vel caritatis exercuerint.

V.

Indulgentiae pro recitatione
Coronulae B. M. V. de Consolatione.

1. Sodales quoties integram coronulam corde saltem contrito ac devote recitaverint, lucrantur indulgentiam

Centum dierum

pro qualibet oratione dominica et angelica salutatione.

2. Quoties vero eadem coronula recitetur:

a) in Ecclesiis ubi Confraternitas canonice erecta reperitur;

b) in festo B. M. V. Matris Consolationis, aut in singulis diebus octavae eiusdem festi, sodales lucrantur, pariter pro quolibet *Pater noster* vel qualibet *Ave Maria,* indulgentiam

Bis centum dierum.

3. Sodales qui coronulam quater in hebdomada recitare solent, *plenariam indulgentiam* semel in anno, die eorum arbitrio eligendo, lucrari valent, dummodo vere poenitentes et confessi S. Synaxim sumpserint atque eamdem coronulam recitaverint.

4. Item *plenariam* lucrantur sodales qui per integrum mensem quotidie praedictam coronam recitaverint, simulque infra eumdem mensem, die cuiusque arbitrio eligenda, vere poenitentes, confessi ac S. Mensa refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.

Omnes et singulae indulgentiae in praesenti elencho recensitae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus quoque in purgatorio degentibus sunt applicabiles.

VI.

Privilegium et Indulta.

1. Missae omnes in quocumque Altari pro defunctis sodalibus celebratae, privilegio gaudent perinde ac si in Altari privilegiato celebratae fuissent.

2. Sodales, qui degunt in locis ubi Ecclesia Ordinis S. Augustini desit, omnes indulgentias lucrari valent quas consequerentur dictam ecclesiam visitando, si ceteris operibus iniunctis positis, Altare Confraternitatis, vel, hoc etiam deficiente, Parochialem suam Ecclesiam visitaverint.

3. Sodales qui in Collegiis, Seminariis aliisque Communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae Domus Sacellum loco Ecclesiae Ordinis vel Confraternitatis visitando, ceteris adimpletis conditionibus.

DECRETUM.

Quum Prior Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, ad omne dubium e medio tollendum de indulgentiis olim concessis Sodalibus Archiconfraternitatis Cincturae B. M. V. Matris Consolationis, S. Augustini et S. Monicae novum earundem indulgentiarum indicem huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae approbandum subiecerit : eadem Sacra Congregatio quibusdam ex suis Consultoribus illum examinandum dedit. Ii vero eiusdem accurato peracto examine, quum in eo nonnullas indulgentias delendas, alias addendas, aliasque iuxta hodiernam praxim moderandas esse duxerint, novum indicem, qui superius prostat, proposuerunt. Sacra vero Congregatio, vigore facultatum a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributarum, ex indulgentiis in superiore indice insertis, alias denuo confirmare, alias vero benigne concedere dignata est: simulque edixit, ut, quibuscumque aliis Indulgentiis abrogatis seu re vocatis, praefata Archisodalitas in posterum iis

tantummodo perfrui valeat, quae in memorato indice recensentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Decembris 1902.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

f FANCISCUS SOGA.RO, Archiep. Amiden., *Secret*

SACERDOTUM MISSIONIS

INDULTUM conceditur Presbyteris Missionis circa Sabbatinum privilegium.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani Vice-Procurator Generalis Missionis, ad osculum S. Pedis provolutus, humiliter petit S. V. ut Sacerdotibus Missionis concedere dignetur facultatem commutandi Filiabus Caritatis et aliis in Diversoriis, a dictis Sororibus directis, habitantibus, Officium parvum B. Mariae Virginis, jeiunia necnon abstinentias ad *Sabbatinum* privilegium obtinendum necessarias pro Carminis Scapulari adscriptis, in locis quoque ubi Coenobia aut Domus Ordinis Carmelitici extant, quum valde difficile sit supradictis apud Carmeliticam Familiam pro hac commutatione sese conferendi. Et Deus etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Februarii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. & S.

f F. Sogaro, Archiep. Amiden., *Secret*

BONONIENSIS

DUBIUM circa absolutiones et benedictiones a Monialibus Tertiariis suscipiendas.

A Confessariis quorundam Monasteriorum Sanctimonialium Tertii Ordinis in Archidioecesi Bononiensi existentium huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium propositum fuit:

Sanctimoniales Tértiariae alicuius Ordinis Regularis, iurisdictioni Episcopi subiectae, quae ius habent ad quasdam annuas absolutiones generales et benedictiones apostolicas suscipiendas, debentne huiusmodi favores spirituales obtinere ministerio confessarii ab Episcopo adsignati, aut ope Religiosi vel sacerdotis saecularis deputati a superiore Ordinis respectivi?

S. Congregatio respondendum mandavit:

Affirmative quoad ***Iam*** *partem; negative ad* ***2am.***

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr., die 11 Februarii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. * S.

f FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secret.*

TERTII ORDINIS SAECULARIS S. FRANCISCI

INDULTUM conceditur Sacerdotibus Tertiariis quoad Benedictionem Papalem.

Beatissime Pater,

Sacerdotes Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci, ad osculum S. Pedis provoluti, humiliter implorant ut, qui ex ipsis, muneribus Sacerdotalibus impediti fuerint quominus adsignatis diebus Ecclesiam vel Oratorium adire valeant ad recipiendam Benedictionem Papalem vel Absolutiones Generales cum adnexa Indulgentia Plenaria praefato Tertio Ordini concessas, easdem recipere possint quocumque die inter festi octiduum occurrente, ne tanto bono spirituali inculpabiliter priventur.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi tributarum, S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis prae-

posita benigne annuit pro gratia iuxta'preces, ceteris servatis de iure servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong.nis die 11 Februarii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

TERTII ORDINIS SAECULABIS S. FRANCISCI

DUBIUM circa Novitiatus interruptionem per temporaneam habitus depositionem.

Moderator cuiusdam Congregationis Tertii Ordinis saecularis S. Francisci huic S. Congregationi Indulgentiarum sequens dubium dirimendum proposuit:

An interrumpatur Novitiatus Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci si quis habitum, id est scapulare cum cingulo, absque dispensatione, deposuerit sive ex oblivione, sive ex negligentia, sive ex impossibilitate?

Porro eadem S. Congregatio, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit:

Negative si ex oblivione vel impossibilitate; si vero ex negligentia pariter *negative,* dummodo voluntas emittendi professionem in praefato Ordine non fuerit retractata.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 4 Martii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

f FRANCISCUS SOGARO, Arch. Amiden., *Seereturius.*

RATISBONENSIS

DUBIA circa transitum Tertiariorum eorumque Moderatorum de una ad aliam Obedientiam.

Episcopus Ratisbonensis huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exposuit, in sua dioecesi Tertium Ordinem saecularem S. Francisci latissime propagari, praesertim tempore SS. Missionum, quae promiscue habentur a trina Franciscanum familia, id est FF. Minoritàrum necnon

Capuccinorum et Conventualium. At haec agendi ratio multiplicem dubitandi praebet occasionem, praesertim quoad cooptationem Christifidelium in praefatum Ordinem et eorundem professionem. Siquidem saepe accidit, ut qui sacerdos Directoris munus a familia ex. gr. Conventualium accepit, alio transferatur ubi existit Congregatio Tertiariorum a familia Capuccinorum erecta; quo in casu dubitatur an hic eodem modo inibi exercere valeat facultatem ipsi tributam a familia Conventualium. Imo Tertiarii ipsi, qui ab aliqua praedictarum familiarum ad habitum et novitiatum recepti fuere, aliquando alio transmigrant, ubi Franciscanum familia diversa ab ea, quae eosdem ad habitum admiserat, reperitur; poteruntne Tertiarii isti valide ad professionem admitti ab hac familia ? — Quare sequentia dubia dirimenda orator proposuit:

I. Utrum Christifideles, qui fuerunt admissi ad novitiatum Tertii Ordinis saecularis S. Francisci in aliqua Congregatione, quae subest iurisdictioni, puta FF. Capuccinorum, si alio transmigrent, ubi existit Congregatio subiecta FF. Minoritis aut Fratribus Conventualibus, inibi professionem valide emittere possint.

II. Utrum Parochus vel quilibet alius sacerdos, qui erat praeditus facultate, puta a FF. Minoribus, cooptandi Christifideles in Tertium Ordinem saecularem S. Francisci, si in alium locum pergat, ubi existit Congregatio subiecta FF. Capuccinis, denuo obtinere debeat facultatem ad praefatos actus exercendos, vel uti ea valeat, qua primum potiebatur?

S. Congregatio, audito etiam Moderatorum Franciscanum familiarum sententia, quoad propositas quaestiones haec in posterum servanda decrevit:

1. Ut Novitii Tertiarii saeculares S. Francisci professionem emittere valeant in Congregatione alterius obedientiae, seu diversae ab illa in qua ad novitiatum fuerant admissi, si ista melius eorum commoditati provideatur.

2. Ut professi eadem de causa transire possint ab una Congregatione ad aliam diversae obedientiae.

3. Ut Parochus vel quilibet sacerdos alicuius Congregationis Tertiariorum Moderator, si alio transferatur, ubi alia Congregatio diversae obedientiae reperiatur, eamdem regere possit, quin indigeat nova adprobatione; teneatur tamen hac de re certiorem facere Visitatorem Regularem, ut cum eodem negotia Congregationis gerere valeat.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 4 Martii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. © S.

† FRANCISCUS SOGARO, Aren. Amiden., *Secretarius.*

GERUNDENSIS

DUBIUM circa indultum Altaris privilegiatis.

Michael Camós, Capellanus Confessarius Monialium Cirsterciensium Monasterii Sanctae Mariae de Chatinis in civitate ac dioecesi Gerundensi, ab hac S. Congñe Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulabat:

« Utrum Missae conventuales de Sancto vel de die celebrandae diebus, quibus Missae privatae de Requie permittuntur, gaudere possint indulto Altaris privilegiati? »

S. Congregatio, audito Consultorum voto, respondendum mandavit:

Affirmative.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congñis die 29 Aprilis 1903.

A CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. * S.

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

EX S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

DECRETUM quo Episcopo Tlascalen. tribuitur facultas cognoscendi et iudicandi in secunda instantia causas, in prima instantia iudicatas a Curia de Antequera.

Ex Audientia SSmi die 28 Aprilis Î903.

Sanctissimus Dñs Noster Leo divina Providentia PP. XIII, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, consulere cupiens faciliori et promptiori agnitioni ecclesiasticarum iudicialium controversiarum Archidioeceseos de Antequera, ad preces eiusdem Archidioecesis Antistitis, et habito voto Episcoporum Tehuantepecen. et Tlascalen., R. P. D. Episcopo Tlascalen. seu Angelorum facultates tribuit necessarias et opportunas ut, ex delegata Sedis Apostolicae auctoritate, cognoscere possit in secunda instantia et iudicare tum matrimoniales tum alias fori ecclesiastici causas, quae in prima instantia ab Archiepiscopo de Antequera, vel, sede vacante, a Vicario Capitulari eiusdem Archidioeceseos iudicata fuerint et quae usque hodie in eadem instantia cognoscebantur et iudicabantur ab Episcopo Tehuantepecen., servata, quoad matrimoniales causas, constitutione Benedicti Pp. XIV quae incipit « *Dei Miseratione* »; eaque in primis lege, ut in singulis actis expressa fiat mentio specialis Sedis Apostolicae delegationis, et quoad omnes praedictas causas servatis ceteris, quae iure canonico praescripta sunt. Super quibus idem SSmus Dominus mandavit hoc edi Decretum et in Acta superius memoratae S. Congregationis referri. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

L. % S.

-f PETRUS, ARCHIEP. CAESARIEN., *Secretarius.*

ACTA ROMANI PONTIFICIS

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE

SS.mi D. N. Leonis XIII ad E.mum Cardinalem Respighi, Urbis Vicarium, quoad solemnia Iubilaei Pontificalis peracta.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod Iubilaei Pontificalis solemnia, Deo propitio adspirante, praeclarum consecuta sint exitum, industriam etiam egregii coetus agnoscimus, qui ad celebrità tes rari maxime eventus agendas coaluit. Observantiam coniunctionemque id Nobis confirmat, quam in Petri Cathedram atque in Personam Nostram fovetis, libetque idcirco profiteri et vestra omnium solertia et studiis communibus iucunde Nos esse affectos. Porro merita vos laude prosecuti, gratam cuique vestrum voluntatem testamur. Opera vero templi Lateranensis, quoniam in id potissimum Iubilaei Nostri monumentum intendistis, nolumus alacritate vestra destitui, cupimusque propterea atque optamus, ut coeptis insistere, pro suscepto vobis instituto, perseveretis. Auspicem interea coelestium gratiarum Nostraeque testem benevolentiae Apostolicam. Benedictionem tibi ac singulis e coetu peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvi Maii MCMIII, Pontificatus Nostri vigesimo sexto.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio Nostro
Petro Tit. SS. Quatuor Coronatorum
S. R. E. Presb. Card. Respighi
Vice Sacra Antistiti Urbano
ac Praeposito solemniis Iubilaei
Pontificalis peragendis.

EPISTOLA

Quam SSmus D. N. Leo PP. XIII ad E.mum Card. Ferrari, Archiepiscopum Mediolanensem, aliosque provinciae Praesules rescribens misit.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Communes litteras, quas Raudi in solemnem congregati coetum tu ceterique Mediolanensis provinciae Praesules ad Nos dedistis, haud mediocri animi oblectatione iam pridem legimus. Luculenta enim significatio ibi continebatur tum vehementis studii, quo vestrarum Ecclesiarum bono vigilantes prospicitis: tum constantis obsequii, quo cum Romani Pontificis documentis plane sentitis. Quod a vobis nunciatum est in eo vos pro viribus adlaborare ut christiana plebs, divinae sapientiae exculta praeceptis, melior in dies evadat, id sacerdotalis muneris maximam excipit partem idemque Nobis valde probatur : porro quum magis ovile luporum patet incursibus, eo^aior industria in prohibendis periculis est adhibenda pastori. Quum vero certum compertumque sit populum in pastores tamquam in exemplar intueri eorumque mores plus quam praecepta valere, illud in primis earum commendare libet, scilicet quod vobis sancta et esse et futura profiteamini, quae superiori anno de sacrorum alumnis rite instituendis decrevimus. Quippe in tanto bello contra catholicum ministerium undique inflato, curare ut clerici in sacris ephebeis, ad omnem optimam artem compositi, in spem Ecclesiae veluti in viridario succrescant : eo spectare ut sacerdotes a se ipsis exculti se tales impertiant qualem Paulus voluit se praebere Titum « *in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* » (1); haec officia praestantissima Episcoporum sunt, quae effuso complectimur animo quibusque magnopere delectamur. Deo igitur confisi pergite incoepta : quod simul seruistis uberem ferat fructum, auspice Apostolica Benedictione, quam paternae benevolentiae Nostrae testem Ubi dilecte fili, ceteris ve-

ti) Ad **Titum** c. **II. 5.**

nerabilibus fratribus gregique christiano uniuscuiusque curis commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III Iunii anno MCMIII, Pontificatus Nostri vigesimo sexto.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio Nostro
Andreae Tit. S. Anastasiae
S. R. E. Presb, Card. Ferrari
Archiepiscopo Mediolanensi.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

CONSISTORIUM SECRETUM.

Die 22 Iunii 1903 in Palatio Apostolico Vaticano SSmus D. N. Leo Papa XIII Consistorium Secretum habuit, in quo Emus ac Rmus D. Cardinalis Franciscus de Paula Cassetta, quum annuale officium Camerarii Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii implevisset, consuetam Perulam Summo Pontifici exhibuit, qui eam Emo ac Revmo D. Cardinali Alexandro Sanminiatelli Zabarella tradere dignatus est. Dein Sanctitas Sua sequentem habuit allocutionem :

ALLOCUTIO D. N. Leonis Divina Providentia Papae XIII habita in Consistorio die XXII Iunii anno MDCCCCIII.

Venerabiles Fratres,

Nobis quidem apprime gratum, quod vos in huius dignitate loci revisere frequentes hodie licet. Utinam grata ad audiendum eloqui omnia pari modo liceret. Postremi spatium anni haud sane vacuum solatio fuit. Mitescere quippe sollicitudines, recrearique animus non sine caussa solet, si quando in conspectu sint fidei pietatisque christianae testimonia non dubia ; qualia pro-

fecto per hos superiores menses videmur in tot hominum millibus perspexisse, qui honorem habere Pontifici maximo tanta cum significatione reverentiae tantoque consensu certavere. Iucunda memoratu ista sunt atque opportuna spei : verum non estis ignari quam multiplex curarum aliunde materies. Quae saepe alias de conditione aspera catholicae rei per occasionem diximus, ea nunc iterari apud vos, tametsi nimium adhuc congruentia temporibus, nihil attinet. Unum silere non possumus, cuius quidem cogitatione sicut Nos incredibiliter angimur, ita christianos hoc dignos nomine penitus commoveri singulos necesse sit : infensos dicimus christianae gentium humanitati spiritus, quos per venas civitatum serpere quotidieque manare latius haec videt aetas. Sapientiae disciplinaeque, a Iesu Christo Redemptore mortalibus traditae, fastidium quoddam vecors et contumax in vitam hominum apparet invasisse, non sine meditato regressu ad ingenium atque instituta miserorum ethnicorum. Talem animorum habitum non ambigue prae se ferunt mores plurimorum, itemque leges, publice instituta, philosophia, artes ingenuae, ipsaemet non raro ad sacrilegum proiectae scelus humaniores litterae. Hinc, si modo circumspicias, velut pactam destinatamque passim dixeris institutorum catholicorum cladem : ita multi sunt, qui adversus ea et privatim et publice, vel per occultum et in speciem lenius, vel per apertam vim et sine modo grassantur. Refugii mens introspicere, quo denique ista sint, ni Deus iuvet, evasura consilia. Quid enim boni, quid spei relinquitur iis, qui parta per Iesum Christum beneficia sponte repudiarint? Isthaec quidem eripere usquequaque et funditus humano generi beneficia non magis homines possunt, quam decreta frustrari voluntatemque omnipotentis Dei : at vero per superbiam et pervicaciam utique possunt aditum ianuamque magnis iacturis patefacere, quarum caussa multitudo ingens de sempiterna salute periclitetur. His late incumbentibus malis, si voluntas est peiora prae vertere, perfugium praesidiumque in benignitate divina quaeratur. Ab ipso potissimum Iesu Christo contendere debemus, ut opus in terris, suum, hoc est redemptionis benefacta, custodire tuerique in perpetuum velit, nec diripi hereditatem suam ulla ex parte patiatur. Communis omnium caussa agitur : omnes propterea, quotquot ubique numerantur, qui fidem avitam diligunt et salvi esse volunt, ad preces humiles et supplices excitandi sunt. Nos vero, ne quid

praetermittamus quod conducibile saluti videatur, dare publice litteras in eam rem, quae dicta est, constituimus : proximeque dabimus, spe praecipua in eo reposita, cuius numini parent omnia.

Referre ad vos de negotio debemus, quod sane ut expediatur hodierno die, Ecclesia Antiochèna Graecorum Melchitarum requirit. Hanc in viduitate reliquerat Patriarcha suus, venerabilis frater b. m. Petrus Geraigiri, superiore anno morte sublatus. Quod igitur facto opus erat, catholici eadem natione Episcopi, ut de successore décernèrent, in Synodum more institutoque veteri convenere. In aedibus Seminarii de Ain-Traz Synodus habita. Die autem vicesimo octavo Iunii an. MDCCCCII, consentientibus omnium suffragiis et acclamatione in demortui locum dixere Patriarcham ven. fr. Cyrillum Geha Archiepiscopum Aleppensem, Vicarium Apostolicum Patriarchalem. Mox Episcopi suffragatores supplicandum Nobis curavere, ut electum Patriarcham rite confirmare sacrique honore Pallii afficere placeret. Eadem electus suppliciter rogavit, facta, ut assolet, catholicae fidei professione. Rem totam ad cognoscendum, sententiamque dicendam delegavimus ad sacram Congregationem christiano nomini propagando, negotiis ritus orientalis praepositam, quae, caussa probe perpensa, postulatis annuendum censuit. Venerabilem Fratrem Cyrillum Geha ornamentis animi praeditum esse constat non paucis nec vulgaribus. Varia ille excultus doctrina, integritate vitae morumque suavitate praestans, Episcoporum collegarum suorum opinione maxime floret. Idem in archiepiscopatu Aleppensi gerendo virtutem ac prudentiam suam probavit : ideoque explorata spes est futurum ut altiore etiam in gradu loca tus communem expectationem digne expleat. Has ob caussas, de sententia sacrae Congregationis supra dictae, eumdem venerabilem fratrem in Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum confirmandum, eique Pallium de corpore beati Petri sumptum conferendum iudicavimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Episcopis Graeco-Melchitis factam de persona venerabilis fratris Cyrilli Geha, eumque a vinculo absolutum, quo Ecclesiae Aleppensi adstrictus tenebatur, praeficimus in Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Graecorum Melchitarum, prout in decreto

et schedulis Consistorialibus exprimetur : contrariis non obstantibus quibuscumque : In nomine Patris et Filii *$i et Spiritus >$i Sancti. Amen.

Ceterum S. R. E. Cardinales creare ac renuntiare egregios viros septem decrevimus, quos sua quemque virtus et variorum sapiens administratio munerum dignos plane, qui in amplissimum Collegium vestrum cooptarentur, probavere. Ii autem sunt :

CAROLUS NOCELLA, Patriarcha Constantinopolitanus, sacrae Congregationis Consistorialis Secretarius :

BENIAMINUS CAVICCHIONI, Archiepiscopus tit. Nazianzenus, sacrae Congregationis Concilii Secretarius :

ANDREAS AIUTI, Archiepiscopus tit. Tamiathensis, Nuntius Apostolicus in Lusitania :

EMYGDIUS TALIANI, Archiepiscopus tit. Sebastensis, Nuntius Apostolicus in Imperio Austro-Hungarico. :

SEBASTIANUS HERRERO Y ESPINOSA DE LOS MONTEROS, Archiepiscopus Valentinus :

IOANNES KATSCHTHALER, Archiepiscopus Salisburgensis :

UBERTUS ANTONIUS FISCHER, Archiepiscopus Coloniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra creamus et renuntiamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

CAROLUM NOCELLA
BENIAMINIUM CAVICCHIONI
ANDREAM AIUTI
EMYGDIUM TALIANI
SEBASTIANUM HERRERO Y ESPINOSA DE LOS MONTEROS
IOANNEM KATSCHTHALER
UBERTUM ANTONIUM FISCHER

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis, necessariis et opportunis.

In nomine Patris et Filii >£ et Spiritus >$i Sancti. Amen.

Postquam ***vero*** *Emus ac Rmus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, dimisso Titulo Presbyterali SS. Bonifacii et Alexii* ***Optovit*** *alterum S. Laurentii* ***in*** *Lucina, Sanctissimus Pater sequentia Maiora Officia, necnon Ecclesias hactenus vacantes proposuit :*

Cathedrales Ecclesias Suburbicarias Por tuen, et Sanctae Rufinae invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum cia. me. Lucidi Mariae dum viveret S. R. E. Episcopi Cardinalis Parocchi, ultimi illarum Antistitis apud romanam curiam defuncti ; favore Erui ac Revmi D. Seraphini S. R. E. Cardinalis Vannutelli, Sub-Decani Sacri Collegii, Episcopi Tusculani, hac tamen Ecclesia dimissa.

Vice-Cancellar latum S. R. E. ac Sommistatum Litterarum Apostolicarum, vacan, per obitum cia. me. Lucidi Mariae dum viveret S. R. E. Cardinalis Parocchi ; favore Emi ac Revmi D. Cardinalis Antonii Agliardi, Episcopi Albanensis, cui datur in Commendam Basilica S. Laurentii in Damaso.

Cathedralem Ecclesiam Suburbicariam Tusculan., vacan, per translationem, vigore optionis, Erni ac Revriii D. Seraphini S. R. E. Cardinalis Vannutelli ad invicem perpetuo canonice unitas Ecclesias Cathedrales Portuen. et S. Rufinae ; favore Emi ac Revmi D. Francisci titulo S. Mariae *in Araeoeli*ipsius S.R.E. Presbyteri Cardinalis Satolli, praedicto Titulo Presbyterali dimisso.

Titularem Ecclesiam Patriarchalem Constantinopolitana vacan, per promotionem R. P. D. Caroli Nocella ad Cardinalatus dignitatem; favore R. P. D. Iosephi Ceppetelli, Archiepiscopi Myrensis et in Urbe Vicesgerentis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Ieoniensem, vacan, per obitum bo. me. Raphaelis Sirolli, ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Aloisii Lazzareschi, Episcopi titularis Neocesariensis.

Metropolitanam Ecclesiam Pisan., vacan, per obitum b. m. Ferdinand! Capponi, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Petri Maffi, Episcopi titularis Caesariensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Heliopohtan., vacan, per obitum bo. me. Guidonis Corbelli, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Roberti Seton,

Presbyteri dioeceseos Nevarcensis, Protonotarii Apostolici *ad instar participantium.,* Doctoris in sacra theologia.

Cathedralem Ecclesiam Mazarien., vacan, per promotionem R. P. D. Caietani Quattrocchi ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Serrarum; favore R. P. D. Nicolai Audino, Episcopi Liparensis.

Cathedralem Ecclesiam TJritan., vacan, per obitum b. m. Theodosii Mariae Gargiulo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Antonii Di Tommaso, Episcopi titularis Endoxiadensis.

Cathedralem Ecclesiam Tiburtin., vacan, per promotionem R. P. D. Petri Monti ad titularem Ecclesiam archiepiscopalem Antiochenam; favore R. D. Prosperi Scaccia, Presbyteri Civitatis Plebis, intimi *Sanctitatis Suae* Cubicularii supra numerum, Doctoris in utroque iure, Rectoris, Professoris iuris canonici ac sacrae theologiae in Seminario dioecesano, Canonici in Ecclesia Cathedrali et Vicarii Generalis.

Cathedrales Ecclesias Recineten, et Lauretan. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Gulielmi Giustini, ultimi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Victorii Amidei Ranuzzi De' Bianchi, Presbyteri Bononiensis, Domestici *Sanctitatis Suae* Praesulis, Primicerii in Metropolitana Bononiensi, Consiliarii penes Apostolicam Galliarum Legationem.

Cathedralem Ecclesiam Fidentin. seu Burgi S. Donnini, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Tescári, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. D. Petri Terroni, Presbyteri Apuana e dioeceseos, Convisitato ris dioecesani, Examinatoris synodalis, Rectoris et Professoris sacrae theologiae in Seminario Apuano, Canonici Archidiaconi in Ecclesia Cathedrali.

Cathedralem Ecclesiam Collen., vacan, per obitum bo. me. Alexandri Toti, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Maximiliani Novelli, Presbyteri Florentinae archidioeceseos, Doctoris in sacra theologia, Florentiae Vicarii Generalis et Canonici in Metropolitana Ecclesia.

Cathedralem Ecclesiam Cariaten., vacan, per promotionem R. P. D. Iosephi Antonii Virdia ad titularem Ecclesiam archiepiscopalem Nacoliensem ; favore R. D. Laurentii Chieppa, Presbyteri Andriensis, Doctoris in philosophia, in sacra theologia

et in utroque iure, in unitis dioecesibus Asculana et Cerinio-lensi Seminarii Rectoris et Vicarii Generalis.

Cathedralem Ecclesiam Secusien., vacan, per obitum bo. me. Eduardi Iosephi Rosaz, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Caroli Marozio, Presbyteri archidioeceseos Vercellensis, Doctoris in sacra theologia, Professoris sacrae theologiae in Seminario archidioecesano atque Canonici Poenitentiarii in Ecclesia Metropolitana.

Cathedralem Ecclesiam Casalen., vacan, per promotionem ad titularem Ecclesiam archiepiscopalem Melitensem R. P. D. Pauli Mariae Barone; favore R. D. Ludovici Gavotti, Presbyteri Ianuensis, Professoris in Seminario archiepiscopali, Canonici honoris in Abbatiali Ecclesia S. Mariae Immaculatae.

Cathedralem Ecclesiam Tricaricen., vacan, per obitum bo. me. Angeli Michaelis Onorati, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. Anselmi Pecci, Ordinis S. Benedicti, Presbyteri Abbatiae Cavensis SS. Trinitatis, ibi Praesidis studiorum, Magistri tyronum, Examinatoris prosynodalis, Professoris, Directoris convictus ac religiosae familiae Decani.

Cathedralem Ecclesiam Pacten., vacan, per obitum bo. me. Ioannis Previtera, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Francisci Mariae Traina, Presbyteri archidioeceseos Panormitanae, intimi *Sanctitatis Suae* Cubicularii supra numerum, Archipresbyteri-Parochi loci *Castronovo di Sicilia* nuncupati.

Cathedralem Ecclesiam Nicosien. seu Herbiten., vacan, per obitum bo. me. Bernardi Cozzueli, postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Ferdinandi Fiandaca, Presbyteri dioeceseos Calatanisiadensis, Doctoris in sacra theologia et in iure canonico, Professoris Sacrae Scripturae, iuris canonici ac theologiae in Seminario dioecesano, Examinatoris prosynodalis et Canonici Theologi in Ecclesia Cathedrali.

Cathedralem Ecclesiam Platien., vacan, per obitum bo. me. Mariani Palermo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Marii Sturzo, Presbyteri Calatayeronensis, Praefecti studiorum ac iuris canonici Professoris in dioecesano Seminario, necnon Canonici Primarii in Ecclesia Cathedrali.

Cathedralem Ecclesiam Liparen., vacan, per translationem R. P. D. Nicolai Audino ad Sedem Cathedralem Mazariensem; favore R. P. Fr. Francisci Mariae Raiti, ex Ordine Carmelitarum,

Presbyteri dioeceseos Iaciensis, Lectoris in sacra theologia, Defìnitoris Generalis in suo Ordine, necnon Poenitentiarii extraordinarii in Basilica Vaticana.

Cathedralem Ecclesiam Reginae Hradecen., vacan, per obitum bo. me. Eduardi Brynych, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Iosephi Doubrava, Presbyteri archidioeceseos Pragensis, intimi *Sanctitatis Suae* Cubicularii super numerum, Doctoris in sacra theologia, Examinatoris synodalis, Consiliarii atque Iudicis Ecclesiastici, necnon Canonici in Ecclesia Metropolitana; et eidem Ecclesiae promoti ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Menphiten. sub Archiepiscopo Oxyrinchio, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Barillari, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Salvatoris Fratocchi, Presbyteri Romani, Examinatoris cleri, Archipresbyteri-Parochi Collegiatae Ecclesiae SS. Celsi et Iuliani, et deputati in Auxiliarem R. P. D. Dominici Bucchi Accica, Episcopi Urbevetani.

Tandem, apertis Aulae portis atque introductis Orientalibus Romae residentibus, R. D. Cyrillus Magabgab, Procurator novi Patriarchae Graecorum Melchitarum, per Advocatum Consistorialem postulavit sacrum Pallium; necnon, habito Summi Pontificis assensu, Procurator debitas egit gratias nomine Patriarchae et nationis Graecorum Melchitarum.

CONSISTORIUM PUBLICUM.

Die 25 Iunii 1903 habitum fuit publicum Consistorium in Aula regia Palatii Apostolici Vaticani, in quo SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII tradidit Galerum rubrum Cardinalitiam Emis ac Revmis D. Cardinalibus Carolo Nocella, Beniamino Cavicchioni, Uberto Antonio Fischer, qui creati et publicati fuere in Consistorio secreto immediate praecedenti, die 22 Iunii 1903.

Temporis intervallo Advocatus Consistorialis causam egit Beatificationis et Canonizationis.

Impartita a Summo Pontifice Benedictione, omnes Cardinales ad Siœtinum Sacellum abierunt, ubi Ethus ac Revmus

D. *Cardinalis Sub-Decanus orationem reeitavit super ereatos Cardinales, qui omnes postea ad aulam solitam ascenderunt, Pontifieis Maximi adventum eœpectaturi, pro Consistorio seereto.*

CONSISTORIUM SECRETUM.

Eadem die 25 Iunii 1903 habitum fuit Consistorium secretum, in quo SSmus Dnus Noster Leo XIII os clausit Efhis ac Rmis D. Cardinalibus nuper creatis et publicatis, necnon sequentes proposuit Ecclesias :

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Mitylinen., vacan, per translationem R. P. D. Emmanuelis Vieira de Mattos ad Cathedralem Sedem Egitaniensem ; favore R. P. D. Iosephi Alves de Mattos, Presbyteri Conimbricensis dioeceseos, *Sanctitatis Suae* Praelati Domestici, Vicarii Generalis Emi Patriarchae Lisbonensis, Baccalaurei in sacra theologia; atque in Suffraganeum Patriarchalis Ecclesiae Lisbonen. deputati ex benignitate *Sanctitatis Suae* obsecundare cupientis votis Fidelissimae Maiestatis Caroli Portugalliae et Algarbiorum Regis.

Cathedralem Ecclesiam Pacen., vacan, per obitum bo. me. Raymundi Torriyos et Gomez, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Iosephi Hevia et Campomanes, Ordinis Praedicatorum, Episcopi Novae Segobiae, ad primodictam Pacen. Ecclesiam translati, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralem Ecclesiam Magno- Varddinen. Latinorum, vacan, per obitum cia. me. Laurentii S. R. E. dum viveret Cardinalis Schlaauch, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Pauli Szmrecsányi, Episcopi Scepusiensis, ad primodictam Magno-Varadinen. Ecclesiam translati ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Cathedralem Ecclesiam Chartaginen., vacan, per obitum bo. me. Thomae Bryan et Livermore, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Vincentii Alonso y Salgado, ex Ordine Scholarum Piarum, Episcopi Asturicensis, ad primodictam Carthaginen. Ecclesiam translati ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralem Ecclesiam Magno-Varadinen. Rumenorum ritus graeeo-latini, vacan, per obitum bo. me. Michaelis Pavel, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Demetrii Radu, Episcopi Lugosien., ad primodictam Ecclesiam translati ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi 1, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Cathedralem Ecclesiam Astorieen., vacan, per translationem R. P. D. Vincentii Alonso y Salgado ad Sedem Cathedralem Carthaginensem ; favore R. P. D. Mariani Cidad Olmos, Episcopi titularis Archelaidensis, ad eamdem Aristocen. Ecclesiam translati ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralem Ecclesiam Lugosien. ritus graeco-rumeno-catholici, vacan, per translationem R. P. D. Demetrii Radu ad Sedem Cathedralem Magno-Varadinensem ; favore R. D. Basilii Hosszu, Presbyteri Fogarariensis archidioeceseos, *Sanctitatis Suae* Domestici Praesulis, Doctoris in sacra theologia et Canonici in Ecclesia Metropolitana; eidem Ecclesiae praefecti ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Cathedralem Ecclesiam Sinaolen., in Republica Mexicana, vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Arvaya ad Sedem Cathedralem Chilapensem; favore R. D. Francisci Uranga et Saenz, Presbyteri dioeceseos Chihuahensis, Cancellarii in ecclesiastica Curia, Canonici in Metropolitana Ecclesia, ad eamdem Ecclesiam Sinaolensem promoti per Apostolicas Litteras in forma Brevis expeditas.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Eudoxiaden. sub Archiepiscopo Pessinuntio, vacan, per translationem R. P. D. Antonii Di Tommaso ad Sedem Cathedralem Uritanam; favore R. D. Richardi Cortes et Cullell, Presbyteri Barcinonensis, Doctoris in sacra theologia, Prolytae in utroque iure, Canonici Poenitentiarii in Cathedrali Ecclesia, atque, cum *Sanctitas Sua* annuere intendat votis Serenissimi Regis Catholici Alphonsi XIII, deputati in Auxiliarem Emi ac Revmi D. Salvatoris S. R. E. titulo SS. Quirici et Iulittae Presb. Card. Cassañas et Pages, Episcopi Barcinonensis.

Hisce praehabitis, Sanctitas Sua Ecclesias pandidit per Apostolicas Litteras in forma Brevis hucusque provisas :

Metropolitanam Ecclesiam Colonien., vacan, per obitum bo. me. Theophili Uberti Simar, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Antonii Fischer, Episcopi Iuliopolitani, a RR. DD. Capitulo et Canonicis Coloniensibus electi seu postulati ; nunc autem Cardinalis S. R. E. creati et publicati.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Aneyran., vacan, per translationem Iacobi Merizzi ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Mocissenam ; favore R. P. D. Iulii Tonti, Archiepiscopi Portus Principis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Nacoliensem, favore R. P. Iosephi Antonii Virdia, ex Ordine Minorum Conventualium, Episcopi Cariatensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Synnaden., favore R. P. Enrici Altmayer, ex Ordine Praedicatorum, Archiepiscopi Babylonensis Latinorum.

Metropolitanam Ecclesiam Tuamen. in Hybernia, favore R. P. D. Ioannis Healy, Episcopi Clonfertensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Melitenen., vacan, per obitum bo. me. Felicis Mariae de Nekere, ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Pauli Mariae Barone, Episcopi Casalensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Auœumitan., favore R. P. D. Georgii Montgemery, Episcopi Montereyen. et Angelorum, atque deputati in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Patritii Guilelmi Riordan., Archiepiscopi S. Francisci in California.

Metropolitanam Ecclesiam Glasguen., favore R. P. D. Aloisii Maguire, Episcopi titularis Trocmadarum.

Metropolitanam Ecclesiam Neo Eboracen., favore R. P. D. Ioannis Farley, Episcopi titularis Zeugmatensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Antiochen. in Pigiata, vacan, per obitum bo. me. Leopoldi Franchi, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Petri Monti, Episcopi Tiburtini, Apostolici Delegati penes Chilenam Rempublicam.

Metropolitanam Ecclesiam Chicagien., favore R. P. D. Iacobi Eduardi Quigley, Episcopi Buffalensis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Areopolitan., favore R. P. D. Enrici Moeller, Episcopi Columbensis, atque deputati in

Coadiutorem cum successione R. P. D. Guilelmi Enrici Eider, Archiepiscopi Cincinnatensis.

Ecclesiam Vaneouverien., nuper ad Metropolitanae honorem evectam a *Sanctitate Sua,* favore R. P. D. Orth, Episcopi eiusdem Sedis.

Ecclesiam Archiepiscopalem Babylonen., Latinorum, favore R. P. Ioannis Drure, ex Ordine Carmelitarum Exealceatorum, Presbyteri dioecesis Augustodunensis.

Ecclesiam Archiepiscopalem Marden., Armenorum, favore R. D. Hussigh Gulian, eiusdem ritus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Aleppen. seu Berocen. Armenorum, favore R. D. Augustini Sayegh, eiusdem ritus.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Stauropolitan., vacan, per obitum bo. me. Aurelii Zonghi, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Ioannis Baptistae Guidi, Presbyteri dioeceseos Alatrinae, Apostolici Delegati in Insulis Philippinis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Nisibin., favore R. D. Hormisdae Gibri, ritus chaldaei.

Cathedralem Ecclesiam Egitanien., vacan, per obitum bo. me. Thomae Gomes de Almeida, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Emmanuelis Vieira de Mattos, Archiepiscopi titularis Mytilenaei, ad primodictam Egitanien. Ecclesiam translati ad praesentationem Serenissimi Domini Caroli Portugalliae et Algarbiorum Regis Fidelissime

Cathedralem Ecclesiam Sandomirien., vacan, per obitum bo. me. Antonii Francisci Xaverii Sotkiewicz, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Stephani Alexandri Zwierowicz, Episcopi Vilnensis.

Cathedralem Ecclesiam Chilapen. in Mexicana Republica, vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Raymundi Ibarra ad Sedem Cathedralem Tlascalensem ; favore R. P. D. Iosephi Homoboni Anaya, Episcopi Sinaloensis.

Cathedralem Ecclesiam Comaclen., vacan, per obitum bo.me. Tullii Sericei, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Alphonsi Archi, Episcopi titularis Gazaei.

Cathedralem Ecclesiam Montereyen. et Angelorum, favore R. P. D. Thomae Iacobi Conaty, Episcopi titularis Samii.

Cathedralem Ecclesiam Caiacen. seu Calatin., favore R. P. D. Friderici De Martino, Episcopi titularis Hephaestii.

Cathedralem Ecclesiam Neocastren., vacan, per promotionem R. P. D. Dominici Mariae Valensise ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Oxyrinchien. ; favore R. D. Ioannis Regine, Presbyteri dioeceseos Isclanae, Doctoris in sacra theologia, Rectoris Seminarii dioecesani, Canonici Archipresbyteri in Cathedrali Ecclesia.

Cathedralem Ecclesiam Aprutin. seu Theramen., favore R. P. Alexandri Beniamini Zanecchia-Ginnetti, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum, Episcopi titularis Hierocaesariensis.

Cathedralem Ecclesiam Alatrinam, vacan, per obitum bo. me. Francisci Giordani, postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. Fr. Benedicti Spila, ex Ordine Minorum, Presbyteri Sublacensis, Rectoris regii Conventus S. Clarae Neapoli.

Cathedralem Ecclesiam Galtellinen.-Nor en., vacan, per obitum bo. me. Salvatoris Angeli Demartis, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Lucae Canepa, Presbyteri Calaritani, Doctoris in utroque iure, Vicarii Generalis ac Canonici Doctoralis in Ecclesia Metropolitana.

Cathedralem Ecclesiam Pharen. in Dalmatia, favore R. P. Giordani Zaninovic, ex Ordine Praedicatorum, Presbyteri dioecesani, Lectoris in sacra theologia, Examinatoris prosynodalis, Consiliarii episcopalis, Ministri Provincialis in Dalmatia.

Cathedralem Ecclesiam Clonferten., favore R. D. Thomae O'Dea, Rectoris Collegii dioecesani.

Cathedralem Ecclesiam Colimensem, in Mexicana Republica Americae Septentrionalis, vacan, per promotionem R. P. D. Athenogenis Silva ad Sedem Metropolitanam Mechoacanensem; favore R. D. Iosephi Amatoris Velasco, Presbyteri dioeceseos Colimensis, Doctoris in sacra theologia, Vicarii Capitularis Colimensis.

Cathedralem Ecclesiam Tehuantepecem in Mexicana Republica Americae Septentrionalis, vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Mora ad Sedem Cathedralem de Tulancingo; favore R. D. Caroli a Iesu Mejia, e Congregatione Missionis, Presbyteri dioeceseos Iabapensis seu Verae Crucis, Doctoris in sacra theologia, Rectoris Seminarii dioecesani.

Cathedralem Ecclesiam de Sonora, in Mexicana Republica Americae Septentrionalis, vacan, per obitum bo. me. Herculani Lopez, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Ignatii Valdespino et Diaz, Presbyteri archidioece-

seos Durangensis, Canonici Cantoris Ecclesiae Metropolitanae, atque Notarii archiepiscopalis.

Cathedralem Ecclesiam laren. seu Sanctae Elisabeth, in Insulis Philippinis, vacan, per liberam dimissionem R. P. D. Andreae Ferrerò; favore R. D. Friderici Rooker, Presbyteri Neo-Eboracensis, Doctoris in philosophia et in sacra theologia, Secretarii penes Apostolicam Delegationem in foederatis Americae Septentrionalis Statibus.

Cathedralem Ecclesiam Novae Segobiae, In Insulis Philippinis, vacan, per liberam dimissionem R. P. D. Iosephi Hevia Campomanes ; favore R. D. Dionysii Daugherty, Presbyteri Philadelphiensis archidioeceseos, Doctoris in sacra theologia, Professoris in Seminario Philadelphiae, Promotoris flscalis in Curia atque Examinatoris synodalis.

Cathedralem Ecclesiam Buffalen., favore R. D. Caroli Colton, Presbyteri metropolitanae Neo-Heboracensis, Rectoris Ecclesiae S. Stephani, Cancellarii et Consultoris archiepiscopalis.

Cathedralem Ecclesiam Coimbaturen., favore R. D. Iacobi Dionysii, Presbyteri dioeceseos Tarbiensis, a Seminario Missionum Exterarum Parisiensi.

Cathedralem Ecclesiam Cheyennen., favore R. D. Iacobi Ioannis Keane, Rectoris Ecclesiae Immaculatae dioecesanae.

Cathedralem Ecclesiam Jrapezuntin. Armenorum, favore R. D. Stephani Apikian, eiusdem ritus.

Cathedralem Ecclesiam Serien. Chaldaeorum, favore R. D. Addai Ibrahime, eiusdem ritus.

Cathedralem Ecclesiam De Mixtecas, in Mexicana Republica, per Apostolicas Litteras sub plumbo nuperrime expeditas ad Cathedralis honorem evectam et in primaeva erectione sua vacan.; favore B. D. Raphaelis Amador, Presbyteri dioeceseos Angelopolitanae, Doctoris in sacra theologia, Parochi et Vicarii foranei in ipsa civitate *Huajuápam.*

Cathedralem Ecclesiam Ibaguen., in Columbiana Republica, per Decretum Consisto ríale incipiens « *Cum legitimae causae* » die 20 maii 1900 editum, ad Cathedralis honorem evectam et a primaeva sua erectione vacan.; favore R. D. Ismaelis Perdomo, Presbyteri dioeceseos Garzonénsis, Doctoris in sacra theologia atque Praesidis Seminarii clericalis.

Cathedralem Ecclesiam Leaden., nuperrime ad Cathedralis honorem a *Sanctitate Sua* evectam, favore R. D. Ioannis

Starika, Vicarii Generalis et Consiliarii archidioeceseos S. Pauli de Minesota.

Cathedralem Ecclesiam Baker-City, nuperrime *a Sanctitate Sua* ad Cathedralis honorem evectam, favore R. D. Caroli O' Reily, Rectoris S. Mariae in dioecesi.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Panemotichen., favore R. D. Ioannis Claudii Bouchut, Presbyteri archidioeceseos Lugdunensis, a Seminario Missionum exterarum Parisiensi, Professoris in Seminario Immaculatae Conceptionis atque deputati in Vicarium Apostolicum *Cambodiae.*

Titularem Ecclesiam Episcopalem Paralaiden., favore R. D. Iosephi Lang, Presbyteri dioeceseos Transburgensis, a Seminario Lugdunensi pro Africae missionibus, atque deputati in Vicarium Apostolicum Benini.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Ostraein., favore R. P. Cassiani Spiss, Benedictini e Congregatione S. Ottiliae pro exteris missionibus, atque deputati in Vicarium Apostolicum Zanzuebariae Meridionalis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Palten., favore R. P. Ephrem Giesen, ex Ordine Minorum, dioeceseos Amsterdami, atque deputati in Vicarium Apostolicum *Chan- Tony* Septentrionalis in Imperio Sinense.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Zèugmaten., favore R. P. Liberti Boeynaems, e Congregatione Sacrorum Cordium, dioecesis Mechliniensis, atque deputati in Vicarium Apostolicum in Insulis *Sandwich.*

Titularem Ecclesiam Episcopalem Sabraten., favore R. D. Francisci Regis Canevin, Presbyteri dioeceseos Pittsburgensis, atque deputati in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Richardi Phelan, Episcopi Pittsburgensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Solorum seu Solen., favore R. D. Patricii Iosephi O' Connor, Presbyteri dioeceseos Armidalensis, Vicarii Generalis, atque deputati in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Elzearii Torregiani, Episcopi Armiladensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Famagostan., sub Archiepiscopo Nicosiensi, vacan, per obitum bo. me. Angeli Mariae Meraviglia Mantegazza, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Friderici Sala, Presbyteri archidioeceseos Mediolanensis, Protonotarii Apostolici *ad instar*

participantium. Doctoris in sacra theologia. Praesidis Pontificiae Facultatis Theologicae, Canonici Archipresbyteri Ecclesiae Metropolitanae, atque deputati in Auxiliarem Emi ac Riñi Domini Andreae Caroli titulo S. Anastasiae S. R. E. Presb. Card. Ferrari, Archiepiscopi Mediolanensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Asealonitan., sub Archiepiscopo Caesariensi, vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Regine ad Sedem Cathedralem Neocastrensem ; favore R. D. Isidori Badia et Serradell, Presbyteri dioeceseos Uxellensis, Doctoris in sacra theologia et in iure canonico, atque deputati in Auxiliarem Emi ac Revmi Domini Cyriaci Mariae S. R. E. titulo S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Sancha y Hervas, Archiepiscopi Toletani, attento favore huic rei praestito a Serenissimo Rege Catholico Alphonso XIII.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Sareptan., sub Archiepiscopo Tyrio, vacan, per obitum bo. me. Philippi Genovese, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Iosephi Mulier, Presbyteri archidioeceseos Coloniensis, Canonici Decani Metropolitanae, atque deputati in Auxiliarem R. P. D. Antonii Fischer, Archiepiscopi Coloniensis, et nuper Cardinalis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Carpasien., sub Archiepiscopo Salominio, vacan, per obitum bo. me. Stephani Scarella, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Alexandri Parvy, Presbyteri archidioeceseos Agriensis, Doctoris in sacra theologia, Praesidis Academiae Iuridicae, Canonici Metropolitanae Ecclesiae, Abbatis S. Aegidii prope Felnémeth, atque deputati in Auxiliarem R. P. D. Iosephi Samassa, Archiepiscopi Agriensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Eumaussii, favore R. D. Algernon Caroli Stanley, Protonotarii Apostolici *ad instar participantium*, atque deputati in Auxiliarem Westmonasterien.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Hierocaesarien., sub Archiepiscopo Sardiano, vacan, per translationem R. P. D. Beniamini Alexandri Zanecchia-Ginetti ad Sedem Cathedralem Aprutinam; favore R. D. Iosephi Astuni, Presbyteri dioeceseos Castrimaris, Protonotarii Apostolici *ad instar participantium,* Vicarii Generalis, Canonici Archidiaconi Ecclesiae Cathedralis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Taboren., favore R. D. Eugenii Manna, ritus chaldaici, Vicarii Patriarchalis in *Van.*

Monasterium Abbatiale B. M. V. de Maris-Stella ac Prioratum B. M. V. de Augia-Maiore, in Helvetia et Austria invicem canonice unita, vacan, per obitum bo. me. Augustini Stoeckli, ultimi illius Abbatis ac respective Prioris extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. Eugenii Notz, Presbyteri Ordinis Cisterciensis ac expresse professi, dioeceseos Rottemburgensis, Consiliarii Abbatialis et Pro-Prioris eiusdem Monasterii, a RR. PP. Capitulo et Monachis in Monasterio B. M. V. Augiae-Maioris degentibus de more electi.

Post haec Sanctitas Sua, *iuxta morem, aperuit os novis Etfiis ac Revmis Cardinalibus Nocella, Cavicchioni et Fischer. Deinde* Sanctissimo *facta fuit postulatio de S. Pallio pro Ecclesiis Metropolitanis Pisana, Tuamense, Glasguensi, Neo-Eboraeense. Chicagiensi, Vaneouveriense et Babylonensi Latinorum, necnon pro Metropolitana Caseliensi, finita Coadiutoria. Tandem* Sanctissimus Pater *annulum Cardinalitium posuit dictis Cardinalibus, adsignans Emo Nocella titulum Presbyteralem SS. Bonifacii et Alexii, alterum S. Mariae* in Aracoeli *Emo Cavicchioni, et tertium SS. Nerei et Achillei Emo Fischer.*

EX SECRETARIA BREVIUM

Sanctuarium Genestanum B. Mariae Virginis titulo "Matris Boni Consilii,, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur *).

Sacris aedibus Deo in honorem Deiparae Virginis dicatis, quae Sanctuaria appellantur, quibus amantissimum Divinae Providentiae consilium Italiae regiones ditatas esse voluit, merito accensenda est, quae Genestani in Latio, intra fines Praenestinae Dioecesis, ab ipsa Dei Genitrice Maria Boni Consilii Matre nuncupatur. Quartodecimo enim saeculo templum illud erectum et insequentibus temporibus ampliori forma novisque operibus instauratum, Coenobitis, qui Sancto Augustino Patri legifero obsequuntur, creditum fuit; adaucto in dies cultu et

***) Cfr. Decretum « *Urbis et Orbis*» diei 22 Aprilis 1903, in hoc ipso volumine relatum, pag. 627.**

pietate erga Virginem Matrem, cuius Imago speciosa eodem nomine Boni Consilii, mirum in modum, ut perhibent, illuc a Scodra adiecta, ibi religiosissime ac munifice colitur, non modo ab oppidanis et finitimis populis, verum etiam, piae peregrinationis causa ex dissitis regionibus turmatim illuc confitentibus cuiusque ordinis et nationis christifidelibus Coelestis Matris opem imploraturis, vel ob accepta beneficia gratias acturis. Sacra porro haec aedes, molis pulchritudine praeclarisque artis operibus excellens, praedivite supellectile referta, a Decessoribus Nostris, nominatim a fel. rec. Pio IX et a Nobis ipsis singularibus beneficiis locupletata est. Nos profecto Matris Boni Consilii cultores novo officio festum Apparitionis eiusdem Deiparae Imaginis ab Ordine Eremitarum S. Augustini plurimisque Ecclesiis recolendum voluimus, atque anno superiore sacerdotum advenarum commoditati annuentibus peregrinis sacra administrandum Coenobii, quod templo continens est, diaetas impensa Nostra amplianda curavimus. Haec omnia secum reputans dilectus filius Thomas Rodríguez Coenobiticae Familiae S. Augustini Moderator Generalis, humiles ad Nos preces admovit ut Mariale templum Genestanum ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus. Supplicibus hisce precibus suas quoque adiecit Venerabilis Frater Noster Vincentius S. R. E. Cardinalis Vannutelli, ex dispensatione Apostolica Episcopus Praenestinus, qui pro suo erga Virginem Boni Consilii Matrem, a primaeva aetate devotionis studio, quippe qui Genestani suum ortum duxerit, pro memorata Sacra Aede, quae una ex quatuor est illius oppidi Parochialibus Ecclesiis, Minoris Basilicae titulum honorem que a Nobis expetivit. Quare Nos, rogata etiam sententia Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefecti, Apostolica Auctoritate Nostra vi praesentium, templum Genestanum, quod una ex quatuor aedibus est Parochialibus illius oppidi, sacrum B. Mariae Virginis titulo Matris Boni Consilii, nomine et dignitate Basilicae Minoris cohonestamus, et inter eas eadem auctoritate numerarnus, cum omnibus privilegiis et honoribus, qui minoribus Almae Urbis Basilicis sunt attributi vel de iure et consuetudine competunt, nulla tamen facta immutatione hierarchici gradus et iuris trium aliarum Parochialium Ecclesiarum. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat

et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII Martii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo sexto.

L. « S.

ALOIS. CARD. MACCHI.

Ecclesia Parochialis Valentina SS. Bartholomaei Apostoli et Michaelis Archangeli in Collegiatam erigitur.

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes tempia Dei, vetustis spectata memoriis, singularibus augere perhonorificis titulis satagimus. Horum probe novimus iure ac merito accensendum esse templum parochiale titulo SS. Bartholomaei Apostoli et Michaelis Archangeli, quod Valentiae extat. Vetustissimum enim S. Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi templum iamdiu a Constantino Magno Imperatore inchoatum, et recepta a Maurorum servitute Valentia a Iacobo I Aragoniae Rege anno MCCXXXVIII, Militari Ordini S. Sepulchri commissum et pluribus in posterum ab hac Sancta Apostolica Sede privilegiis atque ipso Basilicae titulo auctum, eodem in loco erat et nunc unum atque illa Curialis Ecclesia templum constituit. Hoc a principio Canonici Regularis Ordinis Militaris S. Sepulchri habuere, postea sub titulo Curialis Ecclesiae S. Bartholomaei, labentibus annis, in saecularis cleri iurisdictionem concessit.

Nunc autem cum dilectus filius Raymundus Leonart y Olmos eques professus Sacri Ordinis Militaris ac Pontificii Sancti Sepulchri Hyerosolymae nomine universi Capituli Civitatis ac Provinciae Valentinae enixas nobis preces humiliter adhibuerit gravissimo suffultas Valentini Antistitis suffragio, ut, cum nuper ipsi sint Paroeciae ipsius Clero rite aggregati, Ecclesiam illam tot tantisque nominibus clarissimam ad Collegiatae gradum evehere de nostra benignitate velimus, Nos animo repetentes ve-

teres perinsignis illius templi memorias votis hisce piis annuendum Iubenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes ac singulos, quibus hae litterae nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ut simul et divini cultus splendor et Militaris Ordinis illius dignitas amplificetur, Ecclesiam parochialem titulo SS. Bartholomaei Apostoli et Michaelis Archangeli Civitatis Valentinae, hisce litteris Apostolica Nostra auctoritate ad Collegiatae honorariae dignitatem evehimus. Hoc vero concedimus ea lege nimirum ut parochialia iura sarta tecta sint, et libera permaneat in eadem Ecclesia parochialis ministerii exercitatio. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere illisque ad quos spectat et in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis necnon illius Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica aut alia quavis ratione roboratis, statutis ceterisque omnibus etiam speciali ac individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die iv Maii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimosexto.

L. * S.

A. CARD. MACCHI.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

DECRETUM approbationis Instituti « Ancillarum Conceptionistarum Divini Cordis Iesu », nec non Constitutionum.

Anno Domini 1885, auspice R. P. D. Marcelo Spinola et Maestre, nunc Archiepiscopo Hispalensi, ortum duxit Institutum Sororum, quibus cognomentum vulgo « *Esclavas Concepcionistas olei Divino Corazón de Jesus* ». Quae quidem Sorores id sibi uti peculiarem finem sive scopum proponunt, ut primum propriae consulant sanctificationi, per observantiam votorum obedientiae, paupertatis et castitatis, certamque vivendi normam suis in Constitutionibus praescriptam; tum ad eruditionem piamque educationem [puellarum praesertim pauperum, sedulo incumbant. Cunctae autem vitam ducunt perfecte communem sub regimine Moderatricis Generalis, et exacto novitiatu, recensita tria vota, prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici nuncupant. Complures iam sunt Instituto domus canonice erectae tum in Archidioecesi Hispalensi, ubi et domus princeps constituta est, tum in dioecesi Malacitana. Porro ubicumque commoratae sunt enunciatae Sorores, superna favente gratia, bonum Christi odorem iugiter effuderunt, uberemque, ad Dei gloriam atque animarum salutem, tulere fructuum copiam.

Cum autem nuper Moderatrix Generalis omnium Sororum nomine SSmo D. N. Leoni Divina Providentia PP. XIII humillime supplicaverit ut praefatum Institutum eiusque Constitutiones Apostolica Auctoritate approbare dignaretur, Antistites Hispalensis et Malacitanus, datis ultra litteris, eiusdem preces summopere commendare non dubitarunt.

Itaque Sanctitas Sua, re mature perpensa, attentisque praesertim commendatitiis litteris praedictorum Antistitum, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto, die 25 Ianuarii 1902, me-

moratum Institutum, uti Congregationem votorum simplicium, sub regimine Moderatricis Generalis, cum suis Constitutionibus, approbare et confirmare dignata est, prout praesentis decreti tenore approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 1 Februarii 1902.

Fr. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. * S.

A. BUDINI, *Subsecretarius.*

DUBIUM circa admissionem ad vota solemnia, triennio nondum expleto.

Nomine plurium Superiorum regularium S. Congregationi proponitur dubium circa admissionem ad vota solemnia, triennio nondum expleto. Cum de iure communi Superior ante admissionem candidati ad vota solemnia expleto triennio debeat exquirere votum Capituli mere consultivum, nequaquam decisivum (quod Capitulo convenit solum quoad admissionem ad vota simplicia), quaeritur circa triennium nondum expletum, sed Apostolica dispensatione abbreviatum :

I°. Utrum ob temporis abbreviationem per dispensationem Apostolicam votum consultivum Capituli transmutetur in decisivum ?

2°. Utrum Superior debeat exquirere votum Capituli (sive consultivum sive decisivum) antequam supplicetur pro gratia vel ipsa obtenta ?

3°. Utrum standum sit praxi communiori, iuxta quam Superior ante expostulationem dispensationis exquirit votum Capituli mere consultivum, adnotando tamen in ipsa supplicatione quale fuerit iudicium Capituli circa personam candidati, quin postea, obtenta S. Sedis dispensatione, alterum votum expostulet ?

Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, ad proposita dubia respondit:

Ad 1um et 2um, *Providebitur in* 3°.

Ad 3um, *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 26 Ianuarii 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. % S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

DECRETUM approbationis Societatis Missionariorum " a Sancto loseph „ nuncupatae, necnon Constitutionum ad tempus per modum experimenti.

Sanctissimus D. N. Leo Divina Providentia PP. XIII, attenta ubertate salutarium fructuum, quos tulit Societas Missionariorum a S. Ioseph nuncupata, domum principem habens in civitate Mexicana, attentisque praesertim commendatitiis litteris Antistitum locorum, in quibus eiusdem Societatis domus reperiuntur, nec non Emi ac Rmi Dñi Iosephi Calasanctii S. R. E. Cardinalis Vives y Tuto Protectoris, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto, die 28 Aprilis 1903, Societatem ipsam, iam amplissime laudatam et commendatam, ut Congregationem votorum simplicium, sub regimine Moderatoris Generalis, approbare et confirmare dignatus est : praeterea Constitutiones praefatae Societatis, prout continentur in hoc exemplari, cuius autographum in archivio S. Congregationis Episcoporum et Regularium adservatur, ad septennium per modum experimenti, benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis decreti tenore tum praedicta Societas tum eius Constitutiones respective approbantur et confirmantur, salva Ordinariorum iurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae e Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 27 Aprilis 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. * S.

Phil. GIUSTINI, *Secretarius.*

CAUSAE

Die 14 Aprilis 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda; quaeque sequenti modo resoluta sunt.

I. IMOLEN. — IURIS-PATRONATUS. *)

D. 1.° *An decretum Episcopi Imolensis die 30 Ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus affirmative ad secundam partem et negative ad primam;

2.° *An pertineat Confraternitati S. Onophrii, independenter ah omni iure activo vel passivo familiae Malerbi, ius nominandi proprium Capellanum in casu.*

3.° *An praedictae Confraternitati exclusive spectet ius nominandi Clericum Custodem.*

4.° *An Confraternitas disponere possit de reliquis cubiculis pro habitatione Custodis eiusque familiae; aut assignare ea debeat Capellano.*

R. Ad 1um *Affirmative ad primam partem, seu confirmandum esse decretum iuxta modum; modus est ut in sequentibus :*

Ad 2um *Affirmative: aequum tarnten esse ut in casu vacationis, si adsit Sacerdos ex familia Malerbi, Confratres, coeteris paribus, eum praeferant.*

Ad 3um *Placere de concordia et ad mentem; mens est: quod nominatio Clerici Custodis fiat communi consensu a Confraternitate et a Capellano, et in casu dissensus provideat Episcopus.*

***) Huius causae discussio in altero fasciculo referetur.**

Ad 4um *Episcopus iura utriusque partis ex bono et aequo componat.*

II. S. MINIATI. — ONERUM.

D. *An et quomodo decretum Curiae Sanminiatensis die 15 Maii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu.*

R. *Decretum non sustineri.*

III. TAURINEN. — IURIS-PATRONATUS *(sub secreto).*

R. *Dilata.*

Num. II.

SANCTI MINIATI

ONERUM

Die 24 Aprilis ***i903.***

Compendium facti

Die 3 Maii 1780 Comitissa Ioanna De Castaldi, vidua Comitis Francisci Del Testa, in publico Oratorio SS. Nominis Mariae et S. Ranieri prope villam suam vulgo *Belvedere,* intra fines paroeciae loci *Crespino* dioecesis S. Miniati positam, Beneficium perpetuo erigebat.

Fundationis tabulae *(art. 7)* statuunt: « quod Capellanus *pro tempore* Missam in Oratorio vel per se vel per alium quotidie applicet ac celebret; item *(art. 8)* quotannis festum SS. Nominis Mariae magna cum solemnitate recolat; necnon omnibus^aliis diebus festivis Evangelium et Catechesim explicet aut ab alio explicare faciat, exercitium *Viae Crucis* non omittat, sacras ducat Processiones ab Ordinariis Dioecesanis concessas etc.; quod *(art. 9)* ad spirituale plebis bonum servitio dicti Oratorii *totaliter* sit ad-

dictus; demum *(art. 10)* quod iuspatronatum activum huiusce Capellaniae ad fundatricis haeredes, aut ad illam personam vel personas, quibus Comitissa ipsa per quemcumque sive *inter vivos* sive ultimae voluntatis actum illud conferret; necnon eadem ratione ad Archiepiscopum Pisanum *pro tempore* existentem pertineat; ita tamen ut, deficientibus et éxtinctis lineae masculinae haeredibus, iuspatronatus et nominatio ad Archiepiscopum *pro tempore* Pisanum omnino et in perpetuum spectet ».

Interim, circa iura et onera Capellani loci *Belvedere* nuncupati, controversia exorta est Capellanum ipsum Torquatum Grifoni inter et Francalanci, Praepositum paroeciae vulgo *Crespino.* Causa proposita fuit solvenda Curiae Sancti Miniati, quae die 15 Maii 1902 inter alia decrevit: « Capellanum villae vulgo *Belvedere* quoad infirmorum adsistentiam duos Parochos locorum *Crespino* et *Tripalle* coadiuvari, necnon in festis a Sacris Canonibus et praecipue a Synodo dioecesana statutis ad matricem ecclesiam loci *Crespino* intervenire debere ».

Ab hoc decreto Capellanus Oratorii SS. Nominis Mariae ad S. Sedem recursum habuit. Quapropter causa huic Sacrae EE. et RR. Congregationi definienda proponitur sub rogandi formula « *An et quomodo decretum Curiae Sanminiatensis die 15 Maii 1902 sit confirmandam vel infirmandum in casu ».*

DEFENSIO CURIAE

Curia S. Miniati sententiam suam, ideoque supradictam Capellani Oratorii SS. Nominis Mariae obligationem, pluribus defendere nititur argumentis.

Imprimis ipsa ad verba citati art. 9. fundationis confugit.

Deinde demonstrare adlaborat praxim constantem servitii parochialis, praestiti ab omnibus pagi *Belvedere* nuncupati Capellanis. Nam, ait Curia, hoc testantur duo testes,

nempe Leopoldus Donati a. 53 et Attilius Casati a. 43 loci *Crespino,* qui sub iuramenti vinculo deponunt duos praedecessores actualis Capellani Grifoni, sacerdotes nempe Nuti et Paolicchi quoad sacramentales confessiones aliasque parochiales functiones diebus praesertim solemnioribus, necnon quoad infirmorum curam in ecclesia *Crespino* semper libenterque operam suam praestasse. Imo iidem testes subdunt, se a maioribus accepisse quod Capellanus S. Ranieri ad ecclesiam matricem diebus saltem solemnioribus ac in gravibus paroeciae necessitatibus accedere teneatur.

Insuper, prosequitur Curia, Cancellarius episcopalis dioecesis Sanminiaten. asserit quod ex duobus documentis inter beneficialia acta a. 1885 existentibus, quorum unum Gustavi Iacoponi Prioris pagi *T ripalle* diei 16 Iunii 1868, alterum vero Francisci Citi Oeconomi Spiritualis ecclesiae *Crespino* diei 17 eiusdem mensis et anni, constat; Capellanos SS. Nominis Mariae ab ipsa beneficii fundatione usque in praesens in coadiuvandis parochis locorum *Crespino* et *Tripalle,* necnon in adsistendis infirmis operam suam semper praestasse.

Eadem testantur septuagenarius Laurentius Ferri, par rochus loci *Tripalle,* necnon parochus loci *Cresputo;* qui ultimus, dum ad coelum extollit duos hodierni Capellani antecessores, diris verbis lamentabatur de mala eiusdem agendi ratione.

Ergo, subsumit Curia, constans praxis non solum citatum art. 9 interpretata est, sed etiam consuetudinem vim legis habentem induxit.

Praeterea eadem Curia argumentationem suam desumit ex indole Capellaniae *Cur atae-succur salis* in legem deducta (etiam coram Gubernio) a facto constanti ministerii parochialis praestiti. Etenim, quum per suppressionis legem a. 1867 Gubernium italicum revendicationis taxam exigeret a patronis Capellaniae, quasi ipsa non esset beneficium curatum, Curia S. Miniati historicum protulit documentum, ostendens dictis Capellanis sive ex erectionis tabulis sive ex

consuetudine non interrupta parochos finítimos locorum *Crespino* et *Tripalle* coadiuvandi onus incumbere. Immo, quia R. Gubernium opponebat Ooadiutoriae exercitium fuisse arbitrarium et ab auctoritate civili et ecclesiastica non sancitum, ostensum fuit quod, quum exercitium hoc in ipsis erectionis tabulis ab utraque potestate approbatis fundetur, implicite saltem necessaria sanctio aderat. Caeteroquin, pergit Curia, auctoritatis ecclesiasticae sanctio desumi potest, tum ex eo quod ipsa Capellano S. Ranieri munia parochialia exercendi permittere non debuisset, nisi hoc constasset ex fundationis actu vel ex tacito Ordinarii consensu; tum ex eo quod viget consuetudo a. 84, plus quam sufficiens ad tribuendum Coadiutoris ius aut privilegium Capellano SS. Nominis Mariae; tum denique ex praxi constanti Curiae Sanminiatensis, quae dictum Capellanum uti Curatum semper habuit sive ob communicationes ipsi factas et solis parochis fieri solitas, sive ob Curati qualitatem eidem semper recognitam. Hisce omnibus perpensis, concludit Curia, R. Gubernium die 7 Martii a. 1869 decrevit Capellaniam S. Ranieri suppressionis legi minime subiacere.

Tandem, prosequitur Curia, Capella SS. Nominis Mariae sive in ipsius Curiae actis sive in institutionum Bullis semper appellata fuit *Curata succursalis*, uti videre est in respectivis Bullis institutionis actualis Capellani Grifoni eiusque decessoris Paolicchi.

DEFENSIO CAPELLANI

Advocatus Capellani Grifoni sustinet decretum Curiae S. Miniati nullo modo sustineri posse. Sane, inquit, iuxta doctrinam communiter receptam, absque Apostolicae Sedis dispensatione fundatorum voluntas mutari nequit; eoque magis nova onera beneficiis ecclesiasticis imponi non possunt. In casu autem fundatrix Capellaniae S. Ranieri, explicitis verbis, suam expressit voluntatem, Capellano plures praescribendo obligationes. Adest quidem officium ministrandi po-

pulo, qui ruri commoretur aut ad Oratorium accedat, uti ex ipsa obligatione Capellano imposita continue penes Oratorium residendi desumitur; item explicatio Evangelii et Catechismi imponitur, quod est parochorum proprium; sed tantummodo in Oratorio. At in erectionis tabulis ne verbum quidem invenitur de munere Capellani adiuvandi duos fìnitimos parochos, sive in adsistentia infirmorum, sive in sacris functionibus. Alias enim, pergit orator, quomodonam posset Capellanus operam suam *totaliter* praestare in utilitatem plebis praedii *Belvedere,* uti ipsa Fundatrix iussit? Caeterum, nec obtenta fuit a Pontifice gratia, nec habitus fuit, imo nec quaesitus patroni consensus; qui requirebatur, quum sermo sit de beneficio iurispatronatus.

Praeterea, prosequitur patronus, nec quidquam Curiae prodest appellatio ad consuetudinem, iuxta quam Capellani Grifoni praedecessores parochum auxiliassent. Etenim, omisso testimoniorum a Vicario Foraneo Caesare Lenzi allatorum examine, vulgatum est iuris principium, hanc consuetudinem gignere non posse veram obligationem, quum de actibus mere facultativis agatur: « In facultati vis non datur praescriptio... Actibus mere facultativis non inducitur consuetudo praeter legem »; *(Reiffenstuel ad tit. I. dec. ut IV, n. 130).* Imo, etiamsi hoc certum non esset, ad hoc ut consuetudo vim legis habere possit, ostendere necesse est Capellanos S. Ranieri nec *invitatus* nec *sponte* sed *iussos* parochum coadiuvasse ; dum e contrario de hoc ne verbum quidem in testimoniis a Curia collectis invenitur. Caeterum, ait patrocinator, admissis quoque veluti veris hisce depositionibus, semper tamen manet dubium, an Capellani Parochos coadiuverint cum animo sese obligandi vel potius ex spontaneo zelo moti : in dubio autem animus sese obligandi excluditur¡: « In dubio an consuetudo ex devotione dumtaxat vel animo se obligandi sit; introductam praesumendum est consuetudinem potius esse devotionis quam obligationis, sicque continere actus mere facultativos » *(Reiffenstuel ibi n. 130).*

Sed quid dicendum, pergit orator, si praetensa consuetudo non existeret? Capellanus Grifoni plures profert testes, inter quos nonnulli numerantur sacerdotes in dignitate constituti, qui sub iuramento deponunt, *fere nunquam* Capellanos SS. Nominis Mariae coadiuvasse parochos locorum *Crespino* et *Tripalle,* et si aliquando hoc accidit, nonnisi libere omnino ac sponte fecisse.

Quae omnia, subdit advocatus, confirmantur ex eo quod, uti fidem facit Archiepiscopus Pisanus in sua relatione ad S. Congregationem EE. et RR., in Oratorio loci *Belvedere* nunquam extiterint vasa sacra nec coetera supellectilia pro SS. Viatici et Extremae Unctionis administratione, quemadmodum liquet ex inventario ipsius Capellae in Curia Pisana existenti.

Nihil insuper, prosequitur orator, prodesse poterit Curiae Sanminiatensi, quod Capellanía uti *Curata* ab auctoritate civili habita sit, atque uti talis in collationis Bullis a. 1885 et a. 1892 denotata sit. Primum enim factum in foro canonico ius constituere nequit; multoque minus si consideretur, quod Capellania uti *Curata* habita sit cum solis muneribus in tabulis erectionis contentis, explanandi videlicet Doctrinam Christianam ac Evangelium in Oratorio, quum haec ad officium parochiale pertineant et in paroeciae bonum atque parochi sublevamen redundent. Eo vel magis quod ad mutationem naturae beneficii inducendam omnino requiretur consensus patroni, qui eum nunquam praestitisse nec praestaturum pro testatur. Eodem sensu intelligenda sunt Bullarum verba, ubi sermo est de Capellania *Curata:* in ipsis enim habetur quod Capellanus ministerium Capellaniae praestare tenetur ; hoc autem ministerium aliud esse nequit nisi illud, cui fundationis tabulae alludunt.

Tandem patronus thesim suam confirmat ex *voto informativo,* quod die 24 Novembris 1902 requisitus Archiepiscopus Pisanus, tamquam beneficii Patronus, ad S. Congregationem misit, et in quo ipse ostendit Capellanum loci

Belvedere minime teneri ad officium coadiuvandi duos parochos flnitimos locorum *Crespino* et *Tripalle.*

Hisce omnibus pro utraque parte relatis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo decretum Curiae Sanminiaten. die 15 Maii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Resolutio.

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, re discussa, die 24 Aprilis 1903 respondit :

Decretum non sustineri.

Colliges.

I. Beneficiorum fundatores in ipso erectionis limine illas omnes leges et conditiones, quas ipsi velint, adponere possunt; dummodo tamen sint honestae, possibiles et ab Ordinario acceptatae.

II. At progressu temporis nec haeredes seu patroni beneficiorum, nec fundatores ipsi, etiam consentiente Episcopo, ullam inducere possunt mutationem.

III. Insuper vulgatum est adagium: « Beneficia ecclesiastica sine diminutione esse conferenda ». Inter plures diminutionum species illa quoque habetur, quando scilicet novae obligationes, quae in fundationis tabulis non continentur, imponuntur.

IV. Item certum est, actus mere facultativos consuetudinem praeter legem inducere non posse.

V. In casu autem Capellanus SSmi Nominis Mariae et Sancti Ranieri ex fundationis tabulis non tenetur coadiuvare parochos finitimos locorum *Crespino* et *Tripalle,* neque in sacris functionibus, neque in adsistentia infirmorum.

VI. Nec iuvat ad consuetudinem contrariam appellare, quia haec non satis probata videtur; sed etiamsi existere probetur, ipsa nunquam posset vim legis habere, quum de actibus mere facultati vis agatur.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

IN FOLIO

Num. II.

MECHLINIEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

Die i4 Decembris 1901, et die 28 Martii 1903.

Sess. 24, cap. 1, De ref. matr.

Compendium facti.

Matrimonium, quod Ioanna N... 46 annos nata et Comes Henricus N... aetate 34 annorum, ritu religioso inierunt die 7 maii 1895, modo ab ipsis mutuo consensu impugnatur, quia nupsisse asserunt ad effectus tantum civiles, non autem ad coniugale vinculum contrahendum. Ioanna enim, quum Henrico nupsit, haud coniugali vinculo devincta cum Barone C..., plures procreaverat filios, quorum tres tantum supersunt ab ipso Barone recogniti. Mortuo autem Barone, tribus filiis adhuc in minori aetate constitutis tribunal tutorem constituit caput seu Venerabilem,

uti aiunt, massonicae sectae, cuius mens erat filios in eadem secta inscribendi.

Quare Ioanna, ut liberos a tanto periculo eriperet et ut Donis suis in discrimen adductis consuleret, Henricum rogavit ut gestionem suae rei familiaris susciperet; cumque -ad tutorem removendum titulus legalis requireretur, sese Corniti in matrimonium obtulit. Tamen, quum ambo finem mere civilem consequi vellent, cogitasse dicunt de coniugio apparenti ineundo, conditione adiecta ut alter in alterius corpore nullum ius haberet, et ut, rebus familiaribus extricatis ereptisque liberis a secta massonica, sibi mutuo libertatem redderent.

Post quatuor circiter annos, ineunte a. 1899, Ioanna Mechliniensem Curiam adivit, expostulans ut nullitas matrimonii cum Henrico initi declararetur. Curia vero, processu confecto, sententiam tulit: *«Non constare de defectu consensus matrimonialis, ideoque matrimonium firmum ratumque esse ».*

Cum autem actrix ab hac sententia appellationem interposuerit apud Supremum S. C. Tribunal, haec causa discutienda proposita fuit *(sub secreto)* die 14 decembris 1901 sub duplici rogandi formula : « I. *An sententia Archiepiscopalis Curiae Mechliniensis sit confirmanda vel infirmanda in casu* »; et quatenus affirmative ad 1am partem: « *An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* ». S. Congregatio respondere censuit: « *Ad 1um sententiam esse confirmandam; Ad 2um Negative.*

Cum vero vir, nova allegans, beneficium novae audientiae obtinuerit, denuo huic S. Congregationi causa examinanda proponitur sub dubio : « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* ».

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CONIUGUM.

Advocatus ex noviter deductis duo constare contendit, nempe matrimonium esse nullum ex defectu legitimi consensus, necnon inconsummatum remansisse.

Itaque in primis recolit orator iuris principia, quibus simulata seu ficta connubia esse irrita demonstratur. Sane Benedictus XIV. *(De Synod., 12, 13, n. 8)* scribit: « Quicumque contractum vult, necesse est eiusmodi substantiam velit, ideoque si contrahentes, in matrimoniali foedere ineundo, conditionem apponunt illius substantiae contrariam, certissimum est argumentum, nequaquam in veri matrimonii contractum consentire ». Sánchez *(De Sacr. matr. lib. II, disp. 29, n. 11)* habet: « Contractus debet saltem implicite intendere bonum Sacramenti, quod evenit quando non habet intentionem contrariam : quare si haberet animum, etiam corde retentum, adversum bono Sacramenti, quia scilicet intenderet non contrahere matrimonium nisi ad tempus, non esset verum matrimonium.

Hisce praemissis patronus, ut constet de matrimonii nullitate ex defectu consensus, tria adnititur demonstrare, nempe 1) adfuisse in casu causam, qua coniuges Ioanna et Henricus ducti sunt ad fictas nuptias contrahendas; 2) hanc simulandi mentem revera sponsos habuisse; 3) demum hanc mentem in matrimoniali quoque actu perseverasse.

Et ad causam simulationis quod attinet, patrocinator eam invenit in necessitate, qua detinebantur coniuges ineundi matrimonium ut filii eriperentur a secta massonica atque eorum res familiares extricaren tur. Interrogati enim sponsi, qua ratione connubium simulaverint, reposuerunt hoc ideo fecisse quia necessitas urgebat et nullum aliud remedium praesto erat ut minorum sive spirituali, sive temporali bono prospiceretur. Idem refert Comitissa Ch... etc

Quod si obiicias haec omnia non constituere ficti matrimonii causam, respondet advocatus, referens circumstantias, quae suadent verum coniugium haud contrahi potuisse in casu. Nam, ait, Henricus promissam sponsam habebat puellam M..., quam deperibat; praeterea Ioanna duodecim annis senior erat, atque impotentia laborabat ad relationes sexuales habendas eoque magis ad sobolem procreandam, dum in animo Comitis erat nobilem familiae suae stirpem perpetuare. De fictione huius-coniugii, praeter sponsos, testantur plures testes v. g. Comes C..., Ferdinandus W.., coniuges I____etc.

Insuper orator contendit coniuges revera intentionem habuisse fictas nuptias ineundi, seu nullum coniugale ius tradendi et acceptandi. Interrogata enim Ioanna, quaenam fuerit eius mens, respondit in ipsa coniugii celebratione minime intendisse verum matrimonium contrahere; imo in contractu scripto conditionem apposuisse, qua se obstrinxerit, omnibus superatis difficultatibus, ad libertatem sponso reddendam. Fere eadem repetit Henricus; quaeque confirmantur, prosequitur advocatus, ex depositionibus testium, inter quos Comes Alfredus, sponsi frater, et Aloysius alter frater, qui asserunt, coniuges praedictam mentem ficte nubendi, speciali contractu sive orali, sive scripto stipulasse. Praesto est insuper quaedam epistola, quam Henricus die 25 ante connubii celebrationem ad promissam sponsam M... misit, et in qua ipse iterum repetit suam cum Ioanna unionem mere apparentem esse, quum uterque propriis affectionibus fidelis remaneat. Cumque puella M___ lacrymis precibusque urgere non desineret, Comes die tertia maii 1895, seu paulo ante ficti matrimonii celebrationem, ei contractum scriptum exhibuit. Ipsa autem, quippe quae maximam in documento spem reponebat, photographo illud tradidit, quod postea photographice reproductum habuit. Contractus vero declarationem continet, qua coniuges obstringuntur unionem mere conventionalem contrahere et ad effectus tantum civiles, necnon omnibus matrimonii iu-

ribus renuntiare, atque sibi mutuo plenam libertatem primitivam conservare. De fideli reproductione contractus constat, ait advocatus, sive ex testimonio iurato puellae, sive photographi Petri T..., viri integerrimi.

Haec omnia, addit patronus, peracta sunt veluti immediate ante fictum matrimonium. Hoc enim initum fuit die septima maii 1895; contractus vero exaratus fuit die prima maii eiusdem anni; contractus autem revelatio a Comite facta ad puellam M..., et eius imago photographice reproducía, habitae sunt tribus vel quatuor diebus ante nuptias, uti liquet ex iurata depositione sive puellae sive viri periti. Die quinta maii photographus huius contractus duas imagines photographice reproducías misit puellae M..., quae ut securius eas asservaret, detulit Marchionissae G..., et quarum una tantum a filio eiusdem Marchionissae postea defunctae ad Tribunal remissa fuit. Praefatae circumstantiae, prosequitur advocatus, novo examine iudicialiter examinatae fuerunt, et probatae praesertim ex iurato testimonio puellae M..., photographi Petri T..., necnon Caroli R... et Comitis Gr... etc.

Tandem, ait orator, peritia specialis Romae habita est,, et peritissimi viri Manfredii G... iudicium prodiit, quod contractus manu Comitis fuerit exaratus et subsignatus ; idem de subsignatione Ioannae iudicium fuit.

Unde, arguit patronus, extra omnem dubitationis aleam posita est existentia contractus; cumque ex huiusmodi contractu probetur coniuges flete matrimonium celebrasse, iam patet uti demonstratam censeri posse nullitatem matrimonii in casu.

Insuper, pergit patrocinator, intentio simulatas nuptias celebrandi in ipso matrimoniali actu perduravit. Etenim attentis omnibus circumstantiis, nempe aetate atque morbo Ioannae, haec mentis mutatio in coniugibus non potest rationabiliter praesumi, imo contrarium praesumendum est. Id praeterea ex subsequentibus manifestum est, quia ex eorum sive dictis sive factis, uti ex luculentissimis testimo-

niis constat, clarissime eruitur, intentionem matrimonii ineundi ficte tantum et simulate in coniugii actu nunquam mutasse. Secus enim, arguit patronus, neque immediate post matrimonium, neque postea processu temporis déclarassent, eorum intentionem fuisse contrahendi fictas nuptias, uti liquet ex allatis iuratis testibus, qui non solum testantur, se a coniugibus post matrimonium audivisse, eos in eodem proposito semper perseverasse sive ante, sive post connubium, sed etiam eorum iudicium referunt, innixi non tantum in coniugum dictis, sed etiam in factis, seu in eorum vita separata et in tota vivendi ratione. Ideoque, si haec intentio perduravit in actu coniugii, iam liquet matrimonium esse irritum ac tale esse declarandum.

Huc perducta oratione, gradum .facit orator ad solvendas nonnullas difficultates a vinculi defensore propositas in prima causae propositione. Et primo quoad verba Glossae in *cap. 26, De sponsal. et matrim., verb. Mulierem,* quibus traditur quod in casu, quo aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicat vel faciat, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat, consentio in te, Ecclesia iudicare debet pro matrimonio, quia recurrendum èst ad communem verborum intelligentiam ; animadvertit orator DD. excipere, fatente Pitonio *discept, eccl. 52, n. 38,* casum quo protestatio facta fuerit parte praesente et consentiente, quia in hoc casu censetur durare prior voluntas faciendi matrimonium fictum. Ex quo consequitur, ipse ait, idem dicendum etiam in aliis casibus, quoties ex probationibus prior voluntas durare censetur, ac proinde ista verba Glossae ita accipienda sunt, quod protestatio antea facta coram pluribus attenditur, quoties probetur durare prior voluntas.

Sed quia vinculi defensor obiiciebat verba Pitohii *I. c. num. IO et seqq.,* quibus tradit « eam limitationem non amplius obtinere postquam Concilium Tridentinum matrimoniis praefinierit certam formam, quia cum matrimonium de quo agitur, fuerit coram Parocho et testibus pure cele-

bratum per verba de praesenti sine ulla conditione^ Ecclesia pure et simpliciter iudicare debet illud fuisse contractum, quia cum matrimonium hodie in eius facie sit celebrandum iuxta Tridentinum, quidquid coram ipsa non fuit dictum, dicitur non adesse in rerum natura »; respondet patronus, haec verba Pitonii: « Quidquid coram ipsa non fuit dictum, dicitur non adesse in rerum natura » accipienda esse iuxta finem Tridentini, qui erat statuendi, ut non amplius, velut antea, matrimonia valerent sine praesentia Parochi, ita ut verba praefata sonent, iuxta advocatum, matrimoniales contractus non esse validos nisi exprimantur coram Parocho, et non quatenus ea quae exprimuntur coram Parocho, non sint sumenda iuxta ea quae probantur expressa antea, absente Parocho. Sane inquit, ea quae dicuntur coram Parocho non sunt sumenda materialiter ut sonant, sed iuxta regulas rectae interpretationis, et si aliter interpretandum esset, Ecclesia matrimonia sustineret, de quibus constaret esse sine intentione, quod in contractu matrimoniali dissonum prorsus est. Insuper addit orator, etiamsi ex difficultate a Pitonio proposita, et a vinculi defensore allata, adhuc dubium superesset, cum dubium in casu sit non facti sed iuris, non valet adagium : « in dubiis standum pro valore actus », sed aliud adagium : « lex dubia non obligat ». Caeterum, addit orator, statutum utique in iure est, matrimonium non contrahi sine intentione, sed utrum post Tridentinum hoc principium sustineatur tantum in foro interno, vel etiam in foro externo, ita ut qui contraxit sine intentione non valeat a matrimonio recedere, non est lex constituta, sed quaestio quam Pitonius Doctoribus proposuit disputandam. « Quae omnia tamen dixi, concludit Pitonius, per modum dubitandi, non autem decidendi, ad hoc ut si casus eveniat, materia melius examinetur ». Ideoque urget orator, cum lex quae impediat, quominus coniuges matrimonium simulantes recedere queant, sit dubia, non potest in casu urgeri, ac proinde coniuges qui matrimonium fíete contraxerunt, liberi a quocumque vinculo de-

clarandi sunt, eo vel magis quod bona fide culpa patrata fuit, nempe in legis et religionis obsequium seu ad eripiendos liberos a secta massonica.

Tandem patronus, quamvis uti probatam habeat ex dictis nullitatem matrimonii in casu ex capite simulationis, nonnulla addit ad demonstrandum matrimonium in casu non fuisse consummatum. Et hoc nititur demonstrare primo ex iurata partium ac testium depositione. Sane coniuges sub iuramento testantur matrimonium nunquam consummasse nec consummationem tentasse, imo diversum cubiculum semper habitasse. Idem confirmatur ex Alena Ioannae filia necnon ex pluribus aliis testibus. Aliud argumentum desumitur, pergit orator, ex impotentia Ioannae ad relationes sexuales habendas ob morbum, quo usque ab a. 1892 laborabat; quae impotentia et infirmitas notoria erat ; uti constat ex declaratione explicita obstetricis, quae curas sponsae praebuit a quatuor annis ante matrimonium.

Nec suspicari licet, urget patronus, de coniugum veracitate et religione; nam multi testes, inter quos non pauci habentur parochi, de bonis moribus ac de coniugum religione amplam fidem faciunt.

Tandem patrocinator finem imponit suae orationi, advertens adesse in casu, uti ex dictis patet, legitimas causas, quae suadent omnino dispensationem concedendam esse in casu, quatenus non constet de nullitate eiusdem coniugii ex capite simulationis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI.

Defensor vinculi matrimonialis ex officio totus in eo est, ut probet non constare in casu de matrimonii nullitate, nec indulgeri posse dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Ad hoc probandum orator in prima parte suae orationis summam refert argumentorum quae sive pro, sive contra, in priori propositione allata fuere; deinde in secunda parte suae orationis novas congerit difficultates. Omissa sy-

nopsi primae partis orationis, referuntur tantummodo animadversiones, quas nunc congerit Sacramenti vindex.

Ipse eas triplicem in classem distribuit, in quarum *prima* ea refert, quae pertinent ad germanam doctrinam canonicam de simulato matrimoniali consensu; in *secunda*, quae spectant ad practicam investigationem, num scilicet in casu consensus simulatus rite probetur; in *tertia* demum, disserens de dispensatione super rato, contendit prius negativum responsum esse firmandum.

Et ad primam classem quod attinet orator, allegatis iuris principiis, demonstrat, quod illa omnia, quae consensum vitiant, matrimonium quoque per se, seu independenter etiam ab ulla positiva dispositione, nullum reddunt ; unde, infert, quia cousensus simulatus seu fictus non est consensus verus, luce meridiana liquet ineptum prorsus esse eum censendum voluntatibus contrahentium conciliandis, et hinc conventionem quamlibet, ac proinde matrimonialem potissimum utpote omnibus nobiliorem, per fictum consensum celebratam omni prorsus robore carere.

Nec veram censet vinculi defensor sententiam illorum qui tenent denegandam esse actionem volentibus matrimonia sua, coram Ecclesia ipsa pure et simpliciter celebrata, impugnare, adlegata simulationis causa. Ecclesia enim, ait vinculi defensor, numquam id praestitit neque ante neque post Concilium Tridentinum. Unde concludit orator, tradens admittendam esse probationem simulationis, qua huius causa non improbabilis et verosimilis allegetur, iuxta doctrinam Rotae « requiri simulationem probandam saltem per causas et coniecturas urgentes ».

Gradum deinde faciens Sacramenti vindex ad secundam classem animadversionum, an scilicet in casu consensus simulatus rite probetur, breviter praemissa coniugii historia, inquit, iamvero in conspectu huius, licet brevissimae narrationis, sponte tres erumpunt interrogationes, seu: Sunt haeccine possibilia? sunt haeccine verisimilia ? sunt haeccine vera? Et orator respondit negative ; quia quae narran-

tur de hisce nuptiis sunt eiusmodi ut nonnisi romantica verisimilitudine gaudere rectissime censeantur, prout schola gallica, duce *Ponson du Terrait,* suppeditare solet. Hinc adversarii, quo nos ad ea credenda obstringant, validissimis argumentis assertiones suas probare deberent. Sed contra est, inquit orator, nam allata hucusque argumenta inepta prorsus sunt ad ea iuridice probanda, quae tam exigua veri specie proferuntur.

Hisce praehabitis, vinculi defensor arguit ad suam thesim demonstrandam primo ex inconstantia modi, quo coniuges praetensam conventionem iudici enarrant. Quod argumentum vaiidissimum est, inquit orator, nam si semper inconstantia confftentium et attestantium eis nocet, eo vel magis id verum erit in casu, quum agatur de re, quae coniuges ipsos, eosque solos, proprie auctores habuit, de quibus propterea duo omni iure praesumere possumus et debemus, seu edoctissimos eos fuisse et esse quoad omnem adserta facti vel minimam circumstantiam, atque exactissimos-proinde eos fuisse et esse, quando, maxime in iudicio et sub fide iuramenti, de eo deponunt; idque eo magis quod, eo facilius optatam coniugii dissolutionem consequi potuissent, si responsiones undequaque veras et plenas statim ab exordio edidissent. Quod autem in casu confessio coniugum inconstantiae nota laboret, liquet, ait patronus, ex diverso modo quo uterque factum conventionis enarrarunt; nam in primo examine mere oralem, dum in secundo scriptam fuisse conventionem deposuerunt.

Quod si advocatus nitatur inconstantiae nota clientes purgare, dicendo, eos ita respondisse, quia tunc temporis, quum documentum iam fuisset lacera tum, poterat haberi conventio ut oralis et non scripta; haec responsio, iuxta vinculi defensorem, non cohaeret rerum naturali ordini iuxta ea quae communiter accidunt, nam uterque vel saltem alteruter circumstantiam hanc, quae gravissima fuisset et eis summopere favorabilis, indigitare poterat, auctoritatem photographi statim invocando.

Sed non solum incostantes sed et mendaces putat Orator coniuges ob plurimas contradictiones, in quas ipsi lapsi sunt. Nam, inquit, in primo interrogatorio testantur, se ante nuptias nemini communicasse suam mentem fìcte nubendi. E contra v. g. Comes Aloysius, sponsi frater, testatur Henricum sibi et alteri fratri T... contractum scriptum ante nuptias ostendisse. Imo ipse sponsus in novo examine fassus est, fratres suos initam conventionem cognovisse. Nec forsan subsumas, instat patronus, haec Henrici verba esse intelligenda, *post nuptias;* nam et citatus frater Aloysius et Domina Ch... aperte loquuntur de contractu scripto *ante nuptias:* ergo quum Henricus horum testimonia producat directe sibimet adversaria, facto proprio se mendacem proclamat. Quod et de eius sponsa est verum; nam v. g. Dominus C... indigitat contractum scriptum sibi ab ea ostensum paucis diebus ante nuptias.

Sed nec satis. Nam et aliae contradictiones in coniugibus adnotandae omnino sunt, inquit orator, ut liqueat quam parum eis sit fidendum. Et reapse Ioanna interrogata, quaenam fuerit eius intentio, respondet: « In contractu positam fuisse conditionem, qua ipsa, omnibus superatis difficultatibus, nihil intentati relinqueret ut sponso libertatem redderet ». Iamvero in adserto documento, prout photographice exhibetur, haec conditio nullimode invenitur.

Quod si, addit vinculi defensor, hisce coniugum reticentiis, contradictionibus etc. adiungantur ea omnia dubitandi argumenta, quae veluti in globo ac in confuso superius adnotata sunt, profecto ancipitem, imo vix non incredulum, animum suum quisque prudens sentiet.

Quod si advocatus obiciat : praesumptiones cedere debent veritati; ergo si testes fide digni testantur de contractu et quidem scripto, atque praeterea huius exhibentur photographica exemplaria, quidquid in contrarium videri poterit, erit concludendum pro adserti pacti veritate ; haec obiectio haud movet Sacramenti vindicem; ipse enim, omnibus rite perpensis, quamvis censeat admitti posse ut probatum, quod

extiterit documentum ita conceptum, ut nunc exhibetur, putat tamen illud non retulisse et continuisse veram conventionem inter futuros coniuges, sed retulisse quamdam imaginariam conventionem, ipsis conspirantibus, vafre confictam.

Audax forsan prima fronte hypothesis, ait orator, sed non a vero dissimilis, quod satis superque est, ut donec ipsa evidentissima fuerit probata falsa, sit pro ea standum, et hinc repellendi prorsus sint coniuges instantes pro nullitate. Hanc vero hypothesim omnino admittendam esse ita probat orator. Haec hypothesis, ait, mirifice componitur cum tela universae narrationis, qualis nobis a coniugibus obtruditur. Et reapse, si imaginaria seu ficta aliqua extitit conventio, commode explicantur factum v. g. testium, qui conventionem hanc ante coniugium viderunt..., facta puellae M... documentum ad photographum deferentis, necnon photographi illud arte sua reproducentis, atque rem in agenda notantis..., factum destructionis documenti ipsius etc.

Itemque, si imaginaria seu ficta haec conventio admittitur, facile intelligitur quomodo tam inconstantes fuerint coniuges quum de ea coram iudice variis temporibus testarentur; nam, falsum si fuit factum ipsum in sua substantia, quid mirum quod postea fuerit mendax labrum eorum, qui falsitatis auctores fuerant? Nonne vulgatissimum est divinum adagium: *Mentita est iniquitas sibi?*

Quod si quis quaerat: *si conventio fuit imaginaria seu ficta,* cur hoc factum est? Tunc respondet Sacramenti vindex, non deesse in actis, quae mysterii latebras luce aliqua perfundant. Et reapse, inquit, ut matrimoniali nexu Henricus et Ioanna copularentur, argumentum (in hac re supremum) urgebat, nempe interesse. Et Henrici quidem intererat matrimonium hoc inire, quippe tunc temporis gravibus patrimonialibus angustiis pressus erat, ut liquet v. g. ex iis, quae testata est Carola, filia Ioannae. Idem repetit decepta sponsa M...., cuius verba eo magis sunt facienda, quod contra M... certo non excipit Comes Henricus, ut ex-

cepit contra Carolam. Nec solum Henrici, prosequitur vinculi defensor, sed Ioannae quoque intererat matrimonium huiusmodi celebrare, quippe in Henrico, negociorum valde, si eam audias, perito, et sibi et filiis nacta fuisset auxilium, ut liquet: v. g. ex depositione testis C—

At, quum hisce nuptiis conciliandis, gravissimum obstaret impedimentum, nempe sponsalicia fides, qua Henricus puellae M... se devinxerat, excogitatum est, astuto consilio, ait orator, de nuptiis celebrandis per simulatum consensum seu ad tempus. Nam hoc modo praesumendum erat (quod et factum probavit) deceptam sponsam Ioannae fore pro tempore iura sua quodammodo cessuram ac simulatas nuptias minus aegro animo passuram. Hanc hypothesim probabiliorem putat Sacramenti vindex ex hisce duobus argumentis. Et in primis, si Henricus et Ioanna reapse voluerunt contrahere solum simulate et ad tempus, quomodo eos effugit gravissimus difficultatum labyrinthus, in quem et coram Ecclesia et coram statu se intricabant, quum profecto, ut libertatem in utroque foro seu ecclesiastico et civili postea adsequerentur, multum et plurimum esset eis insudandum, et hoc certe; idque eo magis quod agebatur de re, quam facillime praevidere poterant? Accedit quod simulati non consensus sed contractus indicia gravissima habes tum ex epistola, quam paucis diebus ante matrimonium sponsus scribebat puellae M..., quaeque tota in eo est, ut deserenda sponsa astute vano solatio et vana spe futurarum nuptiarum demulceatur : quod puella ingenua vere credit : tum, et potissimum, ex documento scripto, quod paucis diebus ante matrimonium Henricus deceptae sponsae exhibuit, imo ei prae manibus reliquit, quum, certe non sine studio, illud reliquerit, ut ipsa valeret illud iterato et pro sui libitu examinare; adeo verum, ut, opportunam occasionem exinde nacta puella illud photographice exprimendum solertissime studuerit, fidens, se in eo validissimum argumentum habere ad urgendum postea infidum sponsum.

Quod si quaerat advocatus : et tunc si simulata fuit con-

ventio de consensu simulato praestando, quomodo explicatur modus agendi, qui nuptias est subsequutus, nempe thorus diversus etc.? Respondit vinculi defensor: 1. in primis, neminem hucusque certos nos fecisse, quod constanter sponsi a re maritali abstinuerint: 2. praeterea, quae supra dicta sunt de conciliatis hisce nuptiis ex interesse potiusquam ex amore, factum hoc, si et quatenus verum, explicant: ideo magis, quod Ioanna in actis exhibetur ut talis, quae, tempore initi coniugii, non multis illecebris ad inalami palaestram invitet.

Instanti vero patrono: et tunc, si simulata fuit conventio, cur sollicitos se exhibuerunt coniuges in ea primum ostendenda ac dein destruenda? Respondet Sacramenti vindex facile utrumque explicari, seu 1. affectatam ostentationem ante coniugium, nam intererat cohonestare coram propinquis et amicis factum Henrici puellam M... deserentis pro Ioanna, idque eo magis quod in omnium oculos insiliret harum nuptiarum absona indoles, quippe Ioanna longe senior Henrico erat, imo antequam ei nuberet plurimis annis in concubinatu cum alio viro vixerat ac duodecim ex eodem viro procreaverat filios ! : 2. immediatam destructionem post coniugium , quia intentus finis iam fuerat saltem in substantia obtentus.

Neque obiiciat patronus : si fuit simulata conventio, quomodo nunc in ea ponunt uterque coniux sua castra ut matrimonium impugnent? Nam respondet vinculi defensor: nihil mirum si nuptiae non ex amore, sed ex interesse conciliatae, nunc mutuo consensu seu per collusionem impetantur. Nam fortasse maioris interesse rationes suadent nunc dissociandum coniugium, quod olim rationes aliae suaserint conciliandum : et caeteroquin, quum simulata conventio optimum argumentum eis suppeditet, quid mirum si ea usi sunt? Imo, quis nos facit certos, factum simulatae conventionis occasionem non fuisse, ut, de impetendis nuptiis coniuges cogitaverint, secus id non praestituri, utpote aliis argumentis carentes?

Nec movent oratorem testimonia, quae ad firmandam coniugum religionem et hinc credibilitatem exhibentur, utpote quibus nullam fidem adhibendam esse censeat. Ceterum, inquit, omnibus compertum est : *a)* magna prudentia esse censenda favorabilia testimonia, quae palam a parochis solent concedi, maxime instantibus ditioribus et potentioribus familiis : *b)* talia testimonia nonnisi quamdam praesumptionem inducere, quae proinde cedere debet veritati, uti in casu nostro verificatur.

Praeterea, quia advocatus de exemplari photographico scribit: « Peritissimi viri Manfredii G... iudicium prodiit; quod contractus manu Comitis fuerit exaratus, et subsignatus; idem de subsignatione Ioannae iudicium fuit » ; animadvertit vinculi defensor, haec non adamussim respondere veritati, nam peritus, si plene testatur de facto viri documentum scribentis et subsignantis, quoad mulierem solum dicit quod subsignatio « Ioanna N... » quum nullam praeseferat similitudinem cum scriptura integri documenti nullamque immutationem, habetur scripta ab aliena manu ». Unde, urget orator, dato et non concesso, contractum non simulatum, sed verum inter coniuges intercessisse, adhuc maneret probanda authentia subsignationis mulieris.

Tandem quod attinet ad dispensationem super rato, animadvertit vinculi defensor haud probatam haberi in casu non sequutam matrimonii consummationem, imo nec probari posse; quum, exclusa probatione uti dicunt, coarctatae, non maneat nisi confessio coniugum in casu suspectissima, necnon testimonium septimae manus in casu ob adiuncta prorsus vel fere prorsus ineptum.

Hisce itaque hinc inde perpensis, S. C. Congregationi propositum fuit enodare sequens

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Resolutio.

Sacra Concilii Congregatio, omnibus ad trutinam re vocatis, dedit responsum : *In decisis.*

Die 16 Maii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda; quaeque sequenti modo resoluta sunt. *)

PER SUMMARIA PRECUM

I. COMEN. - RESTITUTIONIS ARCHIDIACONATUS. *(reservata).*

R. *Pro gratia iuxta petita, arbitrio et conscientia Episcopi.*

II. TARVISINA. - COLLATIONIS BENEFICIORUM.

R. *Quoad collationem alternativam beneficiorum inter Episcopum et Capitulum, et extensionem vacationum ad tres menses, pro gratia iuxta petita; quo vero ad institutionem auctorizabilem, nihil esse innovandum.*

IN FOLIO

I. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

D. *An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

R. *Sententiam esse infirmandum.*

II. MONTISPESSULANA. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *(sub-secreto).*

R. *Affirmative.*

III. NEAPOLITANA. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub-secreto).*

R. *Affirmative.*

IV. LINCIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub-secreto).*

R. *Praevia sanatione actorum, affirmative ad cautelam.*

V. BERGOMEN. - COLLATIONIS BENEFICIORUM.

***) Harum causarum disceptatio ad proximos fascículos transfertur.**

D. 1. *An ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Bergomen, ius spectet nominandi canonicos eiusdem Ecclesiae Cathedralis» exceptis Theologo ac Poenitentiario aliisque canonicatibus, de quibus aliter cautum est in tabulis fundationis in casu.*

2. *An ad idem Capitulum spectet instituere omnes Canonicos, non exceptis Theologo ac Poenitentiario, in casu.*

3. *An ad idem Capitulum spectet tum nominatio tum canonica institutio Archipresbyteri Capitularis , cui est adnexa cura animarum, salva approbatione Ordinarii, praevio examine, in casu.*

4. *An ad idem Capitulum spectet ius nominandi Capellanos Chorales, Chori et Caeremoniarum Magistros, qui in eadem Ecclesia Cathedrali existant, in casu.*

R. *Placere de concordia, et ad mentem.*

VI. CINGULANA. - ELECTIONIS.

D. *An Mansionaria Cathedralis sit conferenda Sacerdoti Matalicani vel potius Sacerdoti Malazampa in casu.*

R. *Mansionarium conferendam esse Sacerdoti Matalicani.*

VII. VARSAVIEN, SEU LUBLINEN. - SEPARATIONIS TORI ET COHABITATIONIS.

D. *An confirmanda sit sententia Archiepiscopalis Curiae Varsavien, die 15 Decembris 1900, vel potius illa Episcopalis Curiae Lublinen. die 20 Iunii 1901 in casu.*

R. *Sententiam Curiae Varsavien, esse confirmandam.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIUM quoad translationem solemnitatis externae S. Titularis.

Postulatio Rmi Domini Episcopi Ogdensburgensis quoad translationem solemnitatis externae Festi Sancti Titularis cuiuslibet Ecclesiae in minoribus locis: «Utrum huiusmodi solemnitas translata in Dominicam ipsum Festum proxime sequentem gaudeat privilegio unicae Missae propriae de eodem Sancto Titulari? »

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam ^oto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *Negative,* nisi constet de expresso atque speciali Indulto Apostolico. Atque ita rescripsit die 22 Februarii 1902.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

SAGIEN. ET ROMANA.

DECRETUM quo Operi Expiatorio de «Montligeon» conceditur indultum celebrandi Missam de Requie feriis secundis a duplici maiori non impeditis.

Instante Rmo Dno Paulo Buguet, Antistite Urbano et Directore Generali Operis Expiatorii « a nostra Domina *de Montligeon* » nuncupati, ad levamen animarum in igne purgatorio degentium, iuxta ipsius Operis finem, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, benigne indulsit, ut tum in Ecclesia matrice praefati Operis in loco *Montligeon,* intra fines Sagien. dioeceseos, tum in Basilica Almae Urbis titulo *Reginae Coeli in Monte sancto,* quam penes extat sedes procurationis memorati Operis, Missa cum cantu, seu, deficientibus cantoribus, Missa lecta de Requie celebrari valeat, singulis Feriis secundis per annum *); exceptis a praesenti concessione dupli-

*) Pro universali vero Ecclesia est in suo pleno vigore Decretum « *Aucto* », die 8 Iunii 1896, relatum in *Acta S. Sedis* Vol. XXIX, pag. 62.

cibus primae et secundae classis, festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Martii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret*

PATRIARCHALIS BASILICAE LIBERIANAE

DUBIA circa officia in Choro vel in Capitulo gerenda a Canonico digniori aut seniori.

Revmus Dnus Franciscus Riggi, Praefectus coeremoniis pontificiis et Canonicus Patriarchalis Basilicae Liberianae, uti delegatus a Rmo Capitulo eiusdem Basilicae, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit; nimirum:

Rmum Capitulum Liberianum constat sexdecim canonicis iuxta ordinem hierarchicum distinctis, nempe: octo presbyteris, quatuor diaconis et quatuor subdiaconis. Canonici autem episcopali dignitate insigniti, si in ingressu inter diaconos vel subdiaconos relati sint, postea ad primum canonicatum presbyteralem vacantem ascendunt. Exinde nonnulla dubia circa officia in choro vel in Capitulo gerenda a Canonico digniori vel seniori orta sunt; videlicet:

I. Canonicus dignior est idem ac Canonicus senior?

II. Ad quem spectat preces ante et post Capitulum recitare, quum in Constitutionibus Capitularibus cap. XVII, § 4, legatur: « Incipiant ab oratione, quam Vicarius vel, ipso absente, dignior Canonicus recitabit » ?

III. Item ad quem Canonicum spectat praebere celebranti candelam benedictam die festo Purificationis B. M. V. et palmam benedictam Dominica palmarum, eidemque imponere sacros cineres Feria IV cinerum?

IV. Ad canonicos digniores aut ad canonicos seniores pertinet associare Cardinalem Archipresbyterum?

V. Canonici iuniores obviam ire solent Cardinali Poenitentiario Maiori ad Patriarchalem Basilicam Liberianam, Feria IV

Maioris hebdomadae, accedenti cum suo Tribunali ad audiendas sacramentales confessiones. Servari-ne potest haec consuetudo ?

VI. Item continuari-ne potest similis usus cum Legatus Maior Regni Hispanici ipsam Basilicam adit pro audienda Missa de S. Ferdinando HI, Reg. Conf. ?

VII. In Constitutionibus Capitularibus cap. IV, § 3, legitur : « Quotiescumque Missa solemnis in Pontificalibus celebratur, munus assistentis Decanus Capituli vel, eo impedito, antiquior in presbyteratus ordine Canonicus gerere debet ». Quaeritur : Si Decanus Capituli non sit ex ordine presbyterali, poterit-ne hoc munere fungi?

VIII. Ad quem Canonicum spectat obsequentem sermonem habere ad novum Cardinalem Archipresbyterum; et officium exequiale peragere cum corpus Cardinalis Archipresbyteri defuncti ad Basilicam deducitur?

IX. Constitutiones Capitulares, cap. III, § 5, statuunt: « Non prius beneficiatus hebdomadarius intonare incipiat : *Domine labia mea,* vel *Deus in adiutorium* quam Vicarius, vel, ipso absente, dignior et antiquior Canonicus assurgat, detque ei signum id faciendi ». Quaeritur: Hic Canonicus debet esse dignior aut antiquior?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis atque discussis, rescribendum censuit:

Ad 1um. *Negative.*

Ad 2um. Absente Eirio Archipresbytero, eiusque Vicario, spectare ad digniorem ut ex decreto, n. 1299, *Aseulana,* 30 Augusti 1664 *).

Ad 3um. Absente Vicario, ad digniorem.

Ad 4um. Si Emus Archipresbyter pergit in choro ut pontificaliter celebret, consocietur a Diacono et Subdiacono Canonicis, qui illi in Missa assistunt: secus a duobus Canonicis, ex praesentibus, dignioribus, non Episcopis.

Ad 5um. *Affirmative.*

*) Confer *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata sub auspiciis SS. Domini Nostri Leonis Papae XIII; Romae ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide a. 4898;* Vol. I, pag. 268. Ad rem nostram praesertim facit numerus 6. citati decreti 1299, ita se habens: «Invocationem seu orationem Spiritus Sancti, quando convocatur Capitulum, spectare ad digniorem ».

Ad 6um. *Affirmative.*

Ad 7um. *Negative.*

Ad 8um. Quoad primam partem, ad Canonicum digniorem, vel Secretarium, iuxta consuetudinem; quoad secundam, ad seniorem ex ordine presbyterali.

Ad 9um. Ad digniorem, iuxta decretum n. 1976, *Montis Politiam,* 13 Iunii 1697 *).

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. & S.

f DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS FRATRUM MINORUM

DUBIA circa capitis inclinationem et Praefationem in Missa.

R. P. Paschalis a Perusia, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui Reviîii Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humillime exposuit ; nimirum :

I. An infra octavam alicuius Sancti octavam habentis, cuius nec officium recitatur nec fieri commemoratio per accidens potest, caput inclinari debeat, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa?

II. Quaenam praefatio dicenda sit in Missa votiva conventuali, quando alia celebratur Missa de die infra octavam vel eius fiat commemoratio in Missa de officio occurrente, an scilicet praefatio communis, vel praefatio de octava ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative* ad primum, *Negative* ad secundum.

Atque ita rescripsit. Die 19 Iunii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

*) Item confer *Decreta authentica Congr. SS. Rituum etc.,* uti supra: *Vol. I pag. 431.* Decisio autem S. Congr. Rituum haec est: «Praeeminentias praescribendi et ordinandi etc. spectare ad digniorem praesentem in choro ».

SANCTI DEODATI

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Iosephi Formet, Eremitae nuncupati.

Saeculo decimoctavo exeunte in pago *Ventrón,* dioeceseos Sancti Deodati piissime obiit eremita quidam, Petrus Iosephus Formet, cuius nomen in omnium ore et corde laudis et memoriae testimonio cohonestatur. Ortus in dioecesi Vesontii, die 7 februarii anno 1724, a parentibus, conditione humili sed pietate praestanti Stephano et Catharina Perrin, christianae Fidei rudimenta agnoscere et praecepta servare didicit. Aetate ac virtute accrescens, vix decimum et primum aetatis annum attigit, caelesti convivio refectus est. Quatuor post annos genitrice ornatus, ut patri egenti et ad novas nuptias transeunti subsidium ferret, in famulatum honesti viri se sponte addixit atque per biennum boni ac fidelis servi munia adimplevit. Militiae adscriptus, religione et moribus admirabile exemplum commilitonibus ipsisque ducibus praebuit. Ad pristinum vitae statum post quinquennium réversus ita famuli officia gessit ut non obliterentur ea quae ad filium spectant. Namque patri gravi morbo laborante statim, dimisso domino, opem tulit maxime sollicitus ut extrema Ecclesiae sacramenta reciperet. Voti compos factus demortuum parentem sacro funere expiari eiusque corpus in ipso tumulo matris poni curat. Postea paterna haereditate consanguineae sorori tradita, oppidum natale relinquit secum afferens crucifixum et parvulam B. Mariae Virginis statuam. Peregrinus primo solitarium locum *Patris* prope coenobium Cisterciensium adit, dein in oppido *Tête de Fortgoutte* prope *Bussang* consistit, ubique orationibus, ieiuniis sanctisque operibus assidue vacans. In solitudine deiectus a Ioanne Valroff, oblata ab eo cibaria renuit, profitens sibi in adiutorio Altissimi et in protectione Dei coeli commoranti nihil deesse. Probi viri Thomae Colin cura, aere collato, alia habitatio decentior in loco *Les Buttes* pagi *Ventrón* aedificata est Servo Dei, qui ibidem ab anno 1751 usque ad vitae exitum mansit. Dilectus Deo et hominibus Petrus Iosephus quotidie in Ecclesia sacrificio Missae, adstabat, Angelorum pane saepe roboratus. In oratione perseverans, rudi amictu, modico cibo brevique somno utebatur; neque eremum deserebat, nisi ad sanctuaria invisenda, ad infirmos atque egenos

consolandos, ad infantes puerosque christiana Fide ac Lege imbuendos. Hanc vitam solitariam et actuosam bonis operibus plenam egit usque ad annum 1784. Tunc enim gravi morbo correptus et omnibus morientium sacramentis refectus, die 30 Augusti ad aeternam patriam migravit. Eius corpus ad Ecclesiam delatum, magno comitante populi concursu, sacro funere persoluto, in coemeterio ipsius Ecclesiae repositum fuit. Interim opinio sanctitatis Servi Dei in vita et post mortem clara, intra et extra illam regionem diffusa, maiora in dies accepit incrementa. Quare adornato super ea in ecclesiastica Curia Sancti Deodati Processu Ordinario Informativo et Sacrorum Rituum Congregationi exhibito, ad humiles enixasque preces Rmi Dñi Alberti D'Armailhacq, Urbani Antistitis et Causae Postulatoris, attentis decretis eiusdem Sacrae Congregationis 23 Iulii 1900 et 7 Novembris 1902, pro Causa introducenda, una cum Litteris Postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum ac praesertim Rmi Episcopi Sancti Deodati cum suo Capitulo Cathedrali, et Seminario et Rectoribus ecclesiarum parochialium *Ventrón* et *De Lamont,* Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus ei eiusdem Causae Relator, in Ordinario S. R. C. coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur Ì* » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque mature perpensis ac discussis, rescribere rati sunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit* ». Die 21 Aprilis 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Ven. Servi Dei Petri Iosephi Formet, Eremitae nuncupati, die 22 eisdem mense et anno:

SERAPHINUS CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f DIOMEDBS PANICI, ARCHIEP. LAODICEN., *Secret.*

LIMANA

DECRETUM Canonizationis B. Mariae Annae a Iesu de Paredes.

Quiti in lucem edita et *Quítense litium* merito appellata B. Maria Anna a Iesu de Paredes, non minus virginitate et innocentia quam poenitentia et interiori spiritu floruit. Pestilentia in sua urbe natali invalescente, pluribusque civium millibus succumbentibus, ipsa ad Deum placandum preces, ieiunia et vitam ultro ac libenter obtulit. Placita erat Deo anima illius Virginis, quae quum esset in aetate vigintiseptem annorum, e corporeis vinculis soluta ad caelum evolavit, morbo contagioso in civitate Quitensi extemplo cessante. Post obitum, eius sanctitatis fama praesertim in Americae regionibus diffusa, in dies ita increvit, ut penes Sacrorum Rituum Congregationem Causa beatificationis et canonizationis introducta fuerit. Deinceps virtutibus portentisque rite probatis, Summus Pontifex Pius IX solemni ritu Ven. Dei Servam ad Beatorum Caelitum honores, cum ingenti Quitensium gaudio, evexit. Quum vero post indultam eidem Beatae venerationem, divina Clementia novis ac frequentibus signis ac prodigiis eius sanctitatem confirmasse feratur, instante Rmo P. Camillo Beccari Societatis Iesu et huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis aliquorum Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum necnon Rmi P. Praepositi Generalis Societatis Iesu, Rectorum Collegii Pii Latini Americani et Collegii Hiberni in Urbe, et plurium Quitensium civium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum pro-^ posuit: « *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?»* Eiîii et Rrîii Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit».* Die 21 Aprilis 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare di-

gnata est Commissionem Reassumptionis Causae praefatae Beatae Mariae Annae a Iesu de Paredes, die 22 eisdem mense et anno.

SERAPHINUS CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. # S.

f DIOMEDES PANICI, ARCHIEP. LAODICEN., *Secret*

ANICIEN.

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Benildis, e Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum.

In oppido *Thuretj* Claramonten. dioeceseos ex honestis piisque parentibus Ioanne Romançon et Anna Chanty, ortum habuit die 14 Iunii anno 1805 Servus Dei Fr. Benildes, e Congregatione Fratrum scholarum christianarum, qui in sacro fonte Petrus appellatus est. Puerulus ad virtutem succrescens, matris praesertim cura, scholas privatas, Ioanne Delair praeceptore, frequentavit, ob singularem diligentiam et ingenii acumen inter aequales mirifice praestans. Ad nutum parentum gregis custodiae aliquando addictus, tranquillas ducebat horas atque naturae contemplatione ascensiones ad Deum in corde suo disponebat. In civitate Claramontana intuens Fratres a scholis christianis singulari modestia per viam Rosarium B. M. V. recitantes, statim ad eorum Institutum se intime vocari fassus est. Decennis Rigodunum prope *Thuret* ad ipsorum Fratrum scholas instituendus mittitur. Anno aetatis sextodecimo, patria relicta, domum praedicti Instituti in civitate Claramontana ingreditur, S. Amatoris opem et patrocinium ibidem expertus. Tyrocinio cum laude expleto, votisque nuncupatis, variis in locis praesertim ***AurillaCj*** *Limoges, Moulins, Clermont, Montferand, Billom* et *Sangues* se totum pueris excolendis erudiendisque devovit, universo civium ordine plaudente. Quum Deus esset in conspectu eius omni tempore, hanc divinam praesentiam identidem in classe ad mentem puerorum revocabat, satagens litterarum studium cum pietatis amore coniungere. Hinc eos piis exercitiis atque christianae doctrinae institutione ad sacra mysteria suscipienda pro viribus praeparabam Quod etiam praestitit in schola vespertina ubi adulti et nupti quoque homines

conveniebant, eius fortitudinis et iustitiae simul ac mansuetudinis et patientiae testes. Dei et Ecclesiae praecepta atque sui status obligationes fideliter observans hic bonus agricola bonum semen seminavit in agro suo: quod semen tempore opportuno multum attulit fructum etiam per vocationes tum religiosas tum ecclesiasticas, quas ipse divinae gloriae et animarum saluti provehendae iugiter intentus impense fovit et promovit. Tandem Fr. Benildes annum agens quinquagesimum septimum et magno labore et diuturna aegritudine afflictus, omnibus Ecclesiae sacramentis, prout ipse petierat, munitus,, spiritum piissime exhalavit in pago *Sarigues*, die 13 Augusti anno 1862. In Ecclesia eiusdem pagi depositus magnam populi multitudinem ad funus et ad tumulum attraxit. Certatim quisque studebat aliquas sibi eripere eius vestium particulas, egregiasque virtutes publica testificatione notare. Haec sanctimoniae fama ante et post obitum Servi Dei in dies perseverans adeo inclaruit, ut super ea Processus Ordinarius Informativus in ecclesiastica Curia Anicien. adornatus et in hanc Urbem delatus Sacrorum Rituum Congregationi exhibitus sit. Postea quum ex decretis eiusdem Sacrae Congregationis 13 maii 1901 et 13 decembris 1902 nihil obstaret quominus de causa introducenda ageretur, instante R. Fr. Robustiano Congregationis Fratrum a scholis christianis Procuratore et Postulatore Generali, atque attentis Litteris postulatoriis plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum, aliorumque virorum dignitate sive ecclesiastica sive civili praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, huius Causae Relator, in ordinariis comitiis S. R. C, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit; nimirum: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Porro Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit* ». Die 21 Aprilis 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, pro-

priaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei Fratris Benildis, e Congregatione Fratrum scholarum christianarum, die 22 eisdem mense et anno.

SERAPHINUS CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f DIOMEDES PANICI, ARCHIEP. LAODICEN., *Secretarius.*

DIARIUM

Die 12 Maii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano, coram SSmo D. N. Leone PP. XIII, habita est Congregatio SS. Rituum generalis, in qua Emi ac Rrni DD. Cardinales atque Revmi Praelati Officiales et Consultores Theologi votum emiserunt super dubio *de virtutibus in gradu heroico* in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei *Mariae Magdalenae Postel,* fundatricis Instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia.

Die 9 Iunii 1903,

Apud Emum et Revmum D. Cardinalem Dominicum Ferrata, Ponentem Causae Canonizationis Beati *Clementis Hofbauer,* Sacerdotis professi e Congregatione SSmi Redemptoris, habita est Congregatio SS. Rituum antepraeparatoria, in qua a Revmis Praelatis et Consultoribus Theologis emissum est votum supra duo miracula, quae a Deo patrata asseruntur per intercessionem ipsius Beati, quaeque pro eius Canonizatione proponuntur.

Die 16 Iunii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano, cum interventu Emorum ac Revmorum DD. Cardinalium et cum voto Revmorum Praelatorum et Officialium componendum Congregationem SS. Rituum particularem, discussum est dubium circa martyrium eiusque causam etc. Ven. Servorum Dei *Marci Crisim,* Canonici

Strigonien., *Stephani Pongraczii* et *Melehioris Grodeezii,* Sacerdotum e Societate Iesu, Gassoviae in odium fidei ab haereticis interfectorum : itemque dubium circa virtutes Ven. Servi Dei *Ioseph Pignatelli,* Sacerdotis professi ipsius Societatis.

Die 30 Iunii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano, cum interventu Eiîiorum ac Revmorum DD. Cardinalium et cum voto Revmorum Praelatorum Officialium et Consultorum Theologorum, habita est Congregatio SS. Rituum praeparatoria ad discutienda duo miracula, quae a Deo patrata dicuntur per intercessionem Venerabilis Servi Dei *Gasparis Del Bufalo,* Canonici Basilicae S. Marci de Urbe, ac Fundatoris Congregationis Missionariorum e Pretiosissimo Sanguine D. N. Iesu Christi; quaeque pro eiusdem Beatificatione proponuntur.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

ET SS. RELIQUIARUM

RESCRIPTUM quo Sodalitatibus B. M. V. Immaculatae in Gallus peragere indulgetur devotiones et conventus extra institutionis sedem.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Pro-Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit quae sequuntur :

De suppressione iam peracta in Gallia vel peragenda plurium domorum Sororum seu puellarum a charitate S. Vincentii a Paulo, Sodalitates B. V. M. Immaculatae, vulgo « *Le figlie di Maria* » apud praefatas Sorores institutae vi Rescripti Pontificii diei 20 Iunii 1847 nec non Brevis diei 19 Septembris 1876, non parvum detrimentum sen tient ex defectu sedis vel loci, quo convenire consueverant, suas peracturae, sub regimine earumdem Sororum, devotiones erga Beatissimam Matrem, nec non

functiones Sodalitatis proprias, v. g. consilia, electiones officialium, recentiones etc. Ad praecavendam igitur harum Sodalitatum, quae tot fructus salutis aeternae in vinea Domini proferunt, dissolutionem, humilis orator, nomine sui Superioris Generalis, instanter implorat, ut praedictae Sodalitates possint sine damno indulgentiarum, quibus ditatae sunt, prosequi suas devotiones nec non functiones ante usitatas vel in ecclesia paroeciae, in cuius ambitu erat domus suppressa vel supprimenda, vel, si commode fieri possit, apud alias domos Sororum, quae forte iisdem in locis a periculo suppressionis evaserint. Et Deus etc.

Sacra Congregatio Ind ulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, quatenus opus sit, benigne annuit pro gratia iuxta preces, dummodo tamen translatio praefatarum Sodalitatum fiat de consensu Ordinariorum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 29 Aprilis 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. * S.

f FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

DECRETUM circa indulgentias concessas recitantibus orationem " 0 Gesù, mio Salvatore e Redentore, etc. „

Anno nuper elapso prodiit primum Viennae in Austria lingua germanica exarata, et dein Parisiis in gallicam versa, pagella quaedam referens, ad reprimendos schismaticos conatus cuiusdam sectae « *Los von Born* » nuncupatae, orationem illam, quae incipit verbis « O *Jesus, mein Heiland und Erlöser* etc. », quaeque sequens monitum praesefert: « Sanctitas Sua Leo Pp. XIII omnibus Christifidelibus genuflexis et pie hanc orationem recitantibus tercentum dierum indulgentiam concessit; et vigore Rescripti diei 27 Octobris 1902 indulgentiam plenariam omnibus, qui praedictam orationem recitaverint et S. Synaxi fuerint digne refecti; quae indulgentia applicari poterit animabus Purgatorii ».

Deinde vero dubium propositum fuit: Utrum, nempe, talis indulgentia plenaria acquiri possit *semel in die,* uti habetur de precibus: « En ego, o bone et dulcissime Iesu etc. », an verius *semel in mense* tantum?

Porro S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, attento tenore Rescriptorum diei 15 Februarii et 27 Octobris anni 1902, quibus Indulgentiae memoratae Orationi adnexae fuerunt, declarat:

Universis Christifidelibus devote recitantibus Orationem, quae in italicam linguam translata ita sonat: « O Gesù, mio Salvatore e Redentore, Figlio del Dio vivente, eccoci qui, prostrati ai tuoi piedi, Ti domandiamo perdono e facciamo atto di riparazione per tutte le bestemmie contro il tuo santo Nome, per tutte le ingiurie che Ti vengono arrecate nel Santissimo Sacramento dell'Altare; per tutte le irriverenze verso la tua Santissima Madre Immacolata; per tutte le calunnie contro la tua Sposa, la S. Madre Chiesa Cattolica. O Gesù, Tu che dicesti: *Tutto quello, ehe chiederete in mio Nome a mio Padre, ve lo concederò,* noi Ti preghiamo e supplichiamo per i nostri fratelli, che si trovano in pericolo di peccare, di volerli preservare dagli allettamenti dell'apostasia, salva coloro, che già si trovano sull'orlo del precipizio, concedi a tutti lume e discernimento della verità, coraggio e forza nella lotta contro il male, perseveranza nella fede e carità operosa. Perciò, misericordiosissimo Gesù, in tuo Nome preghiamo Iddio, tuo Padre, col quale vivi e regni in unione dello Spirito Santo, nei secoli dei secoli. Così sia » *); sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles, a SSmo Dno Nostro Leone Pp. XIII fuisse concessas, scilicet:

*) En versio latina in commodum nescientium linguam italicam: « O Iesu, Salvator et Redemptor meus, Fili Dei Vivi, ecce nos, tuis pedibus provoluti, veniam a Te petimus et reparationis actum facimus pro omnibus blasphemiis contra Nomen sanctum tuum, pro omnibus iniuriis quae in Sanctissimo Altaris Sacramento Te afficiunt; pro omnibus irreverentiis adversus tuam Sanctissimam Matrem Immaculatam; pro omnibus calumniis contra tuam Sponsam, S. Matrem Ecclesiam Catholicam. O Iesu, Tu qui dixisti : *Quodcumque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam,* Te rogamus ac petimus pro fratribus nostris, qui in peccandi periculo degunt, ut eos serves ab apostasiae illecebris, salva eos, qui super barathrum sistunt, omnibus dona lumen et agnitionem veritatis, vim et robur in praelio contra malum, perseverantiam in fide et caritatem actuosam. Ideo, misericordiosissime Iesu, in Nomine tuo Deum rogamus. Patrem tuum, cum quo vivis et regnas in unitate Spiritus Sancti, in saecula saeculorum. Amen.

1°. Tercentum dierum, semel in die;

2°. Plenariam semel tantum in mense lucrandam, si orationem ipsam per mensem integrum quotidie recitaverint, dummodo uno infra eundem mensem die vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint et ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Maii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. S S.

f FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secret.*

VIENNENSIS

RESCRIPTUM quo declaratur Sacerdotes, pro Monialium confessionibus etsi non approbatos, delegari posse ad absolutiones generales et benedictiones apostolicas Monialibus Tertiariis impertiendas.

Episcopus Orthosiensis, Auxiliaris Emi Archiepiscopi Viennensis in Austria, relate ad Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in una *Bononiensi* die 11 Februarii 1903, *) eidem S. Congregationi sequens dubium solvendum proposuit :

« Utrum Ordinarius, sub cuius iurisdictione Moniales Tertiariae degunt, ad absolutiones generales et benedictiones apostolicas eisdem Monialibus impertiendas, delegare possit Sacerdotem sibi benevisum ad audiendas Monialium confessiones non approbatum ? »

Porro S. Congregatio ad praefatum dubium respondendum mandavit : « *Affirmative* ».

Datum Romae e Secretaria eiusdem S.Congregationis, die 27 Maii 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. S S.

f FRANCISCUS SOGARO, Arch. Amiden., *Secret.*

***) Citatum decretum invenies in hoc ipso volumine, pag. 636.**

†

LEO XIII P. M.

VIXIT AN. XCIII, M. IV. D. XVIII.

ECCLES. UNIVER. PRAEFUIT AN. XXV. M. V.

OBIIT DIE XX IULII AN. MCMIII.

ELOGIUM FUNEBRE

Sa. Me. Summt Pontificis Leonis XIII, in corporis humatione dictum et in sepulcro inclusum.

Moerore et luctu catholici orbis, die vigesima Julii huius anni millesimi noningentesimi tertii, hora post meridiem quarta, Leo XIII Pontifex Maximus obiit supremum diem.

Joachimus Pecci ortus est in oppido Carpineti, dioeceseos Anagninae, nobili loco, die secunda Martii anno millesimo octingentesimo decimo; ad Petri sedem evectus est die vigesima Februarii anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo.

Summum Pontificatum viginti quinque annis et quinque mensibus insigniter prosequutus diuturnae aetatis cursum, egregia grandium factorum laude cumulavit. Difficile est longum eius vitae cursum retexere, et praeclara quae gessit singillatim recensere.

Humaniorum literarum studiis penitus addictam adolescentiam deduxit, morum integritate, pietatis cultu, profectu plus quam mediocri commendatam. Exacto philosophiae, theologiae, iurisque canonici cursu, laureisque donatus, postremo

die anni millesimi octingentesimi trigesimi septimi sacerdotio consecratus, se suaque omnia in aliorum culturam et utilitatem transtulit. Nam Beneventi primum, postea Bruxellis, deinde Perusiae satis omnibus pro viribus fecit, integerrimi viri nomen consequutus.

Ad Summi Pontificatus fastigium adductus, adversa licet temporum calamitate, nihil non molitus est, ut Ecclesiae utilitati et fulgori prospiceret.

Ut summatim recolantur, quae universo catholico orbi compertissima sunt, enitet primum eius pietas, qua religionis incrementa curavit, decusque asseruit, Dei gloriam, Beatae Virginis Deiparae honorem, sanctorum caelitum cultum provexit. Uteris ad Christianos Principes, ad clerum et populum identidem missis, errores in dies perniciosius ingruentes detexit, sancte docteque protrivit. Nihil sui memor, parce victitans, omnibus omnia factus, hoc unum sibi praeceperat et hoc unum est prosecutus, ut Ecclesiae decori, fidelium bono, omnium utilitati, sui prorsus immemor inserviret. Declini iam aetate et senio confectus, alacritate mentis, voluntatis constantia, fidei firmitate, industria scientiae, negotia vel difficillima suscipere et persequi et ad ominatum exitum adducere nunquam destitit. Mira autem omnibus eluxit animi sui constantia, frontis serenitas, et tenax in Deo fiducia, quibus adversa pertulit. Tot, tantorumque Patrum Cardinalium, quos carissimos habuit, et quorum doctrinae et sollertiae Aderat, immaturam obitum, strenua demissione dolentis animi, et Dei voluntatis obsequio, mirifice pertulit. Praesidiis, quae sibi sapientissime paraverat repente destitutus, immota animi firmitate, his nova et fortasse potiora suffecit, vir in adversis magis quam in prosperis admirandus.

Itaque ut paucis maximae et plurimae res eius gestae concludatur Leo Decimus Tertius is pontifex fuit, cui bonitatis laude, ingenii praestantia, vitae integritate, sanctitate morum, viribus omnibus in devexa etiam aetate ad Ecclesiae Christi incrementum collatis, nemo unquam fortasse poterit aequiparari.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE

leonis PP. Xiil ad E.mum Card. Sancha y Hervas, de concordia inter Hispanos fovenda, necnon de coetibus dioecesanis condendis.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quos nuper coetus Episcopi aliquot Hispaniarum, te praeside, Matriti celebrarunt ut opportunissima ad movendam apud vos catholicorum actionem praesidia animadverterent, de iis Nos certiores efficit dilectus Filius Noster a publicis negotiis. Has Nos congressiones libentiore quadam voluntate cognovimus, quippe professi saepe numero publiceque sumus nihil Nobis magis esse curae quam ut catholici in Hispania viri arctissima inter se concordia cohaereant. Illud enimvero laudati coetus perspicue demonstrant Hispanos Praesules non modo de concordiae necessitate Nobiscum consentire, verum etiam ad voluntatum coniunctionem in fidelibus restaurandam omni studio contendere. Quod sane complures Episcopi ad consilia conferenda convenerint, id esse fructus expers in christiana plebe non potest, eo praesertim ex capite quod suas cuique opiniones variasque de rebus minime necessariis sententias omnino abiiciendas esse suadeat, si prospicere Religionis rationibus, quae multum in praesens periclitantur, cum efficacitate velimus. Quamobrem vehementer optamus ut Hispaniae Episcopi constanti stabilique animo insistant denuncian palam ac publice servandam catholicis universis concordiam. Sequetur enim sine dubitatione ut pastoralia praescripta maiori populum virtute percellant, atque ea, quae animo spectatis, leviore negotio adipiscamini. Supradictis autem in conventibus prolatum a quibusdam consilium comperimus peculiares coetus in quaque

dioecesi condendi, qui consociationi Matriti constitutae, tanquam capiti, congruat. Iam eiusmodi sententiam sapienter opportuneque conceptam laude persequi placet: valere namque posse censemus ad creandum stabiliendumque catholicorum omnium in Hispania consensum. Quare plane confidimus universos istius gentis Episcopos eidem consilio et opinione et re fore adstipulaturos. Huius tamen exequendi negotii, praescriptorumque decernendorum, quibus regendae consociationes erunt, praecipuas partes deberi tibi volumus, qui summum dignitatis locum in Hispaniae Episcopis obtines. Valde quidem Nobis et agendi studio, et rerum usu et fideli coniunctione commendaris: quo fit ut nullum ad haec incitamentum desideres. Modestiam vero tuam attollendam impellendamque arbitramur, idque libenter praestamus, enixe cohortantes ut magno erectoque animo operi tam claro praesis, hoc nihil dubitans eos tibi omnes adiumentum laturos qui dignitatis exsistunt socii. Quod si humanae conscius infirmitatis divinam requirendam opem ad laudatum facinus putas, Nos etiam adspirantem propitie Deum tibi deprecamur, auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi coeterisque Hispaniarum Episcopis ac fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Aprilis anno MCMIII, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio Nostro
Cyriaco Mariae Tit. S. Petri in Monte Aureo
S. R. E. Presb. Card. Sancha y Hervas
Archiepiscopo Toletanorum.

EPISTOLA

SS.mi D. N. Leonis PP. XIII ad Moderatorem Generalem Salesianorum, occasione eorumdem conventus.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cogendum proxime significabas Salesianorum ex omni terrarum orbe conventum, eumque, Deiparae Adiutricis ope suffultum, solemniis iri conclusum declarabas eiusdem magnae Dei Matris insigni corona induendae. Laetabile nobis hoc facinus accidit, quippe et dilecti Filii Nostri Ecclesiae Cardinales et dioecesum Pastores, et viri e sacro Clero ac fideles, quorum pietas ac virtus ad conferenda vobiscum consilia est advocata, non unam praebent sperandorum causam bonorum. Nostram autem expectationem summopere alit Opiferae Virginis praesidium, quam Sodalicio maxime Salesiano adspirantem propitie novimus: planeque idcirco confidimus, magno cum Religionis •commodo atque quidem cum institutae a vobis iuventutis emolumento id omne fore extiturum; quod Maria Mater et Virgo tueatur ac muniat.

Auspicem interea coelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi ac ceteris, qui in coetum una tecum convenient, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die xn Maii MGMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo sexto.

LEO PP. XIII.

Dilecto filio Michaeli Rua
Moderatori Generali Sodalitatis Salesianae
Augustae Taurinorum.

Ouibus Leo Papa XIII, pro Quinquagesimo Anniversario Definitionis Dogmaticae Immaculatae B. M. V. Conceptionis solemniter celebrando, specialem Cardinalium Commissionem instituit.

Signori Cardinali,

Da molte parti Ci è stato manifestato il vivo desiderio dei fedeli di celebrare con istraordinarie solennità il cinquantesimo anniversario della dommatica definizione dell' Immacolata Concezione della Vergine. Quanto tale brama torni gradita al Nostro cuore è agevole immaginarlo. La pietà verso la Madre di Dio, non solo è stata fra le Nostre più soavi affezioni fin dai teneri anni, ma è per Noi uno dei più validi presidi concessi dalla Provvidenza alla Chiesa cattolica. In tutti i secoli ed in tutte le lotte e persecuzioni la Chiesa ebbe ricorso a Maria, e ne ottenne sempre conforto e difesa. E poiché i tempi che corrono sono così procellosi e pieni di minacce per la Chiesa stessa, Ci gode l'animo e si apre a speranza nel vedere i fedeli che, colta la propizia occasione del menzionato cinquantenario, vogliono con unanime slancio di fiducia e di amore rivolgersi a Colei, che è invocata Aiuto dei Cristiani. Si aggiunge poi a renderci cara la bramata solennità cinquantenaria, l'esser Noi unico superstite fra quanti, sia Cardinali, sia Vescovi, facevano corona al Nostro Predecessore nell'atto della promulgazione del dommatico decreto. Essendo però Nostra intenzione che le feste cinquantenarie abbiano quell'impronta di grandezza, che si conviene a questa Nostra Roma, e sieno tali da servir di stimolo e regola alla pietà dei cattolici di tutto il mondo; abbiamo determinato di formare una *Commissione Cardinalizia,* a cui spetti ordinarle e dirigerle. A membri dì siffatta Commissione nominiamo voi, Signori Cardinali. E nella certezza che, colle sapienti vostre cure, saranno interamente appagate le Nostre e le comuni brame, pegno dei celesti favori vi impartiamo l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 26 Maggio 1903.

LEO PP. XIII.

Ai nostri diletti figli
VINCENZO **Cardinale VANNUTELLI**
MARIANO **Cardinale RAMPOLLA DEL TINDARO**
DOMENICO **Cardinale FERRATA**
GIUSEPPE CALASANZIO **Cardinale VIVES**

Hie subnectitur Appellatio ad Catholicos, *necnon* Programma Generale a Commissione Cardinalitia approbatum.

APPELLO AI CATTOLICI

Quanti sono figli amorosi della Vergine e della Chiesa cattolica leggeranno senza dubbio con gioia profonda la Pontificia Lettera qui sopra riportata ; nella quale il Vicario augusto di Gesù Cristo, accogliendo con affetto paterno il vivo desiderio dei fedeli, invita così teneramente il mondo cattolico a celebrare con feste straordinarie il Cinquantesimo Anniversario della dommatica definizione della Immacolata Concezione della Vergine.

Al Pontefice Sommo, infatti, che tanto fece già per crescere nei fedeli il culto di Maria, non è bastato, in questa Venerata Lettera, il dolce richiamo alle soavi affezioni dei Suoi teneri anni, tra le quali primeggiava fervida e costante la pietà verso Maria ; non il ricordo tanto opportuno nelP angustia dell'ora presente, che la divozione alla gran Madre di Dio fu in ogni età ed è sempre uno dei più validi presidi concessi dalla Provvidenza alla Chiesa cattolica ; non, infine, l'accenno amorevole e quasi riconoscente al conforto ed alla speranza che fra tante Sue pene Gli infondono nel cuore i Suoi figli, con P unanime slancio di fiducia e di amore verso Colei, che a ragione è invocata Aiuto dei Cristiani, e che tante volte già liberò dalle più dure strette la Sposa perseguitata di Gesù Cristo.

Ma di più il grande Pontefice, dopo aver rammentato che Egli è unico superstite tra quanti, Cardinali e Vescovi, più davvicino parteciparono alle gioie ed ai trionfi della proclamazione del Domma, ciò che Gli rende più cara la bramata solennità cinquantenaria ; ora che siede sulla Cattedra di San Pietro, dichiara essere Sua volontà che le vicine Feste siano così straordinarie e così solenni, in Roma soprattutto, che portino la impronta della grandezza di questa alma Città, e che siano insieme di stimolo e di regola alla pietà dei cattolici di tutto il mondo nelP onorare in occasione tanto bella e propizia la gran Madre di DÌO;

Sembra che il Pontefice del Rosario, levando fiducioso lo sguardo a Maria dopoché fu amorosamente festeggiato in tre felicissimi Giubilei dai Suoi cari figli, voglia Egli stesso con felice pensiero invitarli tutti a solennizzare il Giubileo della Im-

macolata, perchè dalla valida intercessione di Lei opportunamente riconoscano gli insigni beneficii, onde fu ricolmo, anche nei tempi tristissimi che corrono, il Pontificato Romano, ed a Lei si sciolga unanime dal mondo cattolico l'inno della gloria e della riconoscenza; invocandone, tra le nuove lotte e minacce, l'aiuto salutare.

Ad ottenere che gli alti Suoi intenti siano efficacemente tradotti in effetto, Sua Santità si è degnata costituire una speciale *Commissione Cardinalizia,* composta dei Cardinali Vincenzo VANNUTELLI, Mariano RAMPOLLA DEL TINDARO, Domenico FERRATA, Giuseppe Calasanzio VIVES; alla quale resta affidato il superiore e nobilissimo compito di ordinare e di dirigere degnamente le mentovate e solenni Feste Cinquantenarie.

Per corrispondere degnamente, adunque, ad Invito tanto augusto, e per soddisfare in pari tempo le vive brame del loro cuore, i cattolici di ogni Paese del mondo debbono unirsi concordi per prepararsi alle grandi Feste; e debbono con ardore e con operosità assidua e costante volgere il loro animo ad attuare in ogni miglior modo il seguente *Programma dei Festeggiamenti* proposto dalla speciale *Commissione Cardinalizia :* fidenti che la Vergine, onorata ognora più ed invocata con fervore, ci otterrà finalmente da Dio per le anime nostre, per la Chiesa e per la Società i giorni sospirati di prosperità e di pace.

PROGRAMMA GENERALE

APPROVATO DALLA COMMISSIONE CARDINALIZIA.

I Festeggiamenti principali che si intendono promuovere in occasione del Cinquantesimo Anniversario della Definizione Dommatica della Immacolata Concezione di Maria Santissima, sono I seguenti :

1. *Solenni e speciali Funzioni* avranno luogo nella *Patriarcale Basilica di S. Pietro in Roma,* dove fu fatta la proclamazione del Domma : e nella *Basilica Patriarcale di S. Maria Maggiore.* A tali funzioni saranno invitate ad assistere Rappresentanze di tutti i Paesi del mondo.

2. *Un Congresso Mariano mondiale si terrà in Roma* in occasione delle Feste, secondo le norme che verranno fissate con apposito regolamento,

3. *La formazione di una Biblioteca Mariana;* composta cioè dalle pubblicazioni intorno alla Vergine Santissima. Tali pubblicazioni verranno umiliate al Sommo Pontefice come omaggio dell' ingegno e della pietà cristiana verso la Madre di Dio, e formeranno in Roma un monumento perenne di gloria a Maria Santissima.

4. *Saere Missioni,* durante Fanno 1904, come degna e divota preparazione alle Feste in onore della Immacolata.

5. *Prime Comunioni* celebrate con migliore apparecchio e con maggiore solennità nel corso dell' anno 1904.

6. *Spirituali Esercizi,* specialmente proposti ai membri delle Associazioni Cattoliche, in preparazione alle Feste del dicembre 1904.

7. *Divoti e numerosi pellegrinaggi* ai Santuari più venerati di Maria SSiìia nei varii Paesi durante l'anno 1904.

8. *Funzioni divote si faranno nel giorno 8 di ogni mese,* a cominciare dall'8 Dicembre 1903, allo scopo di preparare sempre meglio alla grande Solennità le anime dei fedeli con la preghiera e con la frequenza dei SS. Sacramenti. In Roma, tale funzione avrà luogo principalmente nella Basilica Patriarcale di S. M. Maggiore : altrove, in quelle Chiese che verranno designate nei singoli luoghi dall'Autorità Ecclesiastica.

9. Saranno fatte speciali preghiere alla Vergine per la felice conservazione del glorioso Pontefice *Leone XIII, Unico Superstite* tra i Vescovi e Cardinali presenti alla Definizione solenne.

10. Si proporrà qualche *speciale opera di beneficenza cristiana,* secondo la opportunità dei luoghi; e si faranno altresì *Suffragi solenni alle Anime Sante* del Purgatorio, a quelle specialmente che furono più devote di Maria SSrna.

11. *Un solenne ufficio funebre* si farà in San Lorenzo fuori le mura di Roma, per l'anima benedetta di Pio IX, che definì il Domma.

12. Si dedicheranno *speciali onoranze* d'intesa col « *Collegium Cultorum Martyrum* » alle prime imagini di Maria Santissima, venerate nelle Catacombe Romane.

13. Si farà appello ai varii Ordini Religiosi, ed alle varie Confraternite ed Istituzioni pie, maschili e femminili, perchè vogliano compiere nel loro seno speciali atti di pietà in onore della Immacolata; e perchè prestino il loro concorso volonte-

roso alle Feste ed Opere locali e generali, con le quali verrà commemorato il felice e santo avvenimento.

14 Altre proposte di opere o di festeggiamenti si potranno aggiungere alle indicate in questo *Programma generale,* sia per tutto il mondo cattolico, sia più specialmente per Roma. Però tutte le Istituzioni Cattoliche che intendessero prendere iniziative di *indole generale,* cioè estese a tutto il mondo, e da attuarsi *all' infuori della propria cerehia,* innanzi di proporle in pubblico, avranno cura di ottenerne l'approvazione dalla *Commissione Cardinalizia.*

GIACOMO RADINI-TEDESCHI
Segretario della Commissione Cardinalizia.

Roma - Festa della Pentecoste - 31 maggio 1903.

Ad attuare quanto è proposto in questo Programma Generale è costituito in Roma un apposito *Comitato Centrale,* al quale potranno collegarsi i varii Comitati che si verranno costituendo nei diversi Paesi del mondo. Il detto *Comitato Centrale* alla sua volta terrà opportuna corrispondenza con questi Comitati stessi per quello specialmente che con carattere mondiale si compirà in Roma. Sta a capo di esso la *Commissione Cardinalizia* designata dalla Santità di Nostro Signore Leone PP. XIII, della quale è Segretario Mgr. Giacomo Radini Tedeschi, Prelato Domestico di S. S., Canonico di S: Pietro. Dipendente poi da questa è una *Commissione Esecutiva,* formata dal *Circolo della Immacolata della Gioventù di Boma,* e coadiuvata dai rappresentanti delle principali Società Cattoliche in Roma.

La *Commissione Esecutiva* pubblicherà un proprio apposito periodico, intitolato *L'Immacolata;* il quale, oltre al contenere gli *Atti* del *Comitato Centrale,* avrà cura di dare le informazioni opportune e di promuovere nel modo più efficace quanto sarà utile all' uopo.

PER LA COMMISSIONE ESECUTIVA

Il Circolo della Immacolata.

TOLLI Comm. FILIPPO, *Pres. onor.*
FOLCHI Cav. PIO, *Presidente effettivo.*
TEI CARLO, *Segretario generale.*
Mons. G. RADINI TEDESCHI, *Assistente Eccles.*

La corrispondenza per la *Commissione Cardinalizia* e le offerte che si volessero fare per le feste debbono essere inviate a Mons. Radini Tedeschi *(Corso V. E.*, 21, Roma).

La Sede della *Commissione Esecutiva,* e gli Uffici del Periodico *L'Immacolata* sono nei locali del Circolo dell' Immacolata, in *via Torre Argentina, n. 76, Roma.*

En latina versio :

Eminentissimi Domini,

Cum fidelium vota undique conflagrent quinquagesimum anniversarium dogmaticae definitionis Immaculatae B. M. V. Conceptionis extraordinariis solemnitatibus celebrandi, quanta Nos laetitia afficiamur, facile animadverti potest. Erga Dei Genitricem pietas non modo a pueris animum Nostrum suaviter tetigit, sed et Nobis validissimum evadit praesidium Ecclesiae Catholicae a divina Providentia tributum. Iugiter in omnibus persecutionibus luctisque ad Beatam Virginem Ecclesia confugit, eiusque favorem et patrocinium semper est experta. Cum autem in praesentiarum, tempora Catholicae Ecclesia tristia minisque plena evadant, libenter gaudemus laetique speramus, Qui fideles, praedicti iubilaei occasione arrepta, ad Christianorum Auxilium unanimi spei ac amoris impetu confugere expetentes videmus. Quod vero Nos tantum illis omnibus superstites sumus sive Cardinalibus sive Episcopis, quorum concursu Praedecessor Noster, dum dogmaticum decretum pronuntiaret, stipatus est, hoc vel, ut salutatam solemnitatem Nobis reddat iucundiorem, accidit. Quamobrem, cum desideremus ut haec festa iubilaria illum magnificentiae decorisque characterem, utpote qui hanc Nostram Urbem decet praeseferant, talesque sint ut totius orbis catholicorum pietati veluti incitamentum ac norma inserviant, ratum habemus appositam *Cardinalium Commissionem* constituere, quibus munus incumbat illa ordinandi nec non dirigendi. Huiusmodi Commissionis, vos, Eminentissimi, membra seligimus; fidentissimique, quod sapienti vestra

solertia, Nostris ac communibus votis persoluturi eritis, vobis Apostolicam Benedictionem, divinorum munerum auspicem peramanter in Domino impertimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die 26 Maii 1903.

LEO PP. XIII.

Dilectis Filiis Nostris
S. R. E. Cardinalibus
VINCENTIO **VANNUTELLI**
MARTANO **RAMPOLLA DEL TINDARO**
DOMINICO **FERRATA**
IOSEPHO CALASANCTIO **VIVES.**

APPELLATIO AD CATHOLICOS

Omnes Virginis Mariae Ecclesiaeque Catholicae amantissimi filii maxima cum laetitia has Apostolicas Litteras absque dubio legent, quibus augustus Iesu Christi Vicarius, fidelium vota paterno affectu excipiens, catholicum orbem tam peramanter vocat ad Quinquagesimum Anniversarium dogmaticae definitionis Immaculatae B. M. V. Conceptionis extraordinariis solemnitatibus celebrandum.

Re sane vera Summi Pontificis, qui ad fidelium cultum erga Virginem Mariam adaugendum plurimum adlaboraverit, animum minime expleverunt, hac in venerata Epistola, sive suavium iuventutis Suae affectuum dulcis recordatio, quos inter eminet fervens ac firma erga B. Virginem pietas; sive in praesentibus angustiis peropportuna memoria, quod nempe Dei Genitricis devotio unum ex validissimis praesidiis semper fuit et est Ecclesiae Catholicae a divina Providentia concessum; sive denique spei ac solatii benevola et veluti grata significatio a filiis Suis tot inter calamitates accepta, unanimi amoris fiduciaeque impetu erga Virginem, quae iure meritoque Christianorum Auxilium invocatur, quaeque gravissimis ab angustiis vexatam Iesu Christi Ecclesiam iterum atque iterum liberavit.

Quinimo praeclarus Pontifex, postquam se ex omnibus Cardinalibus et Episcopis, qui in gaudiis Dogmaticae Definitionis triumphisque magnam habuerint partem, unicum superstitem esse meminerit, quod ipsi quam maxime desideratam solem-

nitatem optare facit; modo super cathedram Petri sedens, proxima festa ita solemniter et extraordinarie, Romae praesertim, celebrari intendit, ut huius Almae Urbis magnificentiam praeseferant, atque, occasione tam propitia ac favorabili, praeclaram Dei Genitricem colendi totius catholici orbis pietati sint incitamentum et norma,

Quod ut efficacius obtineatur, Sanctitas Sua specialem *Commissionem Cardinalitiam* instituit, ex Cardinalibus *Vincentio Vannutelli, Mariano Rampolla del Tindaro, Dominico Ferrata, Iosepho Calasanctio Vives* constans; quibus has solemnes festivitates quinquagenerias congrue ordinandi ac dirigendi princeps et nobilissimum munus incumbat.

Invitationi igitur tam augustae obtemperando, simulque propria desideria implendo, totius orbis catholicos unanimiter convenire decet, ut ad praeclara solemnia se praeparent, et assiduo ac constanti opere studioque animum intendere ut meliori, quo fieri potest, modo ad actum reducatur sequens *Festivitatum Programma a speciali Cardinalium Commissione* propositum: fidentes quod Virgo magis magisque honorata et ferventer invocata, nobis tandem pro animabus nostris, pro Ecclesia ac pro Societate peroptatos prosperitatis pacisque dies sit impetratura.

PROGRAMMA GENERALE

A COMMISSIONE CARDINALITIA APPROBATUM

Principalia solemnia, occasione Quinquagesimi Anniversarii Dogmaticae Definitionis Immaculatae B. M. V. Conceptionis, promovenda haec sunt :

1. *Solemnes et peculiares Functiones in Patriarchali Basilica S. Petri de Urbe,* ubi dogma definitum fuit, necnon in *Basilica Patriarchali S. Mariae Maioris* peragentur; quibus Commissiones ex unaquaque totius orbis regione invitatae aderunt.

2. *Universalis Congressus Marialis,* Festorum occasione, *Romae* habebitur, iuxta normas per appositum statutum decem endas.

3. *Bibliotheca Marialis,* omnes complectens publicationes de B. Virgine tractantes, construetur; quae deinde veluti ingenii christianaeque pietatis tributum erga Dei Genitricem Sum-

mo Pontifici offerrentur, necnon Mariae SSmae Romae erunt perenne gloriae monumentum.

4. *Sacrae Missiones,* durante anno 1904, uti digna ac devota praeparatio ad festa in honorem Virginis Immaculatae, dentur.

5. *Primae Communiones,* eodem currente anno, celebrentur maxima cum praeparatione et solemnitate.

6. *Exercitia Spiritualia,* in praeparationem ad festa Decembris 1904, Adsociationum Catholicarum praesertim membris proponentur.

7. *Devotae et frequentes Peregrinationes* eodem anno ad praecipua Virginis Mariae Sanctuaria variis in regionibus fient.

8. *Devotae Functiones* peragentur die octavo cuiuscumque mensis, incipiendo ab 8 Decembris 1903, ut fideles oratione ac SS. Sacramentorum frequentia ad magnam solemnitatem magis atque magis se disponent. Romae haec functio praesertim in Patriarchali Basilica S. Mariae Maioris habebitur: alibi, illis in ecclesiis ab Auctoritate Ecclesiastica per singula loca statuendis.

9. *Speciales Preces* in honorem B. M. Virginis fundentur pro felici conservatione gloriosi Pontificis Leonis XIII, *Unus Superstes* ex omnibus Episcopis et Cardinalibus praesentibus solemni Definitioni.

10. *Peculiare caritatis christianae opus,* iuxta locorum opportunitatem, proponetur; necnon solemnia suffragia peragentur pro animabus in Purgatorio detentis, pro iis praecipue, quae B. Virginem magis coluerint.

11. *Solemne Sacrum funebre* fiet in Ecclesia S. Laurentii extra Urbem pro anima fel. rec. Pii Papae IX, qui Dogma definivit.

12. *Speciales honores, auspice « Collegio Cultorum Martyrum »*, tribuentur primaevis Mariae SSmae imaginibus, quae in Catacumbis romanis excoluntur.

13. Appellatio ad Ordines religiosos, Confraternitates et pia Instituta sive virorum sive mulierum mittetur, ut speciales pietatis actus in honorem B. V. Immaculatae impleant, et ut libenti animo festis et operibus localibus et generalibus concurrant, quibus sanctus et felix eventus commemorabitur.

14. Alia opera aut festivitates adiungi poterunt his ab hoc *Generali Programmate* propositis, sive pro universo catholico orbe, sive praecipue pro Roma.

Omnes tamen Catholicae Institutiones, quae opera *indolis generalis* seu totum orbem respicientia et *extra proprium ambitum* perficere vellent, *Commissionis Cardinalitiae* approbationem in antecessum obtinere curabunt.

IACOBUS RADINI-TEDESCHI
Commissionis Cardinalitiae Secretarius.

Romae, die festo Pentecostes 31 Maii 1903.

Quod in hoc Generali Programmate proponitur ut ad effectum deducatur, Romae constitutus est *Comitatus Centralis,* cui omnes alii, in diversis orbis regionibus constituti, adhaerere possunt. *Comitatus Centralis* opportune communicabit cum ipsis Comitatibus relate ad id praesertim, quod Romae universali solemnitate peragetur. Illi praeest *Commissio Cardinalitia,* a SSmo D. N. Leone PP. XIII constituta, cuius Secretarius est R. D. Iacobus Radini-Tedeschi, Sanctitatis Suae Praelatus Domesticus, Canonicus Basilicae Vaticanae. Ab hac insuper dependet *Commissio Executiva,* a *Societate V. Immaculatae Iuventutis Romanae* constituta, atque coadiuvata a Commissionibus principalium Catholicarum Societatum Romanarum.

Commissio Executiva propriam et appositam ephemeridem sub titulo *Llmmacolata* edet quae, praeter *Comitati Centralis Acta,* opportunas referet notitias ac efficaciori modo quod ad rem erit profuturum promovebit.

PRO COMMISSIONE EXECUTIVA

Societas V. Immaculatae.

TOLLI EQUES TORQUATUS PHILIPPUS, *Praeses honorarius.*
FOLCHI EQUES PIUS, *Praeses effeetivus.*
TEI CAROLUS, *Secretarius generalis.*
R. D. IACOBUS RADINI-TEDESCHI, *Assistens Ecclesiasticus.*

Communicationes cum *Commissione Cardinalitia* et oblationes, quae pro festivitatibus fieri vellent, ad R. D. Radini Tedeschi *(Corso V. E, 21, Roma)* mittendae sunt.

Sedes *Commissionis Executivae* atque Administratio Ephemeridis *U Immacolata* in aedibus Societatis V. Immaculatae (via Torre Argentina n. 76, Roma) habentur.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

DECRETUM approbationis Instituti « Fratrum Carmelitarum a Doctrina », necnon Constitutionum.

Anno Domini 1892 in Archidioecesi Tarraconensi canonice erectum fuit Institutum « *de Hermanos Carmelitas de la Enseñanza* » vulgo nuncupatum, quod iam multos annos ortum auxerat, auspice religioso viro fel. rec. Francisco Patau y Quer. Peculiaris finis sive scopus praefati Instituti Sodalibus propositus in eo est, ut ipsi primum quidem propriae consulant sanctificationi servando vota obedientiae, paupertatis et castitatis, certisque inhaerendo Constitutionibus ; tum vero sedulo incumbant ad eruditionem piamque educationem parvulorum et, sicubi opus est, iuniorum opificum. Cuncti autem vitam ducunt perfecte communem, sub regimine Moderatoris Generalis, et exacto novitiatu, recensita tria vota, prius ad tempus dein in perpetuum, ritu simplici emittunt. Porro, istiusmodi Sodalium propositis laboribusque dexter adfuit bonorum omnium largiter, Deus ; ita ut ipsi non mediocrem fructuum ubertatem, ad eiusdem Dei gloriam atque animarum salutem iugiter tulerint.

Quum aulem nuper Moderator Generalis, optimis instructus commendatitiis litteris, SSmo Domino Nostro Leoni divina Providentia PP. XIII humillime supplicaverit ut Institutum ipsum et Constitutiones, quibus regitur, Apostolica auctoritate approbare dignaretur, Sanctitas Sua, universa rei ratione mature perpensa, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto, die 17 Martii 1902, praedictum Institutum cum suis Constitutionibus, uti Congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatoris Generalis, approbare et confirmare dignata est, prout praesentis

decreti tenore benigne approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 17 Martii 1902.

Fr. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. * S.

A. BUDINI, *Subsecretarius.*

BELLOVACEN.

RESCRIPTUM. Dispensatio votorum pro Monialibus Institutorum mere dioecesanorum competit Ordinario, sub cuius iurisdictione unaquaeque domus invenitur.

A Moderatoribus quorumdam Institutorum mere dioecesanorum S. Congregationi Episcoporum et Regularium sequentis dubii, circa votorum dispensationem, solutio proposita fuit, nempe: « An dispensatio votorum pro monialibus domorum filialium in dioecesi existentium diversa ab illa, in qua degit domus princeps, competat Ordinario domus filialis, vel potius Ordinario domus principis ».

S. Congregatio, audito Consultorum voto, atque attenta Constitutione « *Conditae a Christo Ecclesiae* » (1), respondendum mandavit :

Ad primum *Affirmative.*

Ad secundum *Negative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 21 Aprilis 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. * S.

Phil. GIUSTINI, *Secretarius.*

(1) Hanc Constitutionem Apostolicam, quae fere sola moderatur Instituta religiosa cum votis simplicibus, invenies in Vol. XXXIII, pag. 541.

DECRETUM approbationis instituti Sororum " a S. ioseph B. M. V. Sponso „ nuncupati.

Anno Domini 1872 opera piae mulieris Caesareae Esparza y Davalos, auspice Rev. Presbytero Iosepho Maria Vilaseca in Archidioecesi Mexicana, probante Archiepiscopo, ortum duxit Institutum Sororum a S. Ioseph B. M. V. Sponso nuncupatum.

Quae quidem Sorores, cum sibi peculiarem finem sive scopum proponunt, ut, ad maiorem Dei gloriam, primum consulant propriae cuiusque sanctificationi, servando vota obedientiae, paupertatis et castitatis, certisque inhaerendo Constitutionibus, tum in proximorum salutem pro viribus incumbant per eruditionem et christianam educationem puellarum, et in locis Missionum, quatenus rerum adiuncta postulent atque Episcopi suaserint, per alia etiam exquisitioris caritatis opera. Cunctae autem vitam ducunt perfecte communem, sub regimine Moderatricis Generalis, sexto quoque anno eligendae, et exacto novitiatu, praedicta tria yota prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici emittunt. Enimvero huiusmodi Instituto non defuit inde ab initio tentationis probatio; sed, opitulante bonorum omnium Largitore Deo, bonum certamen certaverunt feliciter enunciatae Sorores, ita ut ipsae non mediocrem ediderint salutarium fructuum ubertatem et iam in quatuordecim dioecesibus domos canonice erigere potuerint. Quum autem nuper Moderatrix et Consiliariae Generales SSmo D. N. Leoni divina Providentia PP. XIII humillime supplicaverint, ut Institutum ipsum eiusque Constitutiones Apostolica auctoritate approbare dignaretur; Sacrorum Antistites, quorum in dioecesibus praefatae Sorores commorantur, et Emus ac Rmus D. Iosephus Calasanctius S. R. E. Cardinalis Vives y Tuto, Instituti Protector, datis ultro litteris, earumdem preces summopere commendare non dubitarunt. Itaque Sanctitas Sua, re mature perpensa, attentisque praesertim commendatitiis litteris praedictorum Antistitum atque Emi Protectoris, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto, die 18 Maii 1903, Institutum ipsum iam amplissime laudatum et commendatum, uti Congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatricis Generalis, approbare et confirmare dignata est, prout praesentis decreti tenore benigne approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione, ad

formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum; dilata ad opportunius tempus approbatione Constitutionum.

Datum Romae e Secretaria praefatae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 27 Maii 1903.

D. CARD. **FERRATA,** *Praefectus.*

L. * S.

PHIL. GIUSTINI, *Secretarius.*

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 13 Iunii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda; quaeque sequenti modo resoluta sunt.

I. TERRACINEN. - LOCATIONIS-CONDUCTIONIS.

D. *An et a quo debeatur Domino Mangoni summa libellarum 300 ab ipso soluta in actu locationis horti pro melioramentis ab Episcopo Bergamaschi in eo peractis; necnon quaedam alia summa pro melioramentis ibidem peractis ab eodem Mangoni in casu.*

R. *Summam libellarum 300 deberi ab Episcopo Bergamaschi; compensationem vero, a perito taxandam, pro aliis melioramentis, pro medietate deberi ah Episcopo Bergamaschi, pro altera medietate ab Episcopo Ambrosi.*

IL ALBAE POMPEIEN. - IURIUM.

D. 1. *An et quomodo sustineatur consuetudo inducta in Vicariatu Foraneo Clarasci, dioeceseos Albensis, vi cuius solus Praepositus Commendatur ius S. Petri in Manzaro Aquam Baptismalem in Sabbato Sancto*

benedicit, et omnes alii undecim Parochi Vicariae accedere debent pro illa accipienda ad Ecclesiam parochialem S. Petri.

Et quatenus *Affirmative;*

2. An sustineatur introducta a Praepositis S. Petri consuetudo non distribuendi nova Olea Sancta Parochis Vicariae, nisi post Gloria *Missae in Sabbato Sancto.*

R. *Affirmative ad utrumque.*

III. MANDALBN. - CREDITI.

D. 1. *An et quam ob summam Sacerdos Lassota, Parochus S. Sylvestri in civitate Sutrii, sit creditor erga Pro-Vicarium Generalem dioecesis Mandalen., Archipresbyterum Canonicum Rossetti in casu.*

2. Quaenam resolutiones sumendae sunt in casu.

R. Ad 1um *Negative.*

Ad 2um *Scribatur Episcopo Mandalen. : summam, libellarum 228, 53 a Canonico Archipresbytero Rossetti pro obtinenda retrocessione Sanctuarii a* ***Mi****sericordia retentam, apud Curiam Episcopalem Mandalen. deponendam esse; Sacerdoti autem Lassota per Episcopum Sutrin. iniungendum, ut reddat rationem residuae summae a pia oblatrice ad dictum finem acceptae; facta eidem prohibitione recurrendi ad iudicem laicum sub poenis arbitrio S. Congregationis infiigendis.*

IV. S. IACOBI DE CHILE. - IURISPATRONATUS.

D. *An Sacerdos Franciscus Xaverius Ruiz Tagle habeat ius patronati passivi Capellaniae Tagle, necnon administrationis bonorum spectantium ad eamdem et ad Opus pium in casu.*

R. Ad 1am partem, *Affirmative.*

Ad 2am *Affirmative, sub prudenti vigilantia Episcopi.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

PER SUMMARIA PRECUM

Num. II.

TARVISINA

COLLATIONIS BENEFICIORUM (1)

Die 16 Maii 1903.

Compendium facti

Capitulum Cathedrale Ecclesiae Tarvisinae , prouti ex eius Constitutionibus Capitularibus constat, *Canonicorum electiones immemorabili consuetudine exercuit.* Sed post eversionem rerum publicarum in Galliis iura Capituli omnino immutata fuere. Deinde anno 1855, Concordato inter Pium PP. IX et Austriae Imperatorem inito, statutum fuit ut electio Canonicorum ab Imperatore Austriaco absolveretur, salva tamen institutione canonica semper electis a Capitulo concedenda.

Praeterea Tarvisinum Capitulum iure pollebat praesentandi et instituendi Canonicum Vicarium, cum animarum eura in Cathedrali Ecclesia ; necnon eligendi et instituendi Rectores sine cura animarum; atque eligendi Parochos, praevio idoneitatis examine, iisdem conferendo non solum institutionem tituli *collativam* sed etiam *auctorizabilem.*

Ast a. 1866, quum Gubernium italicum Ditioni austriacae hisce in provinciis successit, beneficiorum collationes ordinariis collatoribus fuerunt restitutae. Tunc ius antiquum, vigens ante rerum publicarum direptionem in Gallia, non

(i) Cf. Summarium Causarum *in praecedenti fasciculo relatum,* pag. 689, n. II.

amplius vigere visum est; vel saltem, an adhuc vigeret,, est dubitatum.

Quare hodie Capitulares Tarvisinae Ecclesiae per supplicem libellum, huic Sacrae Congregationi Concilii oblatum, tria humiliter petunt; nempe:

1. Ut facultas concedatur *collationis alternativae,* vi cuius *alternis vicibus* Episcopus et Capitulum beneficia capitularia conferant;

2. Ut vacationes a servitio chori, a Constitutionibus Capitularibus ad *duos menses* tantum concessae, ad *tres* amplientur ;

3. An Capitulum in mensibus pro Episcopo papalibus-iure suo uti possit, vicario nomine Episcopi institutionem *auctorizabilem* conferendo, vel potius exspectare antea teneatur quod Episcopus sibi hanc facultatem obtineat a Sede Apostolica.

ANIMADVERSIONES CAPITULI

Supplex Capituli libellus, *quem plenissime et in omnibus commendat Episcopus,* in triplicem partem dispertitur iuxta tria precum capita.

Quoad primam caput referuntur imprimis Constitutiones Capitulares relate ad *beneficiorum collationem,* quae-sunt sequentis tenoris :

« Electio Decani, utpote prima dignitas , ex Conventione quoque S. Sedis cum Supremo Austriae Imperatore, ad Romanum Pontificem spectat, (tit. I, § 2);

» Canonicorum electiones *immemorabili consuetudine* factae sunt a Capitulo: novissimis dumtaxat legibus atque laudata Conventione austriaca factum est, ut electio a Supremo (Austriae) Imperante absolverentur; canonica tamen institutio electis semper a Capitulo conceditur, atque in posterum semper erit concedenda, quemadmodum Sacra Concilii Congregatio sancivit in decreto diei 27 Novembris 1856, (tit. I, § 4);

» Capitulum proponit Episcopo nomen unius vel trium

Sacerdotum pro idoneitatis examine ad animarum curam in Ecclesia Cathedrali, sub titulo Vicarii inamovibilis, et cum iure ad praebendam canonicalem huic muneri adnexam; salvo tamen ex novissima praxi Supremi (Austriae) Imperantis iure, cuius erit post idoneitatis examen parochum eligere, (tit. VII) ».

Insuper Capitulum subdit quod, datis peculiaribus illius temporis vicissitudinibus, in decreto S. Congregationis Concilii, die 15 Iunii 1858, legitur: «In proponendis clericis ad canonicatus Ecclesiae Cathedralis (Austriae Imperatori) Episcopum non teneri votum Capituli, ne consultive quidem, exquirere ».

Hisce positis, Canonici observant quod , postquam Austriae Imperator a. 1866 hisce provinciis abdiçaverit, haec inducta est praxis : Episcopi ad omnem quaestionem vitandam vel proponebant Sacerdotes in canonicos eligendos Summo Pontifici, cuius erat electio; vel iuxta rerum adiuncta cum Capitulo conveniebant circa Sacerdotes proponendos et eligendos; vel saltem ab eodem consensum requirebant.

Modo autem, ut magis definita ac securior norma in Constitutionibus habeatur, Episcopus et Capitulum unanimiter a Supremo Antistite postulant per hanc Sacram Congregationem ut tollere dignaretur omne dubium, statuendo quod, excepto Decano cuius electio semper ad Papam pertinet, omnes alii Canonici necnon Vicarius inamovibilis seu Parochus Cathedralis in posterum *vice alterna* ab Episcopo prius et dein a Capitulo eligantur.

Quoad alterum caput precum tam Episcopus quam Capitulum simul quaerunt ab Apostolica Sede ut, excluso Vicario inamovibili Cathedralis, qui ad iuris communis tramitem nonnisi per duos menses vacare potest , vacationes a servitio chori, a Constitutionibus Capitularibus (tit. II, § 2) ad *duos menses* dumtaxat concessae, iuxta ius commune ad *tres menses* extendantur. Ratio huius gratiae in eo reponitur, quod pluribus Canonicis, ob dioecesis civitatisque necessitates necnon ob Sacerdotum penuriam, munus

docendi in dioecesano Seminario est demandatum; quibus proinde studio maiorique animi relaxatione opus est.

Tandem *quoad tertium caput,* relate videlicet ad institutionem tituli *auctorizabilem* Canonici in medium afferunt Capitulares Constitutiones, quae hac in re ita sonant:

« Praeterea (Capitulum Tarvisinum) ius habet tum eligendi atque instituendi Rectores sine cura animarum; tum eligendi Parochos, praevio examine idoneitatis, atque iis non modo institutionem tituli *collativam,* ut aiunt, sed etiam *(perpetua facultate ab Apostolica Sede demandata) auctorizabilem,* sive delegationem ad curam animarum, conferendi.

« Absoluta electione Decanus, vicario nomine Episcopi, institutionem *auctorizabilem* ex Apostolico Indulto (scilicet ex decreto S. Congregationis Concilii diei 15 Iunii 1858) electo conferat, facta in singulis vicibus mentione huiusmodi concessionis ».

Modo, arguit Capitulum, fieri potest ut habeatur alicuius parochi electio eique beneficii institutio *collativa* non solum, sed etiam institutio *auctorizabilis* vicario nomine Episcopi conferenda in mensibus papalibus pro Episcopo, qui collationem *alternativam* a S. Sede sibi acquisiverit. Hoc in casu, quomodo Capitulum se gerere debet? Poteritne Capitulum exercere privilegium Apostolicum, conferendo nempe vicario nomine Episcopi institutionem *auctorizabilem,* antequam Episcopus sibi hanc obtinuerit facultatem a Summo Pontifice? vel potius Capitulum expectare tenetur, usquedum Episcopus sibi hanc a Papa obtineat facultatem ? Quocirca Canonici Tarvisinae Ecclesiae huius quoque dubii solutionem petunt.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO

Ad primum caput precum quod attinet, nempe quoad gratiam *alternativae* res tota pendet a benignitate EE. Iudicum, quum Canonici non ad *ius* appellent sed ad *gratiam;* quamobrem EE. Patres , pro sua prudentia deliberabunt,

an expetitam gratiam concedere expediat. Procul dubio, fundamentum huius petitionis et *gratiae* habetur in assertione, quae videtur satis probata, nempe ante eversionem rerum publicarum collationem omnium beneficiorum cathedralium ad capitulum spectasse.

Item *secundum* caput se refert ad gratiam ampliandi vacationes ad tres menses ; et res non minus posita est in arbitrio EE. Patrum. Nihilo secius praetermittenda modo non est praescriptio iuris Tridentini, quod in *sess. 24, cap. 12; De ref.* statuit : « Praeterea obtinentibus in iisdem cathedralibus aut collegiatis, dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, *salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus exquirant* ».

Et H. S. C, iam a suo initio, noluisse concedere prorogationem vacationum ad *tres menses* iis canonicis , qui ad longius servitium vel ad servitium totius anni, vi Constitutionum, obligaban tur, testatur Fagnanus *(Comment, cap.* Ad audientiam *n. 8),* asserens « canonicis maiori servitio Ecclesiae, quam novem mensium, adstrictis, postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, S. Congregatio meo tempore semper abnuit ».

Postea tamen hanc severitatem temperatam esse adnotat Benedictus XIV, *(Quaest, can. 293).* Porro pro adiunctorum causarumque varietate maius vel minus vacationum spatium concedere H. S. C. non abnuit. Ita in *Bierden., 3 martii 1792 ;* in *Signina, Serv. choral., 17 feb. 1838,* et in *Vaivén., Serv. choral., 24 nov. 1838,* cum trium mensium vacatio expostulata fuisset, Sacer Ordo gratiam elargitus est ad duos menses. Aliquando etiam diurnum chorale servitium ad *tertiariam,* quam vocant, reduxit, ut videlicet quilibet abesse possit, servitium chorale absolvens tertia quaque hebdomada; ut in *Bisuntina, 25 sept. 1770;* in *Eugubina, Serv. choral., 13 ian. 1795.* Nonnunquam vero *mediariam* seu *alternativam* idem S. O. impertí tus

est, scilicet ut quis una hebdomada chorum adeat, alia vero non; veluti in *Lucerina, Res. Serv. choral., 22 decemb. 1838;* et in *Cathacen., 5 sept. 1699.*

Anteactis temporibus causae, quae H. S. O. movere solebant, erant potissimum aeris intemperies, tenuitas redituum, magnus numerus psallentium, distantia ab Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, necnon asperi tas viarum. Hodie vero novae causae a canonicis adductae, non videntur sane minus dignae, quae benigno rescripto donentur.

Postremum caput precum quaestionem continet *iuris,* nempe circa institutionem *auctorizabilem.*

Iamvero solutioni praemittendum est, beneficia *electiva* non videri reservata. Haec habet Reiffenstuel *(tit. De praeb., n. 403)* docens : « In reservationibus factis sub ista formula: *Reservamus beneficia ad cuiusque collationem, provisionem, praesentationem, seu dispositionem spectantia* non comprehenduntur beneficia *electiva* ». Item docet Gonzalez *ad Reg. 8 Cancell. gloss. 19, n. 6, 7 et 8;* Gomez *in Reg. Cancell. de ann. poss. quaest. 11, n. 2 in fine;* at contradicit Riganti ad *Reg. 4 Cancell. n. 19.* Quocirca in dubio, quippe versamur *in odiosis,* non officere videtur reservatio mensium papalium.

Sed ulterius considerare praestat, reservationem afficere institutionem *collativam* beneficiorum, non institutionem *auctorizabilem.* Sane institutio *auctorizabilis est,* ait Reiffenst. *(tit. De inst. n. 7),* approbatio ad exercendam curam animarum, seu commissio curae animarum. Hanc vero institutionem impertit Episcopus, etiam quoad beneficia reservata S. Sedi, quum ipse per examen approbat clericum in beneficio parochiali a S. Sede instituendum , prouti adnotat Schmalzgrueber *(tit. De inst. n. 46).* Re sane vera institutionem tituli *collativam* penitus distinctam esse *ab auctorizabili* Canonistae omnes, et res ipsa monet. Porro iis, quibus ius competit instituendi in beneficiis *ex immemorabili consuetudine,* conceditur institutio tituli *collativa* sed denegatur institutio *anctortzabilis:* «Eo casu, docet Schmalz, *(tit. De inst.*

n. 41), concurrent institutiones diversae, et *collettiva* tituli quidem fiet a Praelato, *auctorizabilis* autem ab Episcopo ». Et H. S. C. in *Lünen. Sarzanen., Erectionis Collegiatae, 7 maii 1718,* uti refert Bened. XIV *(Quaest. 26),* ad dubium : « *An et quomodo relaxanda sint decreta* etc. ; rescripsit: *Affirmative, cum omnibus conditionibus expressis in folio Capituli, dummodo institutio* auctorizabilis *et approbatio personae praesentandae ad canonicatum pertineat ad Episcopum et sola expeditio literarum collationis spectet ad Capitulum Cathedralis* ». Quocirca, reservata "beneficii *collatione* sive S. Sedi sive inferiori collatori, tamen ad curam animarum quod attinet institutio *auctorizabilis* competit Episcopo. — Quare etc.

Resolutio.

Sacra Congregatio Concilii, re mature perpensa, respondendum censuit :

Quoad collationem alternativam beneficiorum inter Episcopum et Capitulum et extensionem vacationum ad tres menses, pro gratia iuxta petita; quo vero ad institutionem auctorizabilem, nihil esse innovandum.

SÜMMAEIÜM CAUSARUM

Die 26 Iunii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Concilii Congregatio in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda; quaeque sequenti modo resoluta sunt.

PER SUMMARIA PRECUM

I. ROMANA ET ALIARUM. - QUOAD SACERDOTES IN AMERICAM ET AD INSULAS PHILIPPINAS MIGRATUROS *(sub secreto).* — R. *Ad mentem.*

IL SAGTEN. - PENSIONIS, *(sub secreto).*

R. . . . . . (Nullum prodiit responsum).

III. ROMANA. - VISITATIONIS APOSTOLICAE, *(sub secreto pontificio).*

R. . . . . . (Nullum prodiit responsum).

IN FOLIO

I. MASSILIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Ex noviter deductis recedendum a decisis et consulendum SS ino super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

IL MATRITEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Dilata, et votum requiratur peritioris medici.*

III. ROTHOMAGEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Affirmative.*

IV. BAMBERGEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

D. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

R. . . . . (Adhuc desideratur responsio).

V. ANDRIEN. - IURIUM, *(reservata).*

R. *Ad utrumque dubium affirmative, et ad mentem.*

VI. ANDRIEN.- QUOAD CONGRUAM PAROCHIALEM, *(reservata).*

R. Ad I. *Affirmative, ad Parochos.*

Ad IL, ad III. et IV. *Provisum in I.*

VII. ANDRIEN. - QUOAD CONGRUAM ET PRAEBENDAM CANONICI ARCHIPRESBYTERI, *(reservata).*

R. Ad I. *Affirmative, ad. Archipresbyteratum.*

Ad II. et III. *Provisum in I.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CONSTANTIEN. ET ABRINCEN.

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel, Institutricis Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Multis dudum testantibus catholicae religionis fundamenta divellere, atque hominum genus, obiecta specie sive honestatis sive sapientiae transversum agere, providentissimus Deus opposuit identidem verae doctrinae ac sanctitatis exempla, confirmans utramque illam sententiam «qui nititur mendaciis hic pascit ventos » (Prov. x, 4) ; contra vero : « labia iusti erudiunt plurimos » (Prov. x, 21). Quod cum saepe aliis in locis tum maxime in Gallia contigit quo tempore ab iis qui se philosophos iactabant, per simulationem intelligentiae, incredibilis malitia inducta est atque perversitas. Horum fraude circumventa praesertim iuvenilis aetas institutoribus eguit, quorum disciplinae summa esset: «initium Sapientiae timor Domini». Iam ut puerorum institutioni divinitus consultum est per Scholarum Christianarum patrem S. Ioannem Baptistam de la Salle, ita puellis mater et magistra data est Ven. Dei Famula MARIA MAGDALENA POSTEL, institutrix et ipsa novae Familiae,cui titulus: «Sorores Scholarum Christianarum a misericordia».

Barflorei in Gallia, quod oppidum est Constan tien tis Dioecesis, iv Cal. Decembris MDCCLVI, honestis ac pientissimis parentibus edita in lucem est Ven. Dei Serva, inditis nominibus Iulia, Francisca, Catharina, quibus post nuncupata vota religionis illa suftecit « Maria Magdalena » innocentiae ac poenitentiae connubium conciliante caritate. A vitae primordiis divina gratia preveniente talis extitit ut maturae fástigia sanctitatis attigerit. Nondum enim septimum annum aetatis egressae aptari pote-

rant Apostoli verba, « conversatio nostra in caelis est ». Iam tum sui aftTictandi sollicita poterat regii vatis usurpare verba: « castigatio mea in matutinis ». A peccato fugiens « tamquam a facie colubri », caelo tonante, gaudio gestiebat, spem fovens eo terrore perculsos errantes ad meliorem frugem redituros. Eadem duellum, arrepta cruce, cum orantium puerorum manipulo deprecata est. Quasi uni sibi dictum putans : « frange esurienti panem tuum. . . . cum videris nudum, operi eum» ad id caritatis processit, ut et saepe suas exuerit vestes et omni pene cibo abstinuerit. Apud virgines Benedictinas Valloniis degentes collocata ut institueretur, tam sancte se gessit ut *Filia Dei* passim appellaretur. His virtutibus, in primisque sedulo studio edocendorum rudium, mature significavit cui potissime ministerio esset a divina Providentia destinata.

Anno vitae suae ferme xvin ad paternum oppidum reversa puellis ludum aperuit, praesertim egenis, eas enutriens et « quasi aquila provocans ad volandum puellos suos». Inter haec, Europa vasto illo flagrare coepit incendio, quo subversis humanae societatis ordinibus, legibus, regnis, direpta templa sunt, expilatae aedes, foedata omnia rapinis, ludibrio, sanguine. Mediae procellae impavida virgo se obiecit; sacerdotes in excidium quaesitus, extorres, hospitio recepit; victum iisdem et locum sacris peragendis cum sui capitis periculo suppeditavit; naviculae ipsis eripiendis ut praesto essent, effecit. Urgente vero metu, ne sancta mysteria violarentur, eius puris manibus credita pyxis est Eucharistiae asservandae, et cetera sacrorum supellex. Sic fere per decennium quo caecus ille perstitit furor, mulier ista fortis « de longe portans panem suum » Apostolico plane munere iuncta est, iure gratulata quod par sibi, quae Deiparae, fortuna contigisset, gestandi Iesum in ulnis.

Quum tempestas illa resedit, Gaesaroburgum se contulit, ibique pauperum filiarum a misericordia fundamenta iecit, cui instituto propositum esset adolescentiam optimis moribus imbuere, utilissimis erudire disciplinis, ut inde piae matresfamilias prodirent atque ita christiana posset restaurari societas. Ac fuit ille quidem initio « vere pusillus grex » coalescens Sororibus tribus, duce Ven. Maria Magdalena; nec ante annum a sui ortu tricesimum per sexcentas aerumnas, per famem, per rerum omnium inopiam, mutatis crebro domiciliis, quasi deturbatum apiari um, nulla suppetente mundi fiducia, tandem ali-

quando succrevit; ex eoque tempore sic est progressus ut per Ven. Dei Servam non modo Dominicus ager auctus fuerit nova Sororum Familia in primis numero et virtute fiorente, sed arti quoque ac religionis decori consultum per instauratum ingens illud aedificium, quod olim Abbatia SS. Salvatoris le Vicomte appellabatur.

Virtutibus omne genus ditatae virgini, quae, per diuturnum vitae cursum a summa animi puritate ne transversum quidem unguem discedens ad perfectionis fastigium divinitus excitata omnibus visa est, eidemque de Ecclesia ac de civili societate tam benemeritae per integri ferme saeculi spatium, nihil iam reliquum erat nisi ut requiesceret tandem a laboribus suis exciperetque vocem invitantis ad caelum: «Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus praeparavit ». Itaque die xvi mense Iulii, anno MDCCCXLVI, quem diem postremum vitae suae fore praenuntiaverat existentibus Sororibus ad numerum CLIX, qua hora Christus emisit spiritum, et ipsa candidae instar columbae efflavit animam placidissime.

Eius fama sanctitatis post obitum personante adhuc et succrescente quotidie, eademque pluribus confirmata signis, penes Constantiensem Curiam testimonia collecta sunt et processus ordinaria auctoritate institutus, ceterisque iure confectis SSmus D. N. Leo XIII Commissionem introductionis causae Ven. Servae Dei sua manu signavit: initi mox Apostolici fuere processus, quorum validitate comprobata, de heroico virtutum gradu disceptari coeptum est penes SS. RR. Congregationem; primum in antepraeparatorio Conventu in Aedibus cl. m. Cardinalis Caietani Aloisi-Masella, Causae Relatoris, quinto cal. martias an. MDCCCCII; deinde in praeparatoriis Comitiis ad Vaticanum habitis decimotertio cal. Februarias volventis anni; ac denique in generalibus coram SSmo D. N. Leone Papa XIII in Aedibus Vaticanis quarto idus Maias eiusdem anni coactis, in quibus cum a Rmo Cardinali Dominico Ferrata, Causae Relatore, dubium fuisset propositum : « An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ? » Rifii PP. Cardinales SS. tuendis Ritibus praepositi et Patres Consultores suam ordine sententiam aperuere. Quibus perpensis Beatissimus Pater, quamvis super-

sedendum censuit, adstantes hortatus ut caeleste lumen ad rite iudicanc-um efflagitarent, his tamen verbis Conventum dimisit: « Altricem heroum Galliam quae hanc Ven. Dei Famulam Mariam Magdalenam Postel feliciter edidit terris, felicius eduxit caelo, hodie commemorare licuit. Conventus enim hodiernus amplissimum Consultoribus Vobisque campum aperuit ad testandam virtutum eius insignem excellentiam. Vestris sententiis decretorii Nostri iudicii confirmationem accessuram, Dei numine adspirante, quantocius confidimus. Id unum optandum sperandumque restat ut Galliam suam Ven. Maria Magdalena benigne respiciat; et cui vivens per calamitosa tempora largam misericordiae opem attulit, eidem eheu ! asperrimae in religionem procellae fluctibus exagitatae valida apud Deum deprecatione succurrat ».

Hodierna vero die, qua sollemnia recoluntur ob adventum Spiritus Sancti, idem SSmus Dominus sacris litatis in privato Sacello, nobiliorem hanc aulam Vaticanae Aedis ingressus est, et pontificio Solio assidens Rmos Cardinales arcessivit Seraphinum Cretoni SS. Rituum Congregationi Praefectum, et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit: « *Ita constare de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* **Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel** *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, tit procedi possit ad ulteriora, idest ad quatuor miraculorum discussionem ».*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, pridie Cal. Iunias anno MDCCCCIII.

SERAPHINUS CARD. **CRETONI,** *Praefectus.*

L. © S.

f DIOMEDES PANICI, **Archiep. Laodicen.,** *Secret.*

TAURINEN.

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Sacerdotis Iosephi Cafasso, Collegii Ecclesiastici Taurinensis Moderatoris.

Scripta, quae Servo Dei *Iosepho Cafasso,* Sacerdoti Saeculari Taurinensi, attributa et rite perquisita Sacrorum Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super iis revisio ad tramitem Decretorum Generalium institueretur, sequenti elencho describuntur; nimirum: . . . . *(Sequitur scriptorum elenchus).*

Quum vero, instante Revmo Dno Raphaele Maria Virili, Episcopo tit. Troadensi et Causae Postulatore, Emus et Revmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdein Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, dubium proposuerit super revisione peracta horum scriptorum, Emi et Revmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt : *Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora, saleo iure Promotori Fidei opponendi, si et quatenus de iure.* Die 21 Aprilis 1903.

Facta postmodum de iis Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Cardinalem, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 22 eisdem mense et anno.

SERAPHINUS CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ROMANA SEU IANUENSIS

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Paulae Frassinetti, Fundatricis Sororum Pii Instituti « a S. Dorothea » nuncupati.

Scripta, quae praedictae Servae Dei *Paulae Frassinetti* attributa, quaeque ex perquisitionibus rite peractis Sacrorum Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super iis revisio et examen ad tramitem Decretorum institueretur, in sequenti

elencho describuntur; videlicet: . . . . . *(Sequitur scriptorum elenchus).*

Proposito autem ab Emo et Rmo Dno Cardinali Francisco Segna, Causae Ponente, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, dubio super revisione peracta horum scriptorum, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, omnibus mature perpensis auditoque R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora., salvo iure Promotori Fidei obiieiendi, si et quatenus de iure.* Die 21 Aprilis 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 22 eisdem mense et anno.

SERAPHINUS CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. & S.

f DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

RESCRIPTUM. Alumni Societatis Missionariorum a S. Ioseph Missam et Officium S. Thuribii sub ritu duplici 2ae. classis celebrare tenentur.

Hodiernus redactor Calendarii Officii Divini pro alumnis Societatis Missionariorum a S. Ioseph, sequentis dubii solutionem a Sacrorum Rituum Congregatione humillime expostulavit; nimirum:

Ex Decreto S. C. pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis die 1 Ianuarii 1900 (1), extensa fuere ad totam Americam Latinam Officium et Missa propria S. Thuribii Archiepiscopi Liniani sub ritu duplici 2ae. classis; hinc dubium oritur, utrum alumni dictae Societatis, qui ex maxima parte distributi sunt in America Latina, utpote ad regiones Latino-Americanas prae-

(1) *Recole Vol. XXXII, pag. 555, Postulatum XI, quod ita sonat :* « Ut Officium et Missa propria S. Thuribii ad universam Americam Latinam extendantur sub ritu secundae classis».

cipue destinati, tali decreto obligentur,. an potius stare debeant proprio Calendario a S. Sede approbato, in quo S. Thuribius ritu duplici minori recensetur?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii} exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, respondendum censuit:

« In casu *affirmative* ad primam partem, et *negative* ad -secundam ».

Atque ita rescripsit die 8 Maii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

'ORDINIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE BELGICAE

DUBIA liturgica proponuntur, atque solvuntur.

R. P. Victorius ab Appeltern, Lector sacrae Liturgiae in Provincia Belgica Fratrum Minorum Capuccinorum, de consensu sui Adm. R. P. Provincialis a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem suppliciter efflagitavit; nimirum:

I. In Caeremoniali Romano-Seraphico Capuccinorum, n. 1184, pro publica expositione SSmi Eucharistiae Sacramenti, praescribitur: «Ardeant in ipso (Altari) saltem duodecim candelae ex cera alba », ibique additur: « nisi instructio Ordinarii confirmata a S. Sede aliter statuerit ». Quum vero Statuta Dioecesium Belgii hac in re diverse loquantur, neque constet de eorum Apostolica confirmatione; quaeritur: In Ecclesiis dictae provinciae Capuccinorum, quando SS. Sacramentum publice exponitur, quot candelae ex cera alba accendi debent?

II. Constitutiones Ordinis Capuccinorum praescribunt: « Candelabra ex simplici ligno torno elaborata ». Caeremoniale autem Episcoporum, Lib. 1, cap. XII, §. 11, ea de re, haec habet: « Supra vero in planifie altaris adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt; sin minus ex auricalco, aut cupro aurato nobilius fabricata, et aliquanto altiora, spectabilioraque his, quae

caeteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur crux ex eodem metallo, et. opere praealta, ita ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum* candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi, versa ad interiorem altaris faciem », quaeritur: Religiosi Capuccini tenentur ad observantiam? Caeremonialis Episcoporum in casu, quoad materiam saltem ex auricalco aut cupro aurato tum candelabrorum, tum crucis Altaris?

III. 1. Quando Sacerdos celebrat in propria Ecclesia, die non? impedita, Missam votivam de die infra Octavam B. Mariae Virginis aut alicuius Sancti, de qua tantum commemorationem *m* Officio recitavit, quaeritur: An in eiusdem Missa *Credo* dicendum sit, si nempe illa Octava *Credo* habeat?

2. An idem applicandum sit eiusmodi Missae celebratae in? aliena Ecclesia?

3. An idem extendendum sit ad quamlibet Missam de die- infra Octavam, sive sit privata, sive solemnis, sive privilegiata?"

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Rmo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum. Capuccinorum, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Standum in casu Caeremoniali Romano - Seraphieo' Capuccinorum, ita ut ardeant in Altari saltem duodecim candelae ex cera alba.*

Ad II. *Negative, et observentur Constitutiones Ordinis a Sancta Sede approbatae.*

Ad III. *Affirmative in omnibus, iuxta decreta praesertim* n. 3862, « *Urbis et Orbis»* 9 Decembris 1895(1); n. 3922, « *D& Missis votivis»,* 30 Iunii 1896, III, 3; et n. 4020, « *Plurium-Dioecesium* » 24 Aprilis 1899.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 15 Maii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. © S.

t DIOMEDBS PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius-*

(1) Recole Vol. XXVIII, pag. 438.

Heic Decreta supra citata integre referre iuvat:

<N. 3922) **DECRETUM GENERALE**

De Missis Votivis.

^Missae Votivae, vel cum Officio diei et ipso Votivo concordant, vel haud conformiter ad ipsum celebrantur. Posteriores vero istae, vel solemniter aguntur pro re gravi et publica Ecclesiae causa; vel privatim, aut saltem ex causa privata celebrantur.

I.

De Missis votivis, quae cum Officio concordant.

Huiusmodi Missae Votivae naturam et ritum Officii, cui adnectuntur, sequuntur, his tamen adnotatis:

Missa de SS. Sacramento in V Feriis sit illa Votiva, quae •notatur in fine Missalis, (haud vero ut in ipsa solemnitate Corporis Christi) ac proinde dicatur sine Sequentia.

Orationes dicantur, non ut infra octavam eiusdem solemnitatis, sed **tempori congruentes.**

Quae omnia servanda sunt in ceteris huiusmodi Missis Votivis.

Symbolum in quibuslibet Missis Votivis huiusmodi, quae scilicet conformiter ad Officium celebrantur, semper omittatur, etiamsi sub ritu Duplici maiori aliquando sint concessae.

II.

De Missa Votiva solemni pro re gravi, et publica Ecclesiae causa.

1. **Missa Votiva solemnis pro re gravi et publica Ecclesiae causa illa est, quae Officio per se non respondens, ab Episcopo, vel de eius consensu, pro qualibet vice obtinendo, solemniter celebratur cum interventu Magistratus, aut saltem Cleri et populi; et pro quadam spirituali vel temporali necessitate, quae communitatem ipsam afficiat: v. g. ad petendam pluviam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro Principe infirmo, ac similibus.**

2. **Missa Votiva solemnis pro re gravi celebrari potest qualibet die, exceptis Dominicis** 1 **classis, ac Festis duplicibus pariter** 1 **classis, Feria IV Cinerum, Feriis Hebdomadae Maioris**

et Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini : in quibus sola commemoratio fieri poterit in Missa solemni de die, per Orationem. Missae Votivae post Orationem Festi sub unica conclusione,, etsi alia commemoratio deinde vi Rubricarum fieri debeat.

Verum in Ecclesiis, quae ad Missam Conventualem tenentur,.. Votiva solemnis pro re gravi non celebretur, nisi prius cele^ beata fuerit Missa Conventualis de Officio occurrente.

3. Missa Votiva huiusmodi ex his desumenda est, quae uti Votivae in Missali designantur. Quod si, occurrente aliqua gravi et' urgente necessitate, Missa specialis in Missali deficiat, dicatur Missa *pro quacumque necessitate;* et huius Orationi sub unica conclusione superaddatur Collecta, si quae sit, necessitati relativae propria.

Ceterum in Missis Votivis solemnibus pro re gravi unica dicenda est Oratio, etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in Ecclesiis, ubi onus Missae Conventualis non existit.

In huiusmodi Missis semper dici debent *Gloria in excelsis:* et *Credo,* nisi Missa celebretur in paramentis violaceis, iuxta Rubr. Miss. Tit. XVIII, Num. 5, quia tunc non dicitur *Gloria-* Cum vero *Gloria* et *Credo* dicuntur, nunquam ad Orationes genuflectitur.

Praefatio dicatur iuxta Rubr. Miss. Tit. XII, Num. 4: ita quidem ut infra quamcumque octavam etiam privilegiatam, Praefatio dicatur Missae Votivae propria, si habeatur, cum *Communicantes* de octava. Die vero Dominica, Praefatio, si Missa Votiva propriam non habeat, dicatur de Dominica, non de Festo. Item Praefatio dicenda est in cantu solemni et Organa pulsari possunt.

Color vero paramentorum erit iuxta qualitatem Missae, quae celebratur.

III.

De Missis Votivis privatis vel ex privata causa in genere.

1. Dici possunt ut Votivae, Missae omnes quae in fine Missalis sub hac designatione ponuntur, necnon illae quae in corpore Missalis, ut votivo more per annum dici possint, adnotantur, quales inter alias Missa *Miserebitur* de SS. Corde Iesu et Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione.

Missae Votivae dici tantum possunt de quibuscumque San-

ctis canonizatis, in Martyrologio Romano descriptis: pro quibus adhihenda est sive Missa propria, si habeatur, sive illa de Communi, ad quam Oratio forte pertineat, sive altera pariter de communi: desumptis quidem de Communi quae in Missa propria forsitan desunt, vel tempori non conveniunt, omissisque verbis *annua, hodie,* ac similibus, et mutatis *natalitia, solemnitas, festivitas* in *commemoratio, memoria.*

2. Missae Votivae, sive privatae (etiamsi dicantur pro aliqua causa gravi), sive solemnes (nisi pro re gravi) sicut et Missae privatae pro Defunctis, omnino prohibentur in Vigiliis et per octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, Feria IV Cinerum, a Dominica Palmarum usque post octavam Paschae, in Vigilia Pentecostes et per octavas Pentecostes et Corporis Christi; necnon in Dominicis per annum et in Festis Duplicibus, etiam non de praecepto, quacumque consuetudine non obstante.

3. Missae Votivae huiusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo,* etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, per speciale indultum, in die Dominica et in Festis Duplicibus, vel etiam intra octavas celebrentur, nisi sint de die infra ipsam octavam; quo in casu celebrandae essent ut in Festo, idest cum *Gloria* et *Credo.*

Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in Missa Votiva de SS. Sacramento. Quod si infra octavam Missa Votiva dicatur, secunda Oratio erit de octava, tertia autem de tempore.

Quoad Praefationem, servetur Rubrica Generalis Tit. XII, Num. 4.

In Missis Votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Ioannis *In principio* iuxta Rubr. Tit. XIII.

IV.

Jn specie; De Missis Votivis solemnibus ex causa non publica celebratis.

1. Missae Votivae, quantumvis solemnes, quae pro re non gravi et ex Causa non publica celebrantur, etiamsi in forma novemdialis vel octidui ante vel post aliquam Solemnitatem agantur, nullimode celebrentur in Dominicis et Festis Duplicibus nisi ex indulto speciali.

Nec Votiva de Spiritu Sancto, vel alia, supradictis diebus licet celebrari, quacumque consuetudine non obstante, ob vesti-

tionem vel professionem Monialium; sed neque ab ipso Episcopo in eligendam Abbatissam Monasterii suae iurisdictionis.

Immo ante Processionem SS. Sacramenti, sive infra sive extra octavam Corporis Christi, vel qualibet tertia Dominica mensis, Missa coram SS. Sacramento cantari solita celebranda est de Dominica seu de Festo Duplici occurrente, cum commemoratione Sacramenti.

Missae Votivae solemnes semper cantentur post Nonam, ad formam Rubricarum.

2. In Ecclesiis quae ad Missam Conventualem tenentur, si Missa Votiva solemnis ex causa non gravi vel ex fundatione celebretur, nunquam omittatur Missa Conventualis de die: tunc vero in Missa Votiva fieri non debet Commemoratio Festi, de quo Missa Conventualis celebrata fuit.

In ceteris vero Ecclesiis, si de Festo currenti prius alia Missa celebrata non fuerit, in Missa Votiva addantur tam Oratio diei quam aliae occurrentes.

Ceterum in Missis Votivis huiusmodi, utcumque solemnibus, nisi pro re gravi et publica Ecclesiae causa, vel vi specialis indulti celebrentur, *Gloria in excelsis* et *Credo* semper omittantur. Quod servetur etiam ¡in novemdialibus, quibus Sanctorum Festa nonnumquam praeveniuntur, vel in octiduo quod sequitur.

In Missa Votiva de Passióne, quae Feriis VI per annum alicubi celebrari solet, colore utendum est violaceo, iuxta Rubricas, nec pulsanda sunt Organa.

3. Missae Votivae ex fundatione vel legato (de quibus iam supra aliquid innuimus) easdem normas ac ceterae Votivae, sequuntur: ita ut legi vel cantari nequeant in Festis Duplicibus aut in diebus, in quibus nec de Duplici fieri possit.

Ideo Sacra Congregatio, auctoritate Summi Pontificis, die 5 Augusti 1662 mandavit ne in futurum recipiatur obligatio ad Missas Votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt.

Missae vero Votivae, iam acceptatae et nondum celebratae, dicantur aliis diebus non impeditis; atque in horum defectu, pro Votivis sufficiat applicare valorem Missae currentis quae quidem, si opus sit, fiat cum cantu, aut etiam sine cantu ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda.

V.

De Missis Votivis Beatae Mariae Virginis.

1. Missa Votiva de Beata Virgine, sive sit privata sive solemnis, etiam pro re gravi, debet esse una ex Votivis B. M. V- in fine Missalis positis pro diversitate temporum, aliave approbata ut Votiva dicatur, ut Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et Missa Septem Dolorum. Missae vero propriae de Festivitatibus Beatae Mariae non celebrentur, nisi diebus in quibus dictae solemnitates occurrunt et per earum octavas: quod servetur etiam si huiusmodi Missae ex praescripto et institutione fundatorum petantur; quibus fiet satis celebrando aliquam ex Votivis B. M. V. iuxta temporis occurrentiam.

Contra vero, in Festivitatibus et infra octavas eiusdem Beatae Virginis celebretur Missa Festivitatis aut de die infra octavam, tamquam non Votiva, sed Festiva.

Pariter die quo Officium Votivum de Beata Virgine ex indulto recitatur, Missa Votiva sumatur quae respondeat Officio.

Immo in Vigilia Assumptionis (similiter et Immaculatae Conceptionis) B. M. V., etiam in implementum oneris, celebretur Missa de Vigilia; quippe qua et universalis Ecclesiae ritui et particulari oneris implemento consulatur.

2. In Missis Votivis de B. M. V., quae celebrantur in Sabbatis per annum et in Sabbatis Adventus, dicatur Hymnus *Gloria in excelsis,* etiamsi Officium non fiat de ea : nunquam vero dicatur extra Sabbatum, nisi infra octavas eiusdem Beatae Virginis, etiamsi talis Missa celebretur ex legato, neque obstante consuetudine etiam immemorabili. Sacerdos vero, qui ex indulto quotidie celebrat Missam Votivam de B. M. V., *Gloria in excelsis* dicat in Sabbato, uti supra, haud vero infra octavas eiusdem Beatae Virginis.

Tres saltem Orationes, iuxta Rubricas, dicantur, etiam in Missis Votivis huiusmodi, quae ex indulto quolibet anni Sabbato cantari solent.

Credo in Missis Votivis B. M. V. semper omittatur, nisi sint de die infra eiusdem Octavas; nequidem iis exceptis, quae sive in Cleri conventibus, sive ex legato, sive quolibet Sabbato ex indulto celebrantur.

In Missis Votivis de B. M. V. color albus semper adhibeatur, non autem caeruleus, nisi ex privilegio.

3. Missae Votivae B. M. V., etiam novemdiales, debent esse ex Votivis ut supra; nunquam vero propriae de Festivitatibus eius, nisi in ipsis Festivitatibus et per octavas earum. Missae huiusmodi, utcumque solemnes, celebrentur sine *Gloria* et sine *Credo* et cum tribus Orationibus: nisi speciale habeatur indultum.

Quae de Missis novemdialibus dicta sunt, eadem fere dicantur de Missa *Borate* in honorem Beatae Virginis quotidie per Adventum in aliquibus Ecclesiis cantari solita: quae quidem neque in Dominicis aut Festis duplicibus, neque cum unica Oratione et cum *Gloria* et *Credo* celebranda est, nisi peculiare interveniat indultum. Quo quidem obtento, non omittantur Missa Conventualis in Ecclesiis Collegiatis aut Conventualibus, vel Missa occurrentis Festi de praecepto in minoribus Ecclesiis.

VI.

De Missa pro Sponsis.

In celebratione Nuptiarum, extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat Duplex primae vel secundae classis, dicenda est Missa pro Sponso et Sponsa, in fine Missalis post alias Missas Votivas specialiter assignata. In diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto, necnon diebus Duplicia excludentibus, dicenda est Missa de die cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa, et quidem etiam in Festis primae classis, sub altera conclusione, ac primo loco post ceteras commemorationes de praecepto, si quae faciendae.

Missa pro Sponsis, et in ea benedictio nuptialis, fieri potest etiam in casu, quo Sponsi infra hanc Missam Sacram Communionem non percipiant.

Eadem Missa, cum sit Votiva privata, semper celebranda est, etiam si fiat in cantu, sine *Gloria in excelsis* et sine *Credo* et cum tribus Orationibus: 1 scilicet eiusdem Missae Votivae propria, 2 et 3 diei occurrentis ut in Rubr. Tit. VII, Num. 3 *De Commemorationibus;* necnon in fine *Benedicamus Domino* et ultimo Evangelio S. Ioannis.

Temporibus vero prohibitis, Nuptiae quidem celebrari possunt de licentia Episcopi, at sine solemnitate, ideoque privatim;

et omissis Missa et benedictione. Neque, iisdem temporibus, Commemoratio pro Sponsis fieri potest in Missa occurrente.

Verum ex Decreto Generali S. R. Universalis Inquisitionis dato die 31 Augusti 1881, benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis coniugibus, qui eam quacumque ex causa non obtinuerint, Missaque pro Sponso et Sponsa simul celebranda, diebus praescriptis ut supra.

Benedictio enim Nuptiarum in Missali posita, si Sponsi eam petierint, (ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa Missa pro Sponso et Sponsa abstrahi nunquam potest, sed infra eam omnino debet fieri.

Notandum est tamen, quod si mulier est vidua et alias benedicta fuerit, omittenda est tam benedictio Nuptiarum, quam Missa propria pro Sponso et Sponsa.

Non obstantibus Decretis quibuscumque particularibus in contrarium facientibus, quae per hoc Generale Decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse Sacra Rituum Congregatio declarat.

Die 30 Iunii 1896.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

(N. **4020)** PLURIUM DIOECESIUM

DUBIUM super Decretum c Urbis et Orbis » diei 9 Decembris 1895, de obligatione celebrandi Missam iuxta Calendarium Ecclesiae, in qua celebratur.

Ad dirimendam opinionum diversitatem exortam super Decretum « *Urbis et Orbis* » diei 9 Iulii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eiusdem anni (1), in quo circa finem haec habentur: « Si vero in dicta Ecclesia vel Oratorio Officium ritus duplicis inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de Requie peragere, vel Votivam, vel etiam de occurrenti Feria etc. », penes Sacram Rituum Congregationem sequentis dubii solutio humiliter expostulata fuit; nimirum :

Quando Sacerdos recitans Officium de Festo'aliquo, in quo occurrit dies infra Octavam et Festum simplex, de quibus sola

(1) Recole Vol. XXVIII, pag. 458.

commemoratio facta est, et Celebrans in Ecclesia ubi Officium ritus duplicis inferioris agatur, velit recitare Missam de die infra Octavam vel de Sancto simplici, istane Missa Votiva seu more votivo dicenda erit; vel potius festiva et ut in Festo celebranda ?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite perpensis, respondendum censuit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Et ita rescripsit ac declaravit.

Die 24 Aprilis 1899.

C. CARD. MAZZELLA, *Praefectus.*

DIOMEDES PANICI, *Secretarius.*

DUBIUM. Quoad Nocturnum in die Ordinationis recitandum.

Sacra Rituum Congregatio in *Granatensi* 11 Augusti 1860 ad XIV declaravit: «Verba Pontificalis Romani *Nocturnum talis diei* intelligi de unico Nocturno in feriali, vel de prima Dominica, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum cum suis Antiphonis de tempore, quem Episcopus Ordinans designare potest vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum esse Nocturnum feriae, quae respondeat illi diei, in qua facta est Ordinatio ».

Insuper ex decreto eiusdem Sacrae Congregationis n. 4042 *«Urbis»* 27 Iunii» 1899 ad F[m]; *«Pro Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus festi, aut Dominicae in Psalterio, prout Ordinatio in feria, festo aut Dominica habita sit ».

Nunc autem alia quaestio exorta et pro opportuna solutione proposita fuit; nempe: « Utrum ad hunc Nocturnum etiam Psalmus *Venite exultemus,* Hymnus et Lectiones addendae sint, vel potius sufficiant Psalmi cum respectivis Antiphonis ad talem Nocturnum spectantes ? »

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque

accurate perpensis, propositae quaestioni respondendum esse censuit: « *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam ».

Atque ita rescripsit, die 10 Iulii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. © S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret**

En integrum Decretum supra citatum:

(N. **4042)** URBIS

DUBIA varia circa Noctu r num diei Ordinationis et circa concurrentium plurium Commemorationum.

Apostolicarum Caeremoniarum Magistri sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi humiliter resolvenda proposuerunt; videlicet:

I. Quid pro *Nocturno talis diei,* quem Subdiaconibus ac Diaconibus ex Pontificali Romano Episcopus Ordinans solet imponere, intelligi debeat?

II. Utrum Episcopus Ordinans ius habeat iniungendi alium a Nocturno diei, quem Pontificale designat?

III. Quando Festum Sacrae Familiae concurrit cum alio Festo Beatae Mariae Virginis, ex. gr. cum Festo Desponsationis eiusdem, huius commemoratio facienda ne est, vel omittenda?

IV. Officia, quae alicubi conceduntur sub clausulis: *fieri posse; recitari posse* etc. sunt ne praeceptiva, an potius votivis assimilantur ?

V. Unde Antiphona et versus sumi debeant, quando plures Commemorationes ex eodem Communi sumendae sint?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa ac voto Commissionis Liturgicae audito, respondendum censuit:

Ad I. « Pro *Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicae in Psalterio, prouti Ordinatio in feria, in Festo, aut Dominica habita sit».

Ad II. « *Affirmative* ».

Ad III. « *Negative,* ad primam partem; *Affirmative,* ad secundam».

Ad IV. « *Affirmative,* ad primam partem, si acceptata ea fuerint; *Negative* ad secundam».

Ad V. « Quando plures Commernorationes occurrunt faciendae de eodem Communi (nisi aliter in Breviario notetur) *ad Vesperas,* dictis Antiphona et *f.* de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et *f.* ex 2 Nocturno, ultima vero per primam Antiphonam et *f.* ex 3 Nocturno. *Ad Laudes* vero, dictis Antiphona et *f.* de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et *f.* de 1 Vesperis et y. ex 2 Nocturno, tertia tandem per primam Antiphonam et y. 3 Nocturni ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Iunii 1889.

C. CARD. MAZZELLA, *Praefectus.*

DIOMEDBS PANICI, *Secretarius.*

SIPONTINA.

DUBIUM. An in funeribus associandis adhiberi possit a Sodalibus laicis pileolus cinerei coloris.

Postulantibus Sodalibus laicis a S. Antonio Abbate nuncupatis loci *Montesantangelo* intra fines Sipontinae Archidioeceseos, utrum in processionibus et in associationibus defunctorum adhibere valeant pileolum cinerei coloris, prouti olim habebant, Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *«Affirmative tantum in funeribus assoeiandis extra oppidum, vel in eius eœtremitate, tempore pluvio, et iuxta usum Archiconfraternitatis a bona morte in Urbe ».*

Atque ita rescripsit, die 17 Iulii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. © S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Seeret.*

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

RESCRIPTUM quo indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus orationem « O glorioso S. Biagio etc. ».

PREGHIERA A S. BIAGIO V. E M.

O glorioso S. Biagio, che con una breve preghiera restituiste la perfetta sanità a un bambino, che, per una spina di pesce attraversata nella gola, stava per mandare l'ultimo anelito, ottenete a noi tutti la grazia di esperimentare l'efficacia del vostro patrocinio in tutti i mali di gola ; ma più di tutto, di mortificare, con la fedele pratica dei precetti di S. Chiesa, questo senso tanto pericoloso. E Voi, che col vostro martirio lasciaste alla Chiesa un' illustre testimonianza della Fede, impetrateci di conservare questo dono divino, e di difendere senza umano rispetto con parole e con opere la verità della stessa Fede, tanto combattuta e denigrata ai giorni nostri. Così sia (1).

Ex Audientia Sanctissimi.

Die 16 Augusti 1902.

SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide pro NN. R. P. D. Secretario, attentis expositis, omnibus Christifidelibus utriusque

(1) *En versio latina :*

ORATIO IN HONOREM S. BLASII, EP. ET M.

O gloriose S. Biasi, qui brevi prece perfectam sanitatem infantalo restituisti, qui, ob piscis spinam gutturi inhaesam, extremum spiritum emissurus erat, in cunctis gutturis malis gratiam nobis omnibus concede vim tui patrocinii experiendi, potissimum vero, fideli S. Ecclesiae praeceptorum custodia, hunc Iam exitiosum sensum mortificandi. Qui insuper tuo martyrio praeclarum Fidei testimonium Ecclesiae reliquisti, fac nos divinum hoc donum servare, atque hisce temporibus tam denigratas et oppugnatas eiusdem Fidei veritates, sine humano timore, verbis et operibus defendere possimus. Amen.

sexus et cuiuscumque ritus, devote recitantibus praedictam orationem in honorem S. Blasii Episcopi et Martyris Sebasteni, Indulgentiam 300 dierum semel in die lucrandam, et etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, benigne concedere dignatus est. Praesentibus in perpetuum valituris. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus dictae S. Congregationis, die et anno uti supra.

Pro R. P. D. *Secretario,*

L. © S.

Hieronymus Rolleri.

Huius Rescripti exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem....

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Maii 1903.

Pro R. P.D. FRANCISCO, Archiep. Amiden., *Secret,*

L. © S.

Iosephus M. Can. Coselli, *Substit.*

EX S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

DECRETUM erectionis Praefecturae Apostolicae « La Intendencia Oriental » nuncupatae in Republica Columbiana.

Cum perplures gentis Indicae tribus in territorio Columbianae Reipublicae, in America Meridionali, diffuse inveniantur, quae sine religionis lumine et sine regula morum vivunt, optimo sane consilio inter S. Sedem et Gubernium Columbianum, die 29 Decembris anni 1902, conventio inita est eum in finem, ut earundem tribuum evangelizationi christianaeque institutioni faciliori ac promptiori modo provideri possit. Idcirco in praedicta conventione nonnullae Apostolicae Praefecturae proponuntur erigendae, quas inter, et magni quidem momenti, missio

vulgo « *La Intendencia Oriental* » nuncupata : cui Praefecturae, in appendice ad eamdem conventionem sequentes limites adsignatur : « Partiendo del punto en que el tercer meridiano al E. de Bogotá corta el rio Meta, sígase la corriente de este rio hasta el Orinoco ; yendo contra corriente del Orinoco (limite con Venezuela) hasta la Piedra del Cocuy, que es un extremo de la frontera entre la dicha Republica de Venezuela y el Brasile; recórranse les limites de Colombia con el Brasil y el Perù, hasta llegar al referido tercer meridiano al E. de Bogotá ».

Cum vero eiusmodi Praefectura Apostolica curis Missionariorum demandanda sit, expediens visum est illam committere Congregationi « *La Compagnie de Marie* » nuncupatae. Quae omnia SSmo D. N. Leoni divina Providentia PP. XIII per me infrascriptum Secretarium S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae relata, Sanctitas Sua benigne approbare et confirmare dignata est: ea tamen lege, ut Praefectus Apostolicus ab hac S. Congregatione sit nominandus caeterique religiosi sacerdotes eiusdem religiosae societatis, Apostolicae Praefecturae addicti, quoad regularem observantiam, a suo Superiori Generali immediate dependeant. Super quibus eadem Sanctitas Sua mandavit hoc edi decretum et in acta praelaudatae S. Congregationis referri.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

L. © S.

f PETRUS, ARCHIEP. CAESARIEN., *Secretarius.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

RESCRIPTA minora S. Sedis, licet ab excommunicatis obtenta, valida sunt tantum pro foro conscientiae.

Titius Sacerdos cum poena excommunicationis reservatae occultae afficeretur, a qua deinde absolutus est, petiit et obtinuit a Sacris Romanis Congregationibus aliquos personales favores, qui ei specialibus rescriptis concessi sunt; scilicet facultatem accepit a Sacra Congregatione Indicis libros prohibitos legendi, a S. Congregatione S. Officii dispensationem a ieiunio, a S. Congregatione Indulgentiarum facultatem coronas et alias res benedicendi illisque indulgentias apponendi, a S. Congregatione Rituum facultatem sacras supellectiles benedicendi etc.

Cum autem ipse nunc noverit excommunicatos inhabiles esse ad gratias Pontificias impetrandas, in multis curis degit dubitatque utrum valide supradictis facultatibus ac favoribus uti possit, necne ; qua de causa petit :

I. An valida censenda sint supradicta rescripta a Titio obtenta, dum adhuc excommunicationis vinculo obstringeretur; et quatenus *negative,*

II. Quomodo Titius sese gerere debeat ut invaliditatis causam quoad accepta rescripta non manifestet.

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, rescribit : *Orator super praemissis acquiescat. Pro foro conscientiae tantum.*

Datum Romae ex Sacra Poenitentiaria, die 9 Septembris 1898.

A. CARCANI, *Regens.*

R. CELLI, *Substitutus.*

EX VICARIATU URBIS

NOTIFICATIO

dua E.mus Card. Vicarius haereticas sectas pravasque ephemerides damnat, nominatim vero «L'Asino».

Emus Card. Respighi, Urbis Vicarius, in sacra Invitatione ad catholicos romanos, occasione Festi Pentecostes, inter alia, haec solemnia ac gravia verba habet:

......Qui segnatamente in questa sacra Roma, cuore e vita del Cattolicismo, non vediamo forse noi osteggiata in tanti modi l'opera dello Spirito Santo, e massime per due lacrimevoli fatti: il crescere e il dilatarsi ogni giorno più di una stampa malvagia, la quale, con furore che crederebbesi talvolta diabolico, si ostina a voler schiantar la fede e il buon costume; ed il diffondersi delle sètte eretiche di ogni nome venute da ogni paese, che rizzano cattedre di pestilenza contro l'unica cattedra da Gesù Cristo stabilita, ed aprono sempre nuovi templi e scuole ed istituti, valendosi di sottilissime perfidie e profittando per fino della miseria e della fame per istrappare il popolo alla sua madre la Chiesa Cattolica, al venerato suo Padre il Pontefice, Vicario di Cristo?

Riguardo a quest' ultima funestissima sventura incolta a Roma da un trentennio, già l'Emo Sig. Cardinale Monaco La Valletta, Vicario Generale di Sua Santità, emanava sotto la data del 12 Luglio 1878 una solenne Notificazione (1), confermata sei anni appresso dall' Erìio Sig. Cardinale Parocchi successore di lui (2). Nè ristavasi 1' augusto Pontefice stesso dal protestare e dal provvedere: in ispecie volle Egli e con ogni zelo promosse la istituzione a voi ben nota dell'Opera, che si intitola dalla Preservazione della Fede (3), la cui direzione deferì ad una commissione di Emi Porporati. Ma continuando pur troppo ed inasprendosi il male, Noi per l'autorità di cui.

(1) Notificatio haec prostat Vol. XI, pag. 168.
(2) Vieh Vol. XVII, pag. 164.
<3) Confer. Vol. XXXIII, pag. 194.

siamo forniti come Vicario Generale di Sua Santità rinnoviamo* le prescrizioni dei nostri Predecessori, ammonendovi, o fedeli,, e supplicandovi per ciò che vi ha di più sacro in cielo e in terra, a guardarvi dall'oltraggiare lo Spirito divino di verità col dare il nome a qualsivoglia eretica sètta, od affidare agir emissari del protestantesimo i vostri figli, o frequentare comecchesia, anche per semplice curiosità, i loro templi e il loro insegnamento.

Contro gli abusi e le intemperanze della stampa libertina,, massime giornaliera, troppo avremmo a dire, o fedeli, disfogando il nostro cuore amareggiato da bestemmie, da oscenità, da incessanti insulti non solo contro la Chiesa, sposa dello Spirito Santo, e le cose e le persone ecclesiastiche, e contro la persona augusta del Vicario di Cristo; ma.bensì direttamente- contro Dio e contro Gesù Cristo, del quale vengono dileggiati gl'insegnamenti e negata la divinità. Sulle orme tracciate dal nostro Predecessore Sig. Cardinale Costantino Patrizi, Noi potremmo, in virtù del nostro ufficio, esplicitamente condannare parecchi giornali di Roma e intimare le ecclesiastiche sanzioni ai lettori di essi. Ma confidando nella vostra docilità e nei lumi che lo Spirito Santo, in questi giorni, nei quali viene da noi con più ardore invocato, vorrà far discendere sulle anime nostre, ci limitiamo per ora a additare quella turpe pubblicazione che, sotto il titolo di *Asino,* in modo scandaloso e ributtante disonora questa Capitale del mondo cattolico, coprendo di vitupero e di fango la Religione tutta e nominatamente la morale santissima di S. Alfonso Maria de'Liguori e la pratica stessa della sacramentale Confessione. In genere poi richiamiamo il Decreto del supremo Gerarca contenuto nella Costituzione Apostolica « *Officiorum et munerum* » del 25 Gennaio 1897, sotto il numero 21, il quale stabilisce che *giornali, fogli e periodici che di proposito assalgono la Religione e i buoni costumi, debbonsi ritenere vietati non solo per diritto naturale, ma ancora per diritto ecclesiastico* (1). Onde conseguita che chi per qualsivoglia ragione dovesse leggere pubblicazioni siffatte; *è* tenuto a chiederne la licenza alla competente Autorità....

Dato dalla Nostra Residenza, 16 Maggio 1903.

PIETRO CARD. VICARIO

(1) Recole Vol. XXIX, pag. 595.

Versio Latina:

......Praesertim in hac sacra Roma, Catholicitatis corde et •vita, nonne videmus pluribus artibus Spiritus Sancti opus impugnari, duobus maxime lugendis factis: augmento videlicet ac in dies dilatatione impiae impressionis, quae impetu fere -diabolico fidem atque bonos mores evertere conatur; necnon diffusione haereticarum sectarum cuiuscumque generis undique -confluentium, quae pestilentiae cathedras contra solam a Christo Domino constitutam erigunt, atque nova in dies templa, scholas et instituta pandunt, subtilissimis utendo dolis, miseria fameque ipsa, ut populum a sinu matris suae Ecclesiae Catholicae, ipsiusque Pontificis augusti Patris sui, Christi Vicarii, extorqueant?

Quod vero ad hanc postremam calamitatem spectat, plusquam triginta ab hinc annis Urbem vexantem, iam Emus Card. Monaco La Valletta, Sanctitatis Suae Vicarius Generalis, die 12 Iulii 1878 solemnem edidit Instructionem, quae sex post annos ab eius successore Eiïio D. Cardinali Parocchi confirmata est

Nec ipse augustus Pontifex se abstinuit a protestationibus <et a remediis; speciatim autem Ipse voluit et omni cum zelo promovit institutionem vobis pernotam Operis, cui titulus « *Tuitio fidei* », cuius regimen Commissioni Eiîiorum Patrum Cardinalium obtulit. Nihilominus cum malum perseveret ac saeviat, Nos auctoritate, qua pollemus, uti Sanctitatis Suae Vicarius Generalis, Praedecessorum nostrorum praescriptiones renovamus, monendo vos, o fideles, vosque obsecrando, per quod in caelo et in terra sanctius est, ne Spiritui divino veritatis iniuriam inferatis, nomen dando cuicumque ex haereticis sectis vel liberos vestros protestantismi emissariis tradendo, vel utcumque frequentando, mera quoque curiositatis causa, eorum doctrinas ac templa.

Contra abusus et intemperantias libertinae impressionis, diariorum maxime admodum Nos loqui deberemus, o fideles, ita cor nostrum effundendum blasphemiis, obscoenitatibus, contumeliis continuis exacerbatum non solum in Ecclesiam, Spiritus Sancti sponsam, et res ecclesiasticosque viros et in augustum Christi Vicarium ; sed directe quoque in Deum et in Iesum Christum, cuius doctrinae irridentur atque divinitas ne-

gatur. Vestigiis Praedecessoris nostri Emi D. Constantini Patrizi inhaerentes, vi nostri muneris, explicite damnare plura? romana diaria et ecclesiasticas poenas eorum lectoribus infligere deberemus. Sed confisi docilítate vestra atque luminibus, quae Spiritus Sanctus, hisce diebus a nobis ferventius invocatus, in animas nostras immissurus erit, in praesentiarum solummodo indigitare volumus turpem illam ephemeridem « LM-*sino* » nuncupatam, quae hanc Urbem catholici orbis caput, dedecore ac luto operiendo universam Religionem, praesertim vero moralem sanctissimam S. Alphonsi Mariae de Ligorio ipsamque Sacramentalis Confessionis praxim, scandalosum ac nauseabundum in modum inhonestat. Generatim autem in mentem revocamus Supremi Pastoris Decretum in Constitutione Apostolica « *Officiorum et munerum* » contentum, die 25 Ianuarii 1897, sub numero 21, in quo statuitur quod: *diaria, folia, et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturcdi, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.* Unde consequitur quod quicumque quovis motivo huiusmodi publicationes legere debeat, a competenti Auctoritate veniam petere teneatur.

Ex Aedibus Vicariatus, die 16 Maii 1903.

PETRUS CARD. VICARIUS.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXXV CONTINENTUR

ACTA ROMAM PONTIFICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX SECRETARIA BREVIUM

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE S. R. ET U. INQUISITIONIS

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

EX S. G. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

EX S. C. SUPER DISCIPLINA REGULARI

EX S. C. CONCILII

EX S. C. DE PROPAG. FIDE

EX S. CONGR. RITUUM

EX S. G. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

EX S. C. A NEGOTIIS ECCLES. EXTRAORDINARIIS

EX S. C. CAEREMONIALI

EX S. POENITENTIARIA APOST.

EX VICARIATU URBIS

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli, Archiep. Myren., Vicesgerens